8
50
NAZIONALE
7
n
9



Digitized by Google

III. 13. 33
M
8, 4, 50
I
8. 12. e. 3
Digitized by Google

DISSERTATIONUM MISCELLANEARUM ΠΕΝΤΑΣ.

I. De abuſu Patrum.

II. Catalogus ſcriptorum Eccleſiaſticorum ſuppoſititiorum.

III. Specimen Philoſophiæ Hiſtoricæ.

IV. Irenicum Helveticum.

V. Methodus legendi Hiſtorias Helveticas;



Edita

A

JOH. HENRICO HOTTINGERO, Tigurino.

BIBL. NAZ. ... EMANUELE

TIGURI,

Typis JOHANNIS JACOBI BODMERI. Anno M DC LIV.

Nobiliſſimis atque Ampliſſimis
VIRIS,

DN. JOH. CONRADO WERDMYLLERO,

DN. JOH. JACOBO SCHEUCHZERO, Oeconomo nuper Cappellano:
Illi Synedrii Eccleſiaſtici; huic Dicaſterii Aſſeſſori.

DN. JOH. HENRICO HOLZHALBIO, Reipublicæ Tigurinæ Hypogrammateo.

DN. JOH. HENRICO RHANIO, Armamentarii Præfecto.

DN. JOH. HENRICO ÆSCHERO, Ducentumviro.

DN. ANDREÆ SCHMIDIO, Secretario.

DN. JOH. JACOBO STEINERO, Capitaneo, & Utickonenſium, &c. Toparchæ.

DN. JOH. CONRADO ÆSCHERO, Sagittariorum & Sclopetariorum Societatis nuper Moderatori.

DN. JOH. JACOBO HOLZHALBIO, Bibliothecario publico.

DN. JOH. RODOLPHO MYLLERO.

Compatribus, affinibus, amicis,

Hanc Diſſertationum Πεντάδα dedicat
& inſcribit

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

in pag. ſeq.

ria non malè mereri mihi videantur, qui hîc ſuos aptant lacertos, & (quanquam periculoſum ſit hanc jacere aleam) patriæ res geſtas pro viribus vindicant, & è tenebris erutas, commoda Methodo proponunt. Hoc ſubſidium, gratique Civis officium ab Helvetiis etiam deſiderari, jam à longo tempore haud obſcurè animadverti. Non quòd quicquam deſiderare jure alii queant, in exactiſſimis Majorum noſtrorum lucubrationibus; ſed quòd, dum compendia quærunt, Scholaſtica tractatione ita perſpicua, ut & memoriæ juvandæ habeatur ratio, & ordinis atque naturæ rerum, has φροντίδας λεπτέρας omnino mereantur. Ut ego aliquid tentarem, non uno tantùm id mihi nomine incubuiſſe, cur diffitear? Suggeſſit hæc conſilia præteriti temporis recordatio. Meminiſſe facilè potui, non ita vel Gentem, vel res geſtas Helvetiorum, apud alios, eſſe obſcuras, quin & alios de iis libenter audirent, & ipſi eaſdem magna diligentia, atq; indefeſſo ſtudio ex annalibus collectas ſuo loco & tempore proponerent, multosq; ſic ſæpe

indigenas ſi non confunderent, officii ſaltem monerent. Non pudet obiter tetigiſſe, Magnum illud Belgii decus, celeberrimum S. S. Theologiæ Doctorem, & in inclyta Groningæ & Omlandiæ Ordinum Academia Profeſſorem, *D. Franciſcum Gomarum*, Præceptorem meum honorandum, aliquando, dum pro more, in Collegium ipſum diſputatorium, indéque domum iterum comitarer, ita de Helvetia, primiſque libertatis ejus aſſertoribus diſſeruiſſe, ut me, αὐτόχθονα licèt, & in ruborem penè converterit (adeò minutiſſima quæque recenſuit) & aurem tacitè de pleniori Hiſtoriarum domeſticarum haurienda notitia, vellicârit. Ad lares igitur reverſus, id ſedulò dedi operam, ne illud Γνῶθι σεαυτὸν, *noſce te ipſum, noſce patriam tuam*; ſubinde mihi occineretur.

Cum ordinariis itaque occupationibus ſtudium etiam conjunxi Hiſtoriæ Helveticæ, cujus nectare inebriatus, non modò beneficia Dei in patriam noſtram, domi foriſque collata, æſtimare; ſed & aliis, iis præſertim, qui rationem ſuo

PRÆFATIO.

VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI: Qui de ſtudiis Principum, omniúmque adeò eorum, quos divina Providentia Ποιμένας eſſe voluit τῶν λαῶν, ſolidè, præ cæteris, & ſolicitè ſcribunt, Hiſtorias iis, Sacras & profanas, maximè commendant. *Hiſtoriarum lectio*, inquit Auth. libb. ſex de ſtatu Politico ſeu civili, lib. 1. Diſcur. 25. *Principi commendata debet eſſe quàm maximè. Quid enim magis ſalubre ac frugiferum, quàm omnis te exempli documenta in illuſtri poſita intueri, ut inde tibi, tuæq́; Reipublicæ, quod imitere, capias, inde fœdum incepto, fœdum exitu, quod vites?* Liv. lib. 1. Lips. 1. Polit. 9. *Hiſtoria, Vitæ Magiſtra, factorum inæquilitate, & mutatione corrigit, & fortunatorum ſuperbiam, & infelicium infortunium.* Diodor. Sicul. lib. 18. Biblioth. *Prudentum conſilia, fortiúmque præclara facta commemorat, temeritatis & amentiæ exitus infelices enarrat.* Middendorp. ad quæſt. 68. Ptolom. *Hi omnino optimi con-*

ſiliarii, qui ſemper adſunt vocati, nihil occultant, nihil adulantur; quod Rex Alphonſus dicere ſolebat. His ſe commendat elogiis Hiſtoria omnis, domeſtica præſertim, quam gratus & ingenuus patriæ alumnus, ſine ignavia; Princeps verò aut Politarchus, ſine magno diſpendio ignorare non poteſt. Ut enim non omnis fert omnia tellus; ſic neque eadem ubique medicina morbis parata eſt. Corpus Indicis morbis infeſtatum, reſpuere Europæorum medicamina, ſuo multi experti ſunt malo. Vidit ſuperior ætas, magnam ex nova lue ſtragem, quòd, quâ malum pelli poſſet, ratione, ex Medicorum ſcriptis non occurreret. Habent magnam affinitatem, cum καχεξία corporis humani, morbi Politici, quorum proinde cura non aliunde tutiùs expectanda, quàm ex pharmacopolio patrio. Promuntur hinc conſilia, exempla, axiomata, quibus & ſeditioſorum pruritus tolli, & fractorum animi erigi, & ſuſpenſorum conatus vel urgeri, vel tardari poſſunt. Atque hæc cauſa eſt, quòd illi de univerſa Republ. litera-

ria

fati, quo anno Chriſti 1637. ob graſſantem in agro vicino peſtem, Schola noſtra urgebatur, habui. Cùm enim paſtores ubique fideles, in hanc etiam Miſericordis Patris manum incidentes, vitam cum morte commutâſſent, ne gregibus ſui deeſſent Inſpectores, alii erant ſufficiendi. Unde factum, ut brevi tempore Auditores Collegii ſuperioris ad pauciſſimos, Theologiæ verò ſtudioſi ad ſex vel ſeptem (neque enim plures fuiſſe autumo) redigerentur.

Veſtræ converſationi, veſtris ſubſidiis, veſtris monitis non pauca accepta ferenda, quæ de Helvetiis jam fortè primam aſpiciunt lucem, ipſi Vos nôſtis; quibus conatus hac in re meos ſolicitudinis plenos, familiariſſimè nonnunquam aperui.

Ambit denique & depoſcit imbellis hic fœtus authoritatis veſtræ patrocinium. Expectant quidem ab ipſa etiam Natura, & omnium Gentium conſuetudine conatus mei aliquid ſubſidii. Eſt enim non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm

ex natura ipſa arripuimus,hauſimus, expreſſimus: ad quam non ducti ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus; patriæ amore nihil antiquius nobis eſſe debere, nihil prius. Unde *Cicero:* Patria eſt communis omnium noſtrûm parens, *Catilin.* 1. Non poteſt cognatio ulla propior eſſe, quàm patriæ; *de Orat.* Patria nihil dulcius, nihil charius in vita eſſe debet. *Ad Quirit. poſt Red.* Eſt charitas patriæ maxima. *In Vat.* Nullus locus eſt domeſtica ſede jucundior; *Catilin.* 4. *Et de offic.* Si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officii, principes ſunt Patria & parentes, quorum beneficiis maximè obligati ſumus. Nec alio fuit animo *Demoſthenes:* Arbitratur (inquit *Orat. de Co.*) ingenuorum quisque, non Patri & matri ſe ſolùm eſſe natum, verùm etiam patriæ. Quid verò intereſt? quòd, qui parentibus ſe ſolùm eſſe natum exiſtimat, fatalem, naturalémque mortem expectat: qui verò etiam patriæ, ne hanc ſervientem videat, mortem oppetere non dubitabit, magisque metuendam eſſe reputabit

bit

ſuo tempore apud exteros patriæ ſuæ eſſent reddituri, curam eandem commendare didici. Subſtrinxerunt aures nec pauci, nec poſtremi Gymnaſii noſtri tum ſtudioſi, qui privatis exercitiis non copiam tantùm verborum & Phraſium; ſed & minimè pœnitendam Helveticarum Hiſtoriarum notitiam acquiſiverunt. Initium fecerant, Nobiliſſimi, Præſtantiſſimique juvenes, D. *Joh. Henricus VVaſerus*, & D. *Georgius Schneebergerus*. Appulerunt mox ad idem ſtudium animum; præter domeſticos quosdam meos; Nobiliſſimi, Ornatiſſimique adoleſcentes, D. *Chriſtophorus VVerdmyllerus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις*; D. *Joh. Caſparus Schmidius*, D. *Caſparus Habius*, D. *Joh. Caſparus Huldricus*, D. *Joh. Lud. Rhanius*, D. *Joh. Henricus Holzhalbius*, quos, ex intervallo poſtea ſecutus fuit, præclaræ ſpei juvenis, D. *Johannes Rhanius*, qui ſuâ non modò id brevi effecerunt induſtriâ, ut vel Epiſtolis, vel Orationibus hebdomodariis, quicquid ferè & univerſalis totius Helvetiæ, & ſingularis, cujuslibet Civitatis vel Pagi, continet Hiſtoria,

)(4 expri-

exprimere,& in ſcenám producere commodè poſſent; ſed & mihi calcar ad affectam aphoriſmorum Syllogen perficiendam adderent.

Acceſſerunt tandem monitores atq; impulſores & numero multi,& authoritate graves, & rationibus ita armati,ut hoc patriæ denegare officium ampliùs nec potuerim nec debuerim. Alea jam eſt jacta,ubi feliciter eam cecidiſſe animadvertero,faciam, σὺν θεῷ, ut cætera, quæ ad ſpecialem urbis noſtræ tractationem pertinent,brevi ſequantur.

Vobis verò, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, SPECTATISSIMI Diſſertationes quidem haſce miſcellaneas, tanquam alteram Analectorum Partem, omnes,potiſſimùm verò Hiſtoriæ Helveticæ ſuccum; ſacras me eſſe voluiſſe, nemo vel mirabitur, vel vitio vertet, niſi quis fortè ignoret,me publicum gratitudinis meæ teſtimonium pridem Vobis debuiſſe.

Veſtrûm pleroſq; & ſtudiorum meorum & itinerum ſocios, ab ineunte ætate,graveſque adeò teſtes triſtiſſimi illius

fati,

bit ignominiam, & infamiam, quas in ſerviente civitate ferre neceſſe eſt. *Plutarchi* (εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον) judicio, ἡ πατρὶς, καὶ ἡ μητρὶς (ὡς κρῆτες καλοῦσι) πρεσβύτερα καὶ μείζονα δίκαια γονέων ἔχει. *Patria & (ut Cretenſes loquuntur) Matria plus juris in nos habet quàm parentes.* Ita ignitus ille amor patriæ ab ipſa natura excitatus in flammas erupit, ut ne quidem Gentiles continere ſe potuerint. Omnes in patriæ ſuæ laudes coëgit eloquentiæ copias Euripides, neque tamen quisquam hoc ei vitio vertit. Nobis aliquid de Helvetia diſſerere cur per Momos & Zoilos, quibus omnia ſtatim δοξομανίαν redolent, non liceat? Imò, cùm vix liceat (quid enim tam utiliter, tàm commodè, támque ſereno & defæcato animo ſcribitur, quod malevolorum audacia, & exagitandi pruritus violare non audeat?) Veſtram, quoque VIRI AMPLISSIMI, authoritatem, præter Naturæ & conſuetudinis præſidia, livori & iniquis judiciis obtendo. Vos enim eſtis, *quorum Majores multa & præclara* (ita loquimur cum *Demoſth.*)

pede-

pedeſtri certamine pugnantes tropæa ſtatuerunt, de quibus etiam nunc gloriamur, non ut nos ipſa ſpectantes ſolum admiremur, ſed etiam ut eorum, qui erexerunt virtutes imitemur. Vobis ſolis, Athenienſes (Helvetii) *licet, præ cæteris hominibus, domeſticis uti exemplis, & Majores, quos jure laudatis, re & factis imitari, tametſi prælia, neque expeditiones, neque pericula, in quibus clari & illuſtres fuerunt, imminere tempora non ſinunt, ſed vos præſenti vivitis in otio; eorum verò prudentiam imitemini: Ea enim ubique opus eſt.*

Veſtrum ergò ſit, quod tot Vobis nominibus debetur. Deum rogo, ut Spiritus ſui Sancti gratia conſiliis, conatibus & ſtudiis veſtris ita adſit, ut cedant ad ſanctiſſimi ſui Nominis gloriam, Patriæ ſalutem, familiarum veſtrarum incrementa; per Jeſum Chriſtum, unicum Servatorem noſtrum Amen. Dabam Tiguri, die 7. Auguſti, An. 1654.

Ampliſſimi, Nobiliſſimiq; Nominis Veſtri ſtudioſiſſimus

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS.

DIS-

DISSERTATIO

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

De ABUSU PATRUM.

CANON I.

Actum eſt nuper de multiplici lectionis Patrum uſu: reſtat ut de ejuſdem abuſu, qui varius eſt, nunc etiam aliquid diſſeramus.

Eleganter *Cicero* Pro Roſcio Amer. *Nihil eſſe*, inquit, *tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia*. Veritatem effati hujus Eccleſia Chriſti in profanis multis harpyis, quarum contactu vel ſacratiſſimæ res polluuntur, experitur. Nobis exemplo ſit præſens hæc diſſertatio: hac enim, quàm imprudenter & impudenter nonnulli ſcripta tractent Patrum, ad ingenii ſui commenta ea inflectant, plus æquo iis tribuant, nævos & errores eorum ad incruſtanda monſtroſiſſima ſua dogmata revocent & refricent, adeóque nefariè πρὸς ἰδίαν ἀπώλειαν iis abutantur, planum faciemus.

II. *A.* In *prima* acie eorum, qui Patrum authoritate abutuntur, collocandi ſunt ij, qui Patres vel [a] ſingulos, vel [b] omnes, pari authoritatis gradu cum Scriptura ſacra ambulare contendunt: id quod [c] verbo Dei, ſuffragiis [d] Patrum, rationi [e] ſanæ, ipſis denique rigidiſſimis [f] nonnunquam Pontificiis, diſplicet.

a. Ita aliquando ſenſit *Fridegiſius* Abbas, qui ſub Ludovico Pio Imperatore, ſeculo VIII. vixit. Ejusdem peccati manifeſtè reus eſt decreti *Gloſſator*, dum diſt.9. ait, *ſingulorum Patrum ſcripta ad ultimum uſque Iota, & ad unguem eſſe obſervanda. Verùm*, inquit, *Melchior Canus*, loc. comm. lib. VII. c.3. num.3. *error hic ab aliis confutatus non deſiderat orationem meam. Quis enim*, ſcribit *Alphonſus de Caſtro* adverſ. hæreſ. l.1. c.7. *ferat, ut hominem tam apertè mendacem non inſectetur?*

b. Eſt hæc tritiſſima Pontificiorum ſententia. Vnde *Mel. Can*. l. c. num. 10. *Quinta*, inquit, *concluſio eſt in expoſitione S. literarum; communis omnium ſanctorum veterum intelligentia certiſſimum argumentum Theologo præſtat ad Theologicas aſſertiones corroborandas. Quippe cùm ſanctorum omnium ſenſus Spiritus S. ſenſus ipſe ſit*. Sic & *Bail*. Ieſ. quæſt.11. de author. Patrum non tantùm Cani ſententiam confirmat, ſed etiam *doctorum teſtimonium, id eſt, authoritatem Patrum veram Herculis clavam appellat, qua hydra illa multorum capitum proſternantur*. Et clariùs *Alphonſ. de Caſtro* adverſ. hær. l.1. p.16. *Si igitur homines, quorum intereſt in Eccleſia docere, aliquam certam aſſertionem ſine repugnantia docuiſſe conſtiterit, erit procul dubio talis aſſertio velut Catholica, etiamſi Scripturæ locus ad eius comprobationem deeſſet. Nam id quod inter omnes convenit, etiamſi locorum aut temporum ſpatiis diſtent, cenſendum eſt totius Eccleſiæ eſſe fidem. Non enim à plebe fides diſcenda eſt, ſed à Patribus. Ea ergo, quam omnes Patres tradunt, fides Catholica eſt iudicanda, quoniam id ſonat Catholica Græcè, quod univerſalis Latinè*. Ita *Greg. de Valent*. anal. Cath. l. VIII. c.8. *Quòd addunt*, inquit, *hæretici; Patres interdum erraviſſe, ac inter ſe pugnare, id nihil nobis obſtat, non enim ſingulorum authoritatem ut infallibilem aſſerimus, ſed omnium*. Id etiam *Concil. Trid*. Seſſ.4. *Bellarm*. l.4. de verb. Dei c.7. & l.11. de Chriſto c.2. *VVadding*. in legat. pag.118. *Schult*. Bibl. Cathol. tit.1. pag.97. *Colloq. VVorm*. Seſſ.6. pag.61. *Leſſ. de Antichriſt*. præfat. ad Lectorem: *Quæcunque Patres una-*

unanimi conſenſu abſolutè affirmant, ea pro indubitatis habenda, etiamſi fortè non ita clarè ex Scripturis probari poſſe videantur. Quam quoque vim conſuetudini tribuit *Æne. Sylv.* Epiſt. 130. *Lindan. Panopl.* l. IV. p. 313. & 314. *Patrum aliquo in fidei capite concorditer conſentientium* authoritatem tuendam contra Melanchthonem clamat.

c. Eſt enim ſola Scriptura S. ὁ λόγος τῆς ἀληθείας, qui nec additionem patitur, nec detractionem, Deut. 4. 2. Sunt S. literæ τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, à quibus ne transverſum quidem unguem diſcedere licet, adeò ut ſi vel Angelus è cœlo aliud attulerit Evangelium, præter id, quod præconiârunt Apoſtoli, anathema ſit, Galat. c. 1. Quòd ſi igitur Patres ſive ſinguli, ſive omnes aliquid aſſerunt, quod τῇ ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαινόντων λόγων è diametro repugnet, non tantùm non pari loco cum verbis Scripturæ non habemus, ſed ne recipimus quidem, recenti memoria recolentes illud, 2. Theſſ. 2. v. 1.

d. Auguſt. prolog. l. 3. de Trinit. *Noli*, inquit, *meis literis quaſi Canonicis inſervire, ſed in illis, quæ non credebas, cùm inveneris incunctanter crede: in iſtis autem quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmiter credere.* Et ad Hier. epiſt. 19. *Ego verò fateor charitati tuæ, ſolis iis ſcripturarum libris, qui iam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, ut nullum eorum ſcribendo aliquid erràſſe firmiſſimè credam, &c. Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate quantalibétve doctrina præpolleant, non ideo verum putem, quia ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per alios authores Canonicos, vel probabiles rationes, quòd à veritate non abhorreat, perſuadere potuerint.* Vide etiam ad *Vincentium Victorem* l. 2. & ad *Paulin.* epiſt. 112. Item *contra Creſconium Grammaticum* l. 2. c. 32. Sic *Ambroſ.* de Incarn. Dominicæ ſacramento c. 3. *Nolo nobis credatur, Scriptura recitetur.* Et *Cyril. Hieroſ.* Catechumenum ſuum ita alloquitur. *Ne mihi quidem ſimpliciter proferenti fidem habeas, niſi de Scripturis divinis eorum, quæ dicam, demonſtrationem accipias.* Idem

Catech. 12.p.248. Vide etiam *Baſil.* lib. Moral. Reg. 4. *Hieron.* Apolog.contra Iovian.

e. Sive enim authoritati Patrum ſigillatim, ſive conjunctim conſideratorum, quæ Pontificiorum conſtans eſt ſententia, tantum deferatur, quantum Canonicis utriusque Teſt. libris, rationes utrinque contra militant momentoſæ, *Contra unanimem Patrum conſenſum* ſufficiat dixiſſe, eum nullum eſſe, nec in rerum natura exiſtere. Excutiantur omnes omnium Bibliothecarum foruli, nec tamen omnium Patrum ſcripta unquam extorquebuntur, tum quòd non omnes Eccleſiarum Doctores ſcripſerint, tum quòd lucubrationum eorum vix pars milleſima ad noſtram hanc ætatem incolumis pervenerit & illibata.

Singulorum verò authoritatem in rebus Theologicis [illegible] ſequentes convellunt rationes.

1. Quia Patres de aliorum ſcriptis liberrimè judicantes in nullius jurare voluerunt verba. *Meum propoſitum eſt*, inquit, *Hier.* t.3.p.307.*antiquos legere,probare ſingula, retinere quæ bona ſunt,& à fide Catholicæ Eccleſiæ non recedere.* Id.ep.76.ad Tranq.t.2.p.485.B.*Ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror,quomodo Tertullianum, Novatum, Apollinarium, Arnobium,& nonnullos Eccleſiaſticos ſcriptores Græcos pariter & Latinos,ut bona eorum eligamus,vitemúsque contraria,iuxta Apoſtolum dicentem,Omnia probate,quod bonum eſt,tenete.* Vnde etiam idem Hieronymus acri omnino cenſura ſcriptores quosvis maximos perſtringit. *Beatus Cyprianus*, inquit t.1.epiſt.13.p.123. *Scripturis divinis nequaquam diſſeruit.Inclyto Victorinus martyrio coronatus,quod intelligit,eloqui non poteſt. Lactantius utinam tam noſtra confirmare potuiſſet,quàm facilè aliena deſtruxit! Arnobius inæqualis & inimicus eſt,& absque operis ſui partitione confuſus. Sanctus Hilarius Gallicano Cothurno attollitur, & longis interdum periodis involvitur, & à lectione ſimpliciorum fratrum procul eſt.*

2. Quia in ſingulorum Patrum ſcriptis errores obſer-

vare

vare licet varios, eóſque vel multis *communes*, vel paucis *proprios*.

Communes ſunt: Chiliaſmus, de quo *Baron.* ad annum Chriſti 303. n. 127. *Millenariorum error toleratus fuiſſe videtur in Eccleſia uſque ad tempora Damaſi, quando eum ſtabilire conante Apollinari hæreſiarcha, ex decreto Apoſtolicæ ſedis fuit penitus condemnatus.* Vide *Lact.* inſtit. l. 7. c. 24. *Iuſtin. Martyr.* contra Tryphonem pag. 307. *Tertull.* l. 3. adv. Març. c. 24. & 58. Doctrina de libero arbitrio, de qua ad Auguſtini uſque tempora dubitanter ſatis & ambiguè, imò contra Scripturam ſacram, ſæpe veteres ſunt locuti. Communiter etiam Patres docuerunt, omnes animas in una communique cuſtodia detineri, *donec tempus adveniat, quo Maximus Iudex meritorum faciat examen.* Vide *Lact.* inſtit. l. 7. c. 21. *Irenæum* contra hæreſ. l. 5. c. 26. Multorum etiam animos occupavit abſoluta participationis Euchariſtiæ, ipſis quoque infantibus, neceſſitas. Vnde & puerulis in os ingerendam docuerunt. Vide *Nicol. de Lyra* ad Ioh. c. 6. Sed & hoc multis cum *Iuſtino Martyre* placuit, ὅτι οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες Χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης, καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. Ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ. *Ibid.* Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες καὶ βιοῦντες Χριστιανοί, καὶ ἄφοβοι, καὶ ἀτάραχοι ὑπάρχουσι. Conf. Caſaub. contra *Baron.* pag. 2. Quanto melius *Theodor.* in Catena Patrum Mſc. ad Geneſ. c. 38. πρὸ τοῦ νόμου ἦσαν πολλοὶ τῆς εὐσεβείας τρόφιμοι κατὰ πίστιν, οὐ κατὰ νόμον πολιτευόμενοι.

Proprii quibusdam errores plures ſunt, quàm quos anguſta hæc charta capiat. Sic *alii* nuptias ſecundas damnârunt, *Hieronymus* præſertim, qui aliquoties in digamiam acerbè ſatis invehitur, vide T. 9. f. 27. F. & T. 3. f. 23. A. B. *Alii* juramentum, legitimum etiam, improbârunt, vide *Epiphan.* hæreſ. 19. pag. 25. *Baſil.* Pſal. 14. & in aſceticis λόγῳ γ. pag. 247. *Alii* ipſa Apoſtolorum verba caſtigârunt: Sic *Hieronymus* comment. in epiſt. Tit. *Inſcriptio autem aræ non ita erat, ut Paulus aſſeruit:* Ignoto Deo, *ſed ita:* Deis Europæ, Aſiæ,

 Africæ,

Africæ, Deis ignotis & peregrinis. *Alii* Scripturam S. affectu quodam in ſanctos cæco, gloſſematis falſis inverterunt: *Hilarius* in verba Chriſti ad Petrum Matth. 16. cap. *Abſcede à me Satana, offendiculo es mihi*, ait, *non convenire, ut exiſtimemus, Petro Satana nomen deputari; ſed illi Chriſtum dixiſſe:* Vade retro poſt me, & nihil amplius. Cætera verò Diabolo, non illi, *Satana ſcandalo es mihi*. Idem quoque Hilarius in Matth. pene; planè autem *Ambroſius* comment. in Luc. l. 10. ubi Petrum ab omni culpa eximit, qui Chriſtum abnegavit: imò eum hoc nomine Ambroſius dilaudat. *Petrus reſpondit*, inquit, *non novi hominem: rectè denegavit hominem quem ſciebat Deum*. Sic Baſil. hom. *περὶ μετανοίας* pag. 437. Τρὶς ὁ πέτρος ἀρνεῖται, οὐχ ἵνα πέτρος πέσῃ, *ἀλλ' ἵνα συγχῇ καὶ παραμυθίαν. Clemens Alexand.* Hypotyp. 1. *Euſeb.* hiſtor. Eccleſ. l. 1. c. 13. quos ſequitur *Oecumenius* in Epiſt. ad Gal. c. 2. mandârunt literis, Petrum, cui Paulus reſtitit, non fuiſſe Petrum Apoſtolum, ſed alium, neſcio quem, ejuſdem nominis unum ex 70. diſcipulis. *Alii* res abjectas à providentiæ divinæ oculo exemerunt.' *Cæterum abſurdum eſt*, inquit Hieronym. comm. 1. in Habac. *ad hoc Dei deducere maieſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices quotve moriantur, quot nimirum & pulicum & muſcarum ſit in terra multitudo, quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum prædæ cedere debeant*. Vide plura in novitate Papiſmi *Molinæi* c. 49. *Rivet. Crit. Sac.* c. 9. de omnibus veterum; & p. 356. de Nyſſeni nævis.

f. Vnde *Gretſerus* Ieſ. de Iure ac more prohibendi libros noxios c. 10. *Eccleſiæ*, inquit, *pater ille dicitur, qui Eccleſiam ſalutari doctrina alit & paſcit, qui ſuper familiam Domini conſtitutus, dat ei in tempore tritici menſuram. Iam ergò ſi pro ſalutifero doctrinæ pabulo & pro menſura tritici offerat & admetiatur lolium & zizaniam & perverſorum dogmatum lappas & tribulos, eatenus non pater eſt, ſed vitricus, non doctor, ſed ſeductor*. Sic *Bellarminus* concil. l. 2. c. 12. *Scripta Patrum non ſunt regula, nec habent authoritatem obligandi.*

di. Et l. 3. de verbo Dei c. 10. aſſerit, *præcipuos ex Patribus in quibusdam non leviter lapſos eſſe.* De ſcriptorib. Eccleſ. p. 78. *Illud postremò addendum videtur, Tertulliani libros cum iudicio legendos, non eos tantùm, quos ſancto Hieronymo teſte, contra Eccleſiam propriè ſcripſit, ſed etiam librum adverſus Praxeam, librum de anima, librum adverſus Hermogenem, librum de carne Chriſti, & librum de pœnitentia. In his enim propoſitiones non pauca vel erroneæ, vel certè ſuſpectæ occurrunt.* Et *Duræus* Ieſ. pro Camp. contra Withaker. fol. 140. *Neque enim Patres cenſentur, cùm ſuum aliquid, quod ab Eccleſia non acceperant, vel ſcribunt, vel docent. Baron.* Card. ad ann. 34. S. 213. *Non omnes*, inquit, *qui loco Apoſtolorum ſucceſſerunt Epiſcopi, aſſecuti ſunt ſenſum & intelligentiam Scripturarum, vel eos ipſa ſemper excelluiſſe gratia fuerit neceſſarium. Nam ſanctiſſimos Patres, quos etiam Doctores Eccleſiæ ob ſublimem eorum eruditionem meritò nominamus, quantumlibet ea Sp. S. gratia præ cæteris imbutos eſſe liqueat, in interpretatione Scripturarum, non ſemper, ac in omnibus ſequitur Eccleſia Catholica.* Addatur & *Cornelii Muſſi* teſtimonium, quod ſequenti aphoriſmo ſubjicietur. Huc refer teſt. *Melch. Can.* loc. Theol. l. 7. c. 3. num. 4. *Legentur*, inquit, *à nobis Patres cum reverentia quidem, ſed ut homines cum delectu atque iudicio.* Vide plura de hac materia in panſtr. *Cham.* T. 1. l. 16. c. 9. & deinceps.

III. *Hic verò nota.* Utut Pontificii, Patres ubique jactent, eorûmque conſenſum in ſummo & penè divino authoritatis faſtigio collocent, jejunum tamen eſſe eorum, & crudum tantùm clamorem, cui praxis & experientia manifeſtiſſimè reclamet. Quotiescunq; enim authoritate Patrum vel ſingulorum, vel omnium

curiæ Rom. proceres premi ſe vident, eam vel ſuperciliosè [a] contemnunt, vel ad Scripturam S. [b] provocant, vel Pontificis [c] Romani examini ſubjiciunt. Modò authographa [d] accuſant, modò apographa [e] ſeu editiones, modò [f] exemplarium varietatem, modò ipſam Scriptorum authoritatem in dubium [g] vocant.

a. Rectè *Palingen*. l. 10. p. 278.
Pontifices nunc bella iuvant, ſunt cætera nugæ,
Nec præcepta Patrum, nec Chriſti dogmata curant.
Optimè enim *Pouelus* de Antichriſto pag. 247. *Mihi quidem videntur Papiſtæ Patres habere pro calculis ſupputatoriis, qui alio atque alio loco poſiti, modò talentum ſignificant, modò triobulum, pro arbitrio ſupputantis. Ita enim & iſti Patrum authoritatem modò ampliſſimam eſſe volunt, modò, ſi non ſatis placet, nullam omnino.* Confeſſionem *Cenſorum Belgicorum* in Indice expurgatorio ingenuam produximus alibi. Vide Panſtrat. *Cham*. T. 2. pag. 662. Certè Pontificios ne torrente quidem, ubi res eorum non ferunt, & inveteratus conſuetudinis error obſtat, Patrum moveri poſſe, ipſo jubare clarius eſt. Quis negat, uno ore Patres contendiſſe, Scripturam S. unicum Theologiæ Chriſtianæ eſſe principium, ſufficiens & ad ſalutem perfectum? An verò Pontificiis Patrum unanimiter ſentientium chorus hic placet? Vide *Pouel*. l. c. p. 241. *Perkinſ*. Cathol. ement. *Part.* 1. ὁδηγῶ c. 6. Dogma Patrum (de iis loquimur, quorum ſcripta noſtra vidit ætas) univerſale fuit, Laicis æquè ac clericis, viris pariter & mulieribus Scripturæ S. lectionem competere. Vide *Pouel*. p. 245. & ὁδηγῶ P. I. p. 52. Confeſſ. *Cyrilli* nuper à nobis editam. p. 475. Adde *Sixt. Sen*. Bibl. S. p. 491. Cur igitur eum, qui abſque ordinarii venia, lectioni Scr. S. vacat, flammis Pontificii expiant?

Vide

Vide ὁδηγὸν P. 1. p. 76. Patrum ὁμόψηφος fuit ſententia, infinitam & inviſibilem Dei eſſentiam, nulla exprimendam eſſe imagine, ut probant *Cham.* in Panſtrat. T. 2. p. 819. *Riv.* Cathol. Orthodoxo part. 1. pag. 529. *Rain.* de idol. Eccleſ. Rom. pag. 413. & in ὁδηγῷ part. 3. pag. 9. Cur igitur, ſi tanti eſt Pontificiis Patrum conſenſus, tam perfricta fronte & præfracta mente ipſa quotidie praxi huic veterum decreto & placito contradicunt? Probent, ſi poſſunt, communibus Patrum ſuffragiis, imaginibus templa ornanda; alteram in Cœna Domini ſpeciem, poculum nempe, plebi auferendam; Papam Rom. Oecumenicum totius Eccleſiæ militantis eſſe Epiſcopum. Sed ſolenne eſt adverſariis à Patribus recedere, & in controverſiis & in Scripturæ explicationibus, quotiescunque Eccleſiæ Romanæ hierarchiæ, aut dogmatibus ejus aliquid decedit, aut periculum imminet. Vide *Cham.* Panſtrat. T. 1. p. 602. *Calvin.* præfat. inſtit. & libell. cui tit. *La Voye ſeure* f. 12. p. 201. *Molinæi* novit. Papiſmi c. 49. & ipſum colloq. *VVormat.* pag. 61. *Hic admonitum velim,* ſcribit *Baron.* in Martyr. d. 18. Ianuar. f. *Lectorem, ne Socrati de Cyrillo ſæpius obloquenti lib. 7. c. 13. 14. 15. incautè nimis fidem adhibeat, nam Novatiana ſectæ homo fuit addictus.* Hinc, ſi *Bellarminum* authoritate Prudentii veteris poëtæ Chriſtiani preſſeris, reſpondebit, *more poëtico luſiſſe:* Si Tertulliani, *Hæreſiarcham fuiſſe,* ſi Lactantii, *in plures errores lapſum fuiſſe,* ſi Victorini, *Martyrem quidem fuiſſe, ſed ei eruditionem defuiſſe, licèt eruditionis voluntas non defuerit.* Authorem quæſtionum apud Juſtin. Martyrem, & aliarum apud Athanaſium, item quæſt. V. & N. Teſtamenti apud Auguſtin. Procopium, Eucherium & Iſidorum, *eſſe omnes authores incertos & obſcuros.* Euthymium in ſent. de beat. ſanct. *non eſſe magnifaciendum.* Sic *Lud. Carbaialus* de reſt. Theol. cap. 18. utne Canonem Scripturæ à Pontificiis receptum ex Hieronymo emendare cogeretur, *neque Hieronymus,* inquit, *qui errare potuit, eſt norma fidei aut librorum.* *Baronius* Theodoreto ne ea quidem de Ἀγγελολάτραις largitur, quæ per αὐτοψίαν habe-

habere, Bellarminus verò negare non poterat, *Riv.* Crit.Sac.pag.457.*Vno verbo, ſæpe invenies,* ſcribit *Rud. Lavat.* in καταβάσει εἰς ᾅδου pag. 70. *modernos doctores diſcedere à dictis ſanctorum. Dicit enim Robert. Olchot, quòd ſanctus vir Anſelmus in multis deceptus propter ignorantiam Logicæ. Et Ocham de actibus Hierarchicis non ſentit cum Dionyſio. Auguſtinus*, quo pridem apud Pontificem & Pontificios fuerit loco, habes in Riv. Cathol. Orthod. T. 1.p.365. *Anſelmus* Comment. 2.Epiſt.ad Corinth. *in libris Sanctorum Doctorum, quos authenticè legit Eccleſia, nonnunquam inveniuntur prava vel hæretica. Sixt. Senens.* præfat.lib.5. Biblioth. *Veteres dum unum errorem omnium virium conatu deſtruere annituntur, ſæpe in alterum errorem vel deciderunt, vel quodammodò decidiſſe videntur agricolarum more, qui incurvum teneræ arboris ſtipitem corrigere volentes, immodica nonnunquam attractione modum excedunt, plantámque in contrariam, diverſam, deducunt formam.*

*b. Thomas de Vio,Caiet.*Cardin. præfat. in Pentateuchum, *ſi quando*, inquit, *occurrit novus ſenſus textui conſonus, nec à S.Scriptura, nec ab Eccleſiæ doctrina diſſonus, quamvis à torrente doctorum ſanctorum alienus, rogo lectores omnes, ne præcipites deteſtentur, ſed æquos ſe præbeant cenſores. Meminerint ius ſuum unicuique tribuere. Solis Scripturæ authoribus reſervata authoritas hæc, ut ideo ſic credamus eſſe, quia ipſi ita ſcripſerunt. Alios autem, inquit Auguſtinus, ita lego, ut quantalibet ſanctitate præpolleant doctrináque, non ideo credam ſic eſſe, quia ipſi ita ſcripſerunt. Nullus itaque deteſtetur novum ſacræ Scripturæ ſenſum, ex hoc quod diſſonat priſcis doctoribus: ſed ſcrutetur perſpicacius textum ac contextum Scripturæ, & ſi quadrare invenerit, laudet Deum, qui non alligavit expoſitionem Scripturarum S. priſcorum doctorum ſenſibus, ſed Scripturæ ipſi integræ ſub Catholicæ Eccleſiæ cenſura. Petav.* in Epiphan.p.110. *Nec eſt*, inquit, *quod certorum Patrum opponatur authoritas, qui non aliud affirmare poſſunt,*

quàm

quàm quod ex Luca didicerunt, neque eſt ulla ratio, cur ex eorum verbis Lucam interpretemur potiùs, quàm ex Luca, quæ ex illis aſſeverari videntur.

c. Epiſcopus Bitontin. in Epiſt.ad Rom. c. 14. p.606. *A quo quærenda ſunt divina conſilia, niſi ab illis, quibus myſteriorum Dei diſpenſatio credita eſt? Quem ergo pro Deo habemus in his, quæ Dei ſunt, quicquid ipſe dixerit, tanquam Deum audire debemus. Ego, ut ingenuè fatear, plus uni ſummo Pontifici crederem in his quæ fidei myſteria tangunt, quàm mille Auguſtinis, Hieronymis, Gregoriis, ne dicam Ricardis, Scotis, Guilielmis. Credo enim, & ſcio, quòd ſummus Pontifex, in his quæ fidei ſunt, errare non poteſt, quoniam authoritas determinandi, quæ ad fidem ſpectant, in Pontifice reſidet.*

d. Ipſa nonnunquam exemplaria Latina Græcis præferunt, Doctorum etiam Græcorum. *Unum hoc loco monendum videtur*, ſcribit Bellarminus de ſcript. Eccleſ. in S.Ignatio, *non eſſe magnam fidem habendam codicibus Græcis, qui nunc extant, quando diſcrepant à Latinis: ſæpe enim emendatiores inveniuntur Codices Latini, quàm Græci: quod verum eſſe intelliget, qui conferet teſtimonia, quæ ex Ignatio citant Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum, & Theodoretus in Dialogis cum verbis eiuſdem Ignatii, quæ nunc habentur in Codicibus Latinis & Græcis.* Idem repetit lib.4. de Euchariſt. cap. 26. cui reſpondet *Rivet.* in Crit. pag. 188. Ad ſingularia etiam ejuſmodi exemplaria confugit *Baronius*, probare juſſus, ubi ſe Leo appellârit Epiſcopum univerſalem, quod Gregorius expreſsè neget: *Idem* pag.461.

e. Ignatius, Epiſtolâ ad Philadelph. diſertè Paulum cum aliis Apoſtolis, qui nuptiis operam dederunt, recenſet. Clamat Baronius, *impoſturas eſſe, & fraudes Novatorum* (a.ch. 27. S.54.) *antiquiores Græcos & Latinos Codices Vaticanos & Sfortianos non habere nomen Pauli:* Sed quàm hæc ſit injuſta querela Cardinalis, monſtravit *Rivetus* Crit.Sac.pag.188.

f. Id quod tum cumprimis obtingere poteſt, cùm verſioni-

ſionibus illi ſuis vel etiam Editionibus non modò adhærent, ſed & nobis eaſdem obtrudunt. Quanto verò hoc cum diſcrimine ſit conjunctum, abundè probavimus *Introduct. ad Lect.* Pat. pag. 330. Luculentum aliud addit ex Ephrem. Theopolitano, ſeu Antiocheno Epiſcopo *Rivet.* in Crit. Sac. pag. 475. Is in oratione de ſacris Antiochiæ legibus, utitur ſimili à baptiſmo ducto, eodem ſenſu quo alii ab Euchariſtia. Propoſita enim veritate duarum in Chriſto naturarum ſine confuſione, aut ſubſtantiarum & proprietatum, addit, ὅυτω καὶ παρὰ τῶν πιστῶν λαμβανόμενον σῶμα Χριστοῦ καὶ τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται, καὶ τῆς νοητῆς ἀδιαίρετον μένει χάριτος. Καὶ τὸ βάπτισμα δὲ πνευματικὸν ὅλον γινόμενον, καὶ ἓν ὑπάρχον, καὶ τὸ ἴδιον, τῆς αἰσθητῆς οὐσίας, τοῦ ὕδατος λέγω, καὶ ὃ γέγονεν οὐκ ἀπώλεσεν, id eſt, *Sic & quod à fidelibus ſumitur corpus Chriſti & ſenſibilem Eſſentiam non mutat, vel à ſenſibili Eſſentia non degenerat, & indiviſum à gratia indiviſibili manet. Et baptiſma ſpirituale totum factum, & unum exiſtens, etiam proprium ſenſibilis ſubſtantiæ, aquæ dico, ſervat, & quod factum eſt non perdit.* Qui locus, in ſe perſpicuus miſerè corruptus fuit ab *Andrea Schotto* Ieſuita, cùm videret ejùs ſanam interpretationem evertere Tranſſubſtantiationem. Ideo verba illa τῆς αἰσθητῆς οὐσίας οὐκ ἐξίσταται vertit, *ſenſibilis Eſſentia non cognoſcitur*, cùm notum ſit, verbum ἐξίσταμαι idem eſſe ac, *degenero, de ſtatu deiicior, &c.* Vide *Crit. Riv.* pag. 476.

g. Id quod longa inductione probat *Robert.* Coc. præfat. Cenſuræ ſuæ, quam tanquam Prologum Galeatum præfigere conſtituimus Elencho ſcriptorum ſuppoſititiorum.

IV. *B.* Non levi, *ſecundò*, injuria afficiunt Patres, ſcriptisque eorum abutuntur, qui omnia ea, quæ vel [a] Gentiliſmi, vel [b] Judaiſmi, poſt converſionem ſuam, reti-

retinuerunt rudera, non defendunt tantùm, ſed & ijsdem errores ſuos incruſtant.

a. De Eccleſiæ primitivæ Patribus hoc eſt obſervandum, quòd vel ex Hebræorum, vel Gentilium ſcholis decedentes nomen dederint Chriſto: Initiatis autem Chriſtianorum dogmatis, ſubinde aliquid veteris ſuperſtitionis, ſive Iudaicæ, ſive Gentilis hæſerit. Et, ut de *Philoſophorum* ſeu *Gentilium* reliquiis primò dicamus, verè *Melch. Can.* loc. commun. l. 7. c. 3. ſcribit, *alii verò Patres magna ex parte fuêre Platonici, priusquam converterentur ad fidem. Quamobrem cùm in Philoſophia quaſtiones incidunt, aut vulgi & Rhetorum opiniones ſequuntur, aut etiam, quas à Platonicis acceperant, in Chriſtianorum Scholam invehunt; Ita viri docti errores fortè quosdam (quod ad Philoſophiam quidem humanam attinet) in ſanctis antiquis deprehendunt.* Tales fuerunt Iuſtinus Martyr, Athenagoras, Tatianus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, aliique Scholæ Alexandrinæ, Platonicis ſtudiis addictiſſimæ, plerique alumni aut Profeſſores. Verùm, non de Philoſophia tantùm, ſed & Theologia cum *Melchiore Cano* queri nos ita poſſe, planum nunc faciemus. *Epiphan.* de hæreſ. 32. pag. 35. 255. 257. 20. ingenuè fatetur, Origenem & alios, *ἐξ ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας, καὶ κενοπαθείας ἀπὸ τῶν ἑλλήνων ἐνθρομένου διδασκαλίας* multa invexiſſe. Vnde, quæſo, recepta veterum opinio, *animas in loco aliquo detineri ſubterraneo?* Lavaterus reſpondet libr. de deſc. ad inf. part. 4. c. 4. pag. 555. *Græcos hoſce Philoſophos & Poëtas imitati ſunt ipſi vetuſtiſſimi Patres Græci & Latini: qui plerique omnes Platoni fuerunt addictiſſimi: Iuſtinum Martyrem, Tertullianum, Auguſtinum, & alios Platonis inſtituta adoleſcentes imbibiſſe certum eſt, & ex parte iam antea demonſtratum. Qui cùm adoleſcentes ex Platonis ſchola Vlyſſis, & aliorum deſcenſum ad inferos hauſiſſent, & locis quibusdam Scripturæ*

ad

ad eundemq; propugnandum abuſi eſſent, paulatim dogma Platonicum & Homericum Eccleſiam Chriſtianam invaſit & pervaſit, non ſecus ac Purgatorium tempore Macchabaeorum ex eadem Platonis ſchola in Eccleſiam Iudaicam invectum fuit. Et mirum eſt, Tertullianus & alij, num quadam Scripturæ loca ex Platonis doctrina, an verò Platonis doctrinam ex quibusdam Scripturæ locis explicare voluerint, quorum utrumque graviſſimis argumentis in utramque partem diſputari poſſet. Vnde Epiphanius contra Lucianiſtas, & Athanaſius contra Apollinariſtas ex communi tum temporis, jam antiquato errore hoc ipſo articulo, ad defendendam animam Ieſu Chriſti, uſi ſunt, vel quòd ab anteceſſoribus de migratione animarum poſt obitum in infernum ex Platonis ſchola edocti eſſent, vel quòd vero ſimilius, ex communi & à vulgo tum recepta opinione, adverſarios ſuos conſtringerent & confutarent. Vult tamen *Camero*, (ut videre eſt, pag. 171. in operibus ejus) hauſiſſe Patres Auguſtinum, Tertullianum, Ambroſium, & alios hunc errorem ex ſchola Phariſaica. Quid? quòd Patres Gentilibus etiam extra Chriſtum ſalutem addixerint? Ita *Irenæus, Iuſtinus, Tertullianus, Lactantius, Cyprianus*, alii, ad *Auguſtinum*, qui apertè hunc errorem refellit. Sic etiam *Clemens Alexandr*. ſtrom. l. 1. pag. 99. edit Florent. ἦν μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία, νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται. *Et mox*: ἐπαιδαγώγει γὰρ καὶ αὐτὴ τὸ ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τοὺς Ἑβραίους εἰς χριστόν. *Ibid*. pag. 117. καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας. *Idem* l. 6. ſtrom. p. 278. τὴν δὲ φιλοσοφίαν καὶ μᾶλλον Ἕλλησιν οἷον διαθήκην οἰκείαν αὐτοῖς δεδόσθαι, ὑποβάθραν οὖσαν τῆς κατὰ χριστὸν φιλοσοφίας. *Idem* pag. 268. καθάπερ Ἰουδαίους σώζεσθαι ἐβούλετο ὁ Θεὸς τοὺς προφήτας διδοὺς, οὕτως καὶ τῶν Ἑλλήνων τοὺς δοκιμωτάτους οἰκείους αὐτῶν τῇ διαλέκτῳ προφήτας ἀναστήσας. Cur, inquam, tam magnificè de hac Platonis Philoſophia Patres ſenſerunt? Nectare nempe illius ita inebriati multi erant, ut exiſtimârint, non tantùm Platonem ſua habuiſſe à Moſe, *Iuſtin. Martyr*. Apol. 2. pag. 152. ſed etiam

expreſsè affirmârint, ὅτι οὐχ ἀλλοτρία ἐςὶ τὰ Πλάτωνι διδάγματα τοῦ χριςοῦ, ἀλλ' οὐ πάντη ὅμοια.

De libero arbitrio conſtat (verba ſunt *Rudolphi Hoſp.* orat.de orig.cerem. pag. 56.) *omnibus hoc ferè vitium fuiſſe, quòd viribus humanis nimium tribuerent.* Hinc *Iuſtin.Mart.* Apolog.11. εἰ μὴ προαιρέσει ἐλευθέρᾳ πρὸς τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος ἀναίτιόν ἐςι τῶν ὅπως δήποτε πραττομένων. Et *Tatian.* Ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως, ὅπως ὁ μὲν φαῦλος δικαίως κολάζηται, δι' αὐτὸν γεγονὼς μοχθηρὸς, ὁ δὲ δίκαιος ἐπαινῆται καὶ τὸ αὐτεξούσιον τοῦ θεοῦ μὴ παραβὰς τὸ βούλημα. Et ſic ſæpe alij loquuntur Patres uſque ad tempora Auguſtini, qui licet acerrimè ſe huic oppoſuerit errori, ita tamen altas egit radices, ut facilè eximi non potuerit. Vnde verò hic error? *Ex ſchola Platonica*, inquit; *Abrah. Scult.* Med. Patr.pag.48. t. 1. Illa *magnifica de αὐτεξουσίῳ opinio prodiit.* Neque profectò dubitandum; Cùm non tantùm res, ſed & voces αἵρεσις, αὐτεξούσιον, τὸ ἐφ' ἡμῖν, *Iuſtino Martyri,Tatiano,Baſilio*,& aliis,non ſecus ac Philoſophis,notiſſimæ.Legantur *Simplicij* comment. in *Epictet.* pag.182. & ſequent. ubi ovum ovo vix ſimilius, quàm ſtylus Patrum ſtylo Simplicij. Ex hoc autem abſurdo alia plurima, ut Theologi rectè obſervant, ſequuntur. Vitiatur enim Iuſtificatio per fidem gratuita, quam illi bonis operibus aſcribunt, prout ex *Chryſoſtomi* Hom. in Ioh.c.6. liquet, qui noſtram voluntatem in converſione ad Deum cooperari aſſeverat. Hæc tamen à Chryſoſtomo Philoſophicè dicta, molliùs longè & melius explicantur alibi, inprimis *Epiſt.ad Rom.* cap. 5. Cujus quidem rei rationem reddit *Calvin.* Inſtit.lib.11. cap.2.S.4. *ne ſi impotentiam diſertè eſſent confeſſi, primùm Philoſophorum ipſorum cachinnos, (quibuscum tum certamen habebant) excuterent; deinde carni ſuapte ſponte nimis ad bonum torpenti nova deſidia occaſionem præberent. Religionis doctrina*, rectè obſervat Perkinſ.Cathol. ement.pag.91. *à multis flexa eſt & formata ad opiniones Gentilium. Caſſander in appendice libri, de defenſione libelli, de officio pij viri*: Non poſſumus

mus, *inquit*, inficiari, veteres Chriſtianos, admirabili conſenſu, quod de jure non Romanorum modò, ſed & aliarum gentium dictum olim fuit: partim eſſe ſcriptum, partim non ſcriptum, hoc eſt, ἔγγραφον καὶ ἄγραφον, id dixiſſe etiam de jure ſuorum ſacrorum. Græci illis ipſis verbis utuntur, ut Clemens Alexandrinus, Baſilius, Epiphanius, Dionyſius. *Et Patres*, ne doctrina Eccleſiæ horridior videretur, inflectunt eam ad diſputationes Phyſicas: & locos de peccato, de libero arbitrio, de fide, tractant magis Philoſophicè, quàm Theologicè, ut Athanaſius in lib. contra Idola, & Clemens, 7. στρω. Conſilia ſupererogationis nihil ſunt aliud, quàm Philoſophorum illud κατόρθωμα. Doctrina de Purgatorio traducta eſt in Eccleſiam è ſcriptis Gentilium. Nam Philoſophi & Poëtæ primi, de pœnis Purgatorij poſt mortem ſcripſerunt, ut Plato lib. 10. de Rep. Virg. Æneid. 6. Ovid. Metamorph. 15. Auguſt. de Civit. Dei lib. 21. c. 13. Platonici, inquit, quamvis nulla impunita velint eſſe peccata; tamen omnes pœnas emendationi adhiberi putant, vel humanis legibus inflictas, vel divinis, ſive in hac vita, ſive poſt mortem. II. Gentilium ritus paulum mutati, transferuntur à Chriſtianis in cultum Dei. Conſuetudo multorum fuit, ut ad memorias Martyrum epulas facerent; & hæc à gentilitate ducta conſuetudo eſt. Auguſtin. Confeſſ. lib. 6. c. 2. Gregorius Thaumaturgus Gentilium ferias in feſta Sanctorum Martyrum mutavit, Greg. Nyſſen. de vita Gregor. Thaumat. Permiſit etiam memorias Martyrum, ne vulgus imperitum propter voluptates in errore ſimulachrorum permanerent. Theodoret. de Evangel. verit. cognitione lib. 8. Pro Pandijs, & Diaſiis, & Dionyſiis, hoc eſt, Iovis Liberique Patris ſolennitatibus, Petro Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio aliiſque ſanctis Martyribus ſolennitates populari epulo peraguntur. Structura Simulachrorum & imaginum Gentilis fuit conſuetudo, Euſeb. lib. 7. c. 17. Hiſt. Eccleſ. & ex more Ethnico thus & Cerei ad eas accendebantur, Cicer. offic. lib. 3. Vigiliæ anniverſariæ prius receptæ fuerunt à gentibus,

bus, quàm ab Eccleſia,ut patet è Suetonio in Veſpaſ.c.7. Item Aſperſio aquæ luſtralis, Iuvenal. Satyr.6.quam Sozom.lib.6.c.6. apertè ait, gentilem eſſe ritum. Item accenſio lucernarum de die,Senec. lib. 14.Epiſt. 15. Item raſura capillorum. Apulejus de aureo aſino lib. 11. ait, ſacerdotibus Iſidis capillum fuiſſe deraſum, & vertices prænitentes. Ruffinus Hiſt.lib.2. c. 29. ait, pro thoracibus Serapidis,crucis Dominicæ ſignum unumquemque in poſtibus, ingreſſibus, feneſtris, in parietibus, in columnis depinxiſſe: Item pro Labaro poſuit ſignum crucis Conſtantinus, Sozom.lib.1.c.5.

b. Sed & *Iudæorum* fabulas anſam multarum σκολιοδοξιῶν præbuiſſe, obiter indicat *Perkins.* ement. Catholic.pag.94.Confer.1.*Part.Analect.*p.28,Nos pleniorem hujus lemmatis ſubjiciemus explicationem. Chiliaſmum (quem συμφώνως in Aſia Hieropolitanus Epiſc. *Papias*,& ejus in eodem epiſcopatu ſucceſſor *Apollinaris*,inGallia *Irenæus*,inAquitania *Victorinus*,inTuronib. *Sulpitius Severus*, in Africa *Tertullianus*, & *Lactantius*, in ipſa urbe Roma *Iuſtinus Martyr*, & alii alibi amplexi ſunt) Patres iſti unde hauſerunt? *Fabulam*, ait *Hieron.* l. 11. in Ezech. *ex Iudaicis fabulis conſutam, quas δευτερώσεις appellant, quâ aurea de cœlo Hieruſalem exſpectabatur.* Auctus deinde hic error ex obſcuris quibusdam Ἀποκαλύψεως locis, quem eruditè, præter alios, explicavit *Anton. VValæus* in loc.comm. p. 1073. De origine varióque Chiliaſtarum diſcrimine compendiosè diximus in *Hiſt.Eccleſ.* Sec. III. pag. 156. Confer *Bar. Martyrol. Rom.* pag. 147. Hæc ſententia quomodo paulatim à Iudæis ad Chriſtianos tranſierit, paulò fuſius expendamus. Gemina autem nobis ocurrit conjectura, quarum neutra longè petita videtur. *Prima* deſumta eſt à duratione Regni Meſſiæ. Præter cæteras Iudæorum de Meſſia diſputationes curioſas, non minima erat quam ventilalabant de ejus μονῆ. Veſtigia ejus extant *Ioh.* 12. v. 34. ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ χριστὸς μένει (id eſt, *vivit*, ex formula Talmudicorum, quibus קים eſt *vivens, ſuperſtes*, quod Syrus non attendit)

εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ πῶς σὺ λέγεις, δεῖ ὑψωθῆναι (id eſt, *in crucem ſuſtolli* : ex ambiguitate enim vocis זקף natus Helleniſmus,) τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, id eſt, *me*, ut Rabbini olim loquebantur האי ברנשא, Vnde vulgata veterum Iudæorum opinio; Meſſiam non moriturum; τεκμήριον erat: quo multi ſpem de ſe conceptam fallebant. In *Bereſch. Rabba*, Par. 98.| היה אבינו יעקב רואה אותו וסבור בו שהוא המלך המשיח כיון שראה אותו שמרת אמר אף זה מרת *Vidit illum* (Samſonem) *Pater noſter Iacobus, ratusque eſt, eum eſſe Meſſiam Regem. Sed cùm animadverteret, eum moriturum, dixit: Etiam hic mortuus eſt.* Nolebant ergo, Meſſiam, filium David, communi mortis fato & lege teneri. Quàm verò diu Meſſiæ dies duraturi eſſent, inter ipſos convenire non poterat. *Domus Eliæ* bis mille annos ei tribuit, juxta traditionem, quam Append. Grammat. Chald. Syr. pag. 160. inſeruimus. *Alij* tamen aliter. *Gem. Sanhed.* c. 11. S. 37. תניא אידך ר׳אליעזר אומר ימות המשיח ארבעים שנה כתיב בהכא ויענך וירעיבך ויאכילך וכתיב התם שמחנו כימות עניתנו וגו׳ר׳ דוסא אומר ר׳ מאות שנה כתיב שמחנו כימות וגו׳ וכתיב ועבדום וענו אותם ארבע מאות שנה רבי אומר שסה שנה כמנין ימות החמה שנ׳ כי יום נקם בלבי מאי יום נקם בלבי אמר ר׳ יוחנן ללבי גליתי לאיברי לא גליתי ר׳ שמעון בן לקיש אומר ללבי גליתי למלאכי השרת לא גליתי תני אבימי בריה דרבי אבהי ימות המשיח לישראל שבעת אלפים שנה שנ׳ כמשוש חתן על כלה ישיש עליך אלהיך אמר רב יהודה אמר שמואל

ימות

מורת המשיח כמיום שנברא העולם ועד עכשיו שנאמ׳ כימי השמים על הארץ רב נחמן בר יצחק אמר כימי נח עד עכשיו שנ׳ כי מי נח זארת לי אשר נשבעתי אמר ר׳ חייא בר אבא אמר ר׳ יוחנן כל הנביאם לא נתנבאו אלא לימות המשיח. *Traditio alia R. Eleeſer ait: Dies Meſſiæ quadraginta anni, ſcriptum enim eſt:* Afflixit te (Deut.8.3.) fecit te ut eſurires, & cibavit te. *Rurſus alibi*; Exhilara nos (Pſal. 90.15.) vicem dierum, quibus afflixit nos. *R. Duſa: Quadringenti anni. Nam Scriptura ait:* Exhilara nos ſicut diebus,&c. Et ſervient illis (Geneſ.15.13.) qui affligent illos quadringentos annos. *Rabbi: 365. anni, pro numero periodi dierum ſolis, q. d.* Nam dies (Ieſ. 63.4.) vindictæ in corde meo. *Quid hic dies ultionis in corde meo? R. Iohannes ait: Cordi meo manifeſtum feci, membris meis non revelavi. R. Simeon fil. Lakiſch: Cordi meo patefeci, angelis Miniſterij non aperui. Tradit Abimi, fil. Raf Afhu: Dies, quo Chriſtum habiturus eſt Iſrael, ſepties mille anni* q.d. Et gaudium (Ieſ.62.8.) ſponſi ob ſponſam gaudebit ob te Deus tuus. *Raf Iehuda refert, dixiſſe Samuelem; Dies Chriſti totidem, quot fluxerunt à conditu mundi huc uſque q. d.* Velut dies (Deut. 11.21.) cæli ſuper terram. *R. Nachman. Quot à Noacho, hucuſque q. d.* Nam aquarum Noæ (Eſ. 54.9.) hoc mihi erit, quod juravi, &c. *Raf. Chaiim, verbis R. Iohannis:* Omnes Prophetæ non ſunt vaticinati, niſi de diebus Meſſiæ,&c. Quid verò dierum Meſſiæ nomine intelligant, aut quid ſibi polliceantur, prolixè videre licet, apud *Maim.* in Miſch. P.4. tract. ult. c. 11. & 12. compendiosè in *Gramm. noſt. Chaldæo-Syr.* p. 164.& 219. ex ארם שבלי. Omnia variantium ſententiarum divortia ad tres revocare poterimus claſſes. *Quidam* fortunatas ſibi Inſulas, omnium rerum corporalium affluentiam, licentiam & libidinem Meſſiæ tempore fingebant. *Alij* ſpirituales delicias, ſtudium

legis, liberationem à peccato, urbis & templi Hieroſolymitani reædificationem, imperium quietum diebus Meſſiæ expectabant. *Tertij* denique mixtum aliquod regimen ex utroque ſomniabant. Atque horum ſententia ferè obtinuit apud pleroſque viros eruditos. Hæc Iudæorum de Meſſiæ diebus diverſa Iudicia, diverſum in Chriſtianiſmo pepererunt chiliaſmum, ceu diſtinctè monuimus, *Hiſt. Eccl.* libro citato. Alteram conjecturam oſtendemus, in diſtinctione temporum retributionis, cujuſmodi Rabbini tria nobis tradunt. Qua de re perſpicuè Clariſſ. *Cocc. Not. in Gem. Sanhed.* c. 11. p. 381. *Horum primum*, inquit, *eſt* עולם הזה ἔτος ὁ αἰών. *Videntur tamen quidam ad dubitare, an præmium pietati promiſſum cum ſtatu huius vitæ quicquam habeat commune, ſed, quia pij in hac vita afflictionibus pluribus ferè ſubiecti ſunt, ideo præcipuè, ſi non inſolidum, merces ad alteram vitam pertinere videtur. Ea vita dicitur* עולם הבא ſeculum venturum. *Is eſt ſtatus beatus hominus poſt mortem. Ea beatitudo omnino ſingulos pios manet. Lex quidem corporalia & tranſitoria, quantum ad ſingulos, præmia pollicetur, quia univerſitatem populi Dei reſpicit, quæ ex maiori aut inſigniori parte iudicatur. Ita fiet, ut corporalia promiſſa illis univerſis obtingant; licèt quidam inter illos ſint, qui alterius vitæ hæredes non ſunt futuri. Attamen nec ſpirituale præmium obliviſcitur, quando de ſingulis ſermo eſt*, uti Exod. 20. 11. (vide *Anal.* P. 1. pag. 229. & *Saned. Cocc.* 318. de μισθαποδοσίᾳ futuri ſeculi) *Levit.* 18. 5. *quæ faciens homo vivet per ea. Ægyptus inſtitutis, ſuis floruit inſtar cæterarum gentium, nec minus longævos homines habuit. Sed ea inſtituta perfectionem & vitam veram homini non quiverunt præſtare. Intelligitur ergò, quæ vita hic promittitur obſervatoribus legis divinæ, licèt eius obſervatio cum multiplici moleſtia coniuncta ſit, ſempiterna & beata vita eſſe. Ea enim demum vera vita eſt. Quare & Onkeloſius*, & vivet per illam vitam ſeculi. Item *Deut.* 14. 1. Filii eſtis Deo: ne incidite vos, neque ponite calvitium inter oculos, ob

mor-

mortuum. Nam populus ſanctus eſtis. *Imò eò magis lugendum eſt, ſi ita eſt. Filium familiâs maiore luctu proſequimur, quàm mancipium aut pecus. Quæ iſta cauſa minuendi luctus?* Nimirum, *quòd Deus filios ſuos, ſanctos & electos, rebus vanis exemtos, ex morte in vitam transtulit. Luctus igitur ob illum ſit, tanquam ob fractum vas aureum, quod reparari & denuò conflari poteſt. Reconditur enim in theſauris regis. Rex ſanctus, miniſtri eius angeli ſancti, horum coniunctione gaudet anima ſancta. Ita Moſes Legem clauſurus* Deut. 32. v. 47. quando dicit: Nam hæc eſt vita veſtra; animæ ſalutem ſine dubio innuit. *Neque alia mens Davidis* Pſalmo 25. 14. cùm ait: Anima ejus in bono pernoctabit, *nec Solomonis, dicentis:* Sperat autem in morte ſua juſtus. Prov. 14. 32. *Apud Eſaiam verò c. 57. 18. Deus ipſe peccatori reſipiſcenti exemto ſanationem & lugentibus ipſum conſolationem pollicetur: atque idem apud Zachariam c. 3. 7. Iehoſua ſacerdoti; ſe ipſi daturum, qui deducerent inter ſtantes illos apparitores divinæ Maieſtatis. Summa eſt, Legem corporalia univerſis, ſpiritualia ſingulis promittere. Hæc, ne ſemper nugas tractaremus, libuit colligere ex libro Ikkarim* cap. 40. Serm. 4. *Patet igitur, eſſe vitam aliam animæ, poſt mortem exſpectandam. Interim non convenit inter Iudæos, ſitne corpus eius gloriæ particeps futurum, annon. Ioſephus ille Albus negat cum Maimonide. His* תחיית המתים *eſt animæ* διαμονὴ ϗ μακαριότης. *Alij contra animæ corpori iunctæ plenam fore & conſummatam beatitudinem, ad eam perveniri per reſurrectionem mortuorum generalem; ante id tempus eſſe animas* גנוזות תחת כסא הכבוד *reconditas ſub ſolio gloriæ, & in paradiſo. Non proferemus argumenta quibus inter ſe velitantur: ſed ſententiarum enarratione contenti erimus. Qui Maimonidem ſequuntur, tres gradus felicitatis animæ poſt mortem corporis tribuunt: quorum* primus *duret* XII. *menſes; quo tempore anima piorum ſpirituali Creatoris ſui contemplatione potita, reſiduis ex materiæ commercio cogitationibus & ſtudiis, à natura & conſuetu-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dine in diverſas partes quaſi diſtrahitur. Alter, quando obliterata iſta perpenſione in Deum omni ſtudio fertur. Tertius poſt reſurrectionem mortuorum de quo mox. Hic notandum eſt, hunc auctorem cruciatum animarum reproborum hoc modo deſcribere; quòd anima ex corpore, cui dedita erat, extruſa, ejus conjunctionis inani deſiderio torquebitur; in primis, quia natura eam trahit ad contemplationem rerum ſpiritualium, lucis tantæ inſolentia præſtricta ſummos dolores ſentiet: uti oculi, tenebris aſſueti, luce repente illata, dolent. Sic anima malorum diſſecabitur quaſi, & dilaniabitur. Quod veteres Rabbini innuentes dixerint: Animam improborum ab uno mundi extremo ad alterum iri iactatum. Durabit illa pœna vel æternùm; vel ad XII. menſes: ut exin vel partem aliquam præmij accipiant, ſi quid boni fecerimus: vel ישארו נעדרים, id eſt, in nihilum redigantur, quod eſt כרת exterminium. Tertium tempus mercedis itidem corporalis erit illud, quod ימות המשיח dies Chriſti vocant. Quartum בתחיית המתים ἐν τῇ ἀναστάσει, quum reſumptis corporibus reviviſcent illi, quorum perfecta fuerit probitas, vel ad manifeſtanda miracula Dei & fidem eius propagandam in mundo; vel pro perpeſſionibus corporis iucunditate eius quadam fruantur; vel ut perfectiorem gradum iuſtitiæ adipiſcantur, quem in antèacta vita aſſequi ob ærumnas non poterant. Sed hi denuò exuvias illas deponent, atque in pulverem redigentur: (quod contrarium eſt ei ſententiæ, quam exhibuimus Excerpti XII. principio) & tum gradu quodam eximio beatitatis decorabuntur, qui κατ' ἐξοχὴν Olam habba quandoque nominatur. Ita ſecta Maimonidæ. At ſecta R. Moſis Nachmanidæ generalem reſuſcitationem omnium hominum docet, in decretorio illo die iudicij magni; quum ſupremi iudicis ſententiâ alios vitæ æternæ, alios Tartaro adiudicabit: corpora verò talia fore, ut & præmio in perpetuum fruendo ſine ulla corruptione, ſine cibi potúsque ſubſidiis; & pœnæ item perferendæ idonea ſint. De duratione ſupplicij non valdè abhorrentia à prioris ſententiæ auctoribus

ribus tradunt. Ante hanc verò reſurrectionem eſſe aiunt aliam, qua non niſi qui meriti fuerint, ad conſueta vitæ terreſtris munia reverſuri ſint, quando Chriſtus advenerit. Eósq; exacto iuſto tempore vel iterum morituros, vel mutatum iri. Hanc ſententiam non alio ſic confutat argumento, R. Ioſeph, ut eo quòd affinis ſit Chriſtianorum dogmati. Hæc *Coccius.* Atque ſive illa de regno Meſſiæ, quod quidam *mille*, alii *bis mille* annis terminare videntur (Confer. Cod. *Sanhed.* c. 11. S. 29. Ed. Cocc.) ſive hæc de עולם הבא *ſeculo futuro* ſententia expendatur, perſpicua nobis liberius deinceps inter Chriſtianos ſparſi Chiliaſmi ſemina oſtendit. Illa conjecturæ de annis, hæc de ſtatu regni Meſſiæ, viam ſtravit. Quæ paulò plenius enarrare placuit, tum quia præſenti illuſtrandæ materiæ inſerviunt, tum mentem nobis Iudæorum de Meſſia & ultimo judicio aperiunt, de quibus tamen commodior alibi docendi erit locus.

Gregorius Nyſſenus aſſerit, non primi ſolùm hominis, ſed omnium quoque animas ante corpus Adami ſimul creatas fuiſſe. Sic *Lambert. Danæus* in Auguſt. de hær. c. 43. inter alia, quibus Origenes infectus fuit, *σχολιά*, refert & hoc, quòd docuerit, animas hominum non tum à Deo creari, cùm in corpora noſtra infunduntur, ſed jam pridem antea in cœlo vixiſſe. Cui contradicunt non ſolùm Theologi Orthodoxi hodierni, ſed etiam Doctores Scholaſtici. Imò ipſa reclamat *Leonis Papæ* primi authoritas, ſcribit *Sixt. Senenſ.* Bibl. S. pag. 404. qui in Epiſtola ad Epiſcopum Aſtorigenſem ita decernit: *Catholica fides conſtanter prædicat atque veraciter, quòd animæ hominum prius quàm inſpirarentur ſuis corporibus non fuêre.* Albertus Ratisbonenſis Epiſcopus in ſumm. de homine quæſt. 15. præmiſſam Gregorii Nyſſeni Epiſtolam rejiciens, ceu Platonicum figmentum, ad Moſis authoritatem, ab eo inductam, ita eſſe accipiendam, ut intelligamus, Deum quieviſſe à creatione ſpecifica cunctarum ſpecierum, non autem ab individua creatione animarum, quæ quotidie hominum corporibus infunduntur: vide *VValai* loc. comm. pag. 221.

 Vnde

Vnde verò hic error? Ex Iudæorum lacunis. Ita enim *Menaſſe ben Iſrael* lib. de Creat. pag. 61. *Communis opinio eſt omnium Hebræorum, animas humanas præceſſiſſe corpora*. Hinc ad Deut. 20. v. 14. *Neque vobiſcum ſolis ego pango fœdus meum, &c.* Sic commentantur Rabb. כל הנשמות שהיו מן אדם הראשון ושהיו עד סוף העולם כלם נבראו בששת ימי בראשית וכלן בגן עדן וכלן במתן תורה שנ׳ כי את אשר ישנו פה עמנו עמד היום ואת אשר איננו פה עמנו היום, id eſt, *Omnes animæ, quæ fuerunt ab Adamo, & quæ futuræ ſunt uſque ad conſummationem mundi, omnes illæ fuerunt creatæ 6. diebus creationis, omnéſque in horto Edenis fuerunt, & dono legis interfuerunt: ſic enim dicitur*; cum eo qui aſtat nobiſcum hodie, & cum eo qui non eſt nobiſcum hodie. Vnde in *Gemara Chagiga* cap. 2. refertur, quod in ערבות (ſic *Maimon*. in More Nev. l. 1. c. 66. vocat cœlum אלאעלי אלמחיט באלכל ſupremum, quod omnia ambit, id eſt, empyrium) præter alia ſunt: נשמות ורוחות שעתידין להבראות, *animæ & ſpiritus deinceps creandæ*, id eſt, cum corporibus conjungendæ.

Iuſtinus Martyr. Apol. 1. ſtatuit, ὅτι οἱ ἄγγελοι παραβάντες τήνδε τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἱ λεγόμενοι Δαίμονες, quam ſententiam à *Lactantio*, *Clemente*, *Sulpitio*, Proclo apud *Epiphan*. hæreſi 64. pag. 244. & aliis arreptam; non ſolùm planè rejicit *Auguſt*. libro de Civ. Dei 15. c. 23. verùm etiam aſſertores ejus à *Theodoreto* quæſt. 43. in Geneſin. ἐμβρόντητοι καὶ ἄγαν ἠλίθιοι vocantur. Confer *Petrum Martyr*. in Geneſ. cap. 6. & Locos comm. pag. 48. *Malle. malef.* T. 11. P. 1. pag. 48. Ex qua verò hoc Schola prodijt? Iudæorum: Nam *Philo Iudæus* pro בני אלהים *Gen.* 6. (qui *Chryſoſtomo*, *Procopio*, *Cyrillo*, *Gennadio*, *Thomæ*, *Calvino*, *Iunio*, *Cornelio à Lapid.* *Carthuſiano*, *Druſio*, *Mercero*, *Aben Eſra*, *Iſa bar Ali*, in Lexic. Syro-Arab. ſunt poſteri Seth) legit Ἀγγέλους Θεοῦ. Ipſe *Ioſeph*. Anti-

quit.

quit Iud. l. 1. cap. 5. *ſcribit, multos Angelos mulieribus coëuntes vitioſos filios genuiſſe.*

Sic quòd *Hieronymus* Iob 24. v. 19. duplicem gehennam ſtatuit, Ignis & Aquæ, illud à Iudæis habet: Ita enim in libro *Zohar* in Geneſ. col. 205. *Duplex dicitur eſſe iudicium Gehennæ, Aquæ & Ignis: dixit R. Ioſes. Vidit Noah Angelum mortis ad ſe venientem, ideoque ingreſſus eſt in arcam, & abſcondit ſe in ea per 12. menſes. Quare per 12. menſes? Quia huiusmodi eſt iudicium peccatorum. R. Iehuda dixit: Sex menſes ſunt in aqua, & ſex in igne. Atqui hic tantùm aquæ fuerunt, unde itaque ſex menſes alteri? Dixit ei R. Ioſes, ambobus iudiciis Gehennæ iudicati fuerunt: Aqua & Igne. Aquis iis videlicet, quæ deſcenderunt ſuper eos deſuper, quæ fuerunt frigidiſſima inſtar nivis. Igne, aquis nempe ſubtus prodeuntibus, quæ ferventes erant inſtar ignis. Sic itaque iudicio Gehennæ iudicati fuerunt, Igne & Aqua, & proinde 12. fuerunt menſes. Dixit enim R. Elieſer, iudicium peccatorum in Gehenna durat 12. menſes. Vnde omnes peccatores mundi duobus iſtis iudiciis iudicantur; Igne & Aqua, donec exſcindantur à mundo.* Hactenus Zohar. Ad duplex hoc judicium Gehennæ videtur reſpicere Paraphraſtes Chaldæus *Iobi* 28. *v.* 5. ארעא דמניה נפק מזונא ולרע מניה גהנם דנצת תלגיה מתהפכא דכמת אשתא, id eſt, *Terra, ex qua provenit alimentum, & infra quam eſt Gehenna, cuius nivis frigus convertitur, ut fiat ſicut ignis.*

Aſſeruit *Origenes*, quod & *Hieronymo* objecit Rufinus (vide *Sixt. Sen.* Bibl. S. p. 553. Confer *Nil.* de Purgat. pag. 68. *Bellarmin.* de Purg. l. 2. c. 1.) ſupplicia damnatorum aliquando habitura finem. Origenem ſequuntur nonnulli ſeculi noſtri Anabaptiſtæ, prout *Auguſtana Confeſſio* teſtatur, *Bulling.* l. 2. cap. 15. contra Anabaptiſtas, & *Sixt. Senenſ.* loco citat. Pontificii quin etiam nonnulli fabulantur, quosdam in inferno jam durantes quorundam ſanctorum interceſſione ex eo libe-

ratos, ut de Trajano precibus Gregorii erepto nugantur. Hos tamen refutat *Bellarminus* de Pur. l. 2. c. 8. *Baron.* tum in annal. tum in Martyr. pag. 73. Hic Benedictum VIII. redemtum vult (etſi cruciatibus ſe intolerabilibus in inferno affici querebatur) juxta *Calv.* a. Ch. 1024. Sed *Baron.* de Purgatorio ea tantùm intelligit. Vide *Hiſt. Eccleſ.* Sec. 11. pag. 417. Idem de Tecla referunt, quæ Falconillam quandam ab inferno liberâſſe dicitur. A Iudæis hoc manavit. Vnde & Muhammed, in Alcorano ſuo, quod *Beidavij* commentaria innuunt, increpat Iudæos, exiſtimantes, *Patriarcharum precibus ſe liberatum iri ex inferno*. Ipſe Alcorani locus ita habet קאלוא לן תמסנא אלנאר אלא איאמא מעדודה *Dicunt Iudæi: Non aſſequetur nos ignis niſi dies numeratos*, id eſt, paucos. *Beidavi:* רוי אן בעצהם קאלוא נעדב כעדד איאם עבאדה אלעגל ארבעין יומא ובעצהם קאלוא מדה אלדניא סבעה אלאף סנה ואנמא נעדב מכאן כל סנה יומא *Ferunt, quosdam dixiſſe, puniemur ſecundum numerum dierum μοσχολατρείας, dies quadraginta; alios voluiſſe, ſecundum durationem Mundi, 7000. annos, ita tamen ut pœna annus ſit futurus loco diei.* Eſt Iudæorum ſententia, omnes Iſraelitas partem habituros in futuro ſeculo, juxta illud *Cod. Sanhed.* c. 11. in principio: כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא שנ׳ ועמך כלם צדיקים לעולם ירשו ארץ נצר מטעי מעשה ידי להתפאר *Totus Iſrael partem habebit futuri ſeculi, prout dicitur: Populus tuus omnes iuſti ſunt, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum.* Nihilominus tamen & priores & potiores ſunt hujus partes in ſeculo futuro quàm illius: ille ſcilicet, qui plura bona opera fecerit, majorem in eo partem habebit: impii verò, qui nulla ducuntur pœnitentia, nullóque propter

pter peccata ſua mœrore premuntur, per duodecim menſes in inferis ſive purgatorio patientur, ac poſtea demum partem ſuam conſequentur in vita æterna, ſed non adeò magnam ut juſti, vel pii. His verò, qui Deum prorſus abnegant, & ſanctum ejus nomen profanant (nempe qui à Iudaica fide deficiunt & Chriſtiani fiunt) præputium de novo creſcit, quaſi nunquam circumciſi fuiſſent, illóſque volunt in æternum in inferis permanere. Hæ tandem Iudæorum argutiæ ita Muhammedanis placuerunt, ut vel articuli fidei Muſlimicæ locum apud eos obtineant. Recitat ea ordine ex *Algazalio* Ed. Pocok. Specim. Arab. Hiſt. pag. 274. Ita præter cætera Muſelmannus יומן באכראג אלמחדין מן אלנאר בעד אלאנתקאם חתי לא יבקי פי גהנם מוחד בפצל אללה ויומן בשפאעה אלאנביא תם אלעלמא תם אלשהדא תם סאיר אלמומנין כל עלי חסב גאהה ומנזלתה ומן בקי מן אלמומנין ולם תכן להה שפיע אכרג בפצל אללה פלא יכלד פי אלנאר מומן בל יכרג מנהא מן כאן פי קלבה מתקאל דרה מן אלאימאן *Credet, tandem exituros eos, qui unum Deum confeſſi fuerint, ex igne, poſtquam pœnas delictorum luerint, adeò ut (benignâ Dei gratia) non permanſurus ſit in Gehenna quiſpiam, qui unum Deum confiteatur: nec non interceſſionem Prophetarum, deinde Doctorum, deinde Martyrum, deinde cæterorum credentium (uniuscuiusque ſcil. iuxta præſtantiam & gradum ſuum) quique præter hos ſunt è credentibus, quibus non ſit interceſſor, exitum gratiâ Dei, nec manſurum perpetuò in igne credentem, verum & eo exiturum, cuicunque in corde fuerit fidei, vel quantum pondus atomi.* Bochari, Sunæ ſcriptor, inter alia Muhamedis dicta refert, יכרג מן אלנאר מן קאל לא אלאה אלא אללה פכאן

Digitized by Google

פכאן פי קלבה מן אלכיר מא יזן שערה תם יכרג מן אלנאר מן קאל לא אלאה אלא אללה וכאן פי קלבה אלכיר מא יזן ברה תם יכרג מן אלנאר אן כאן פי קלבה מן אלכיר מא יזן דרה. *Egredietur igni qui dixerit: Non eſt Deus niſi Deus, & in cuius corde tantum fuerit boni, quantum pondus pili: Poſtea igni exibit, qui dixerit: Non eſt Deus niſi Deus, & in cuius corde tantum fuerit boni, quantum eſt mus. Tandem igni exibit, qui dixerit: Non eſt Deus niſi Deus, & in cuius corde tantum fuerit boni, quantum eſt* ἄτομον. Vide & Hiſt. Orient. pag. 254. Idem etiam & Pythagoricos ſtatuiſſe, & poſtea Platonicos, obſervat *Claud. Sal.* in Epict. & Simpl. p. 10. Additque: *nec operoſum eſt divinare, unde dogma* περὶ καθαρτηρίου πυρὸς *Chriſtianitatem invaſerit.* Quibus ex Chriſtianis accedere videbantur, qui credebant, omnes aliquando Chriſtianos Catholicos ex inferno eſſe liberandos. Vide *Aug. de Civ. Dei* l. 21. c. 20. 25. De Chriſmate ejúsque antiquitate ita loquitur *Lamb. Dan.* comment. in Auguſt. de hæreſ. pag. 97. *Addit Theodoretus lib. 3. hæret. fabul. eos* (Catharos) *quoque in eo ab Orthodoxis diverſos fuiſſe, quòd in baptizando Chriſma ex more iam tum in Eccleſiis recepto non adhiberent. Et certè ex Fabiani, Epiſcopi Romani, actis & vita diſcimus, magnum iam fuiſſe chriſmatis in baptiſmis uſum, quando ille ipſe præcepit quotannis confici, vetuit autem comburi, & eſt in Can. Literis, de conſecrat. diſt. 3. Idem apparet ex Tertulliani ſcriptis. Sed quo Scripturæ fundamento Patres chriſma in baptizando, quæſo, ſanxerunt?* Certè, ſi quis conjecturæ ſit locus, inungendi baptizatos conſuetudo apud veteres Chriſtianos tralatitia videtur, & mutuata à Iudæis. Quemadmodum enim illi non Reges tantùm ſuos, ſed & Prophetas & Sacerdotes oleo ſacro, συμβόλου εἵνεκα, ut *Euſeb.* loquitur hiſt. Eccl. l. 1. c. 4. unxerunt; ita & veriſimile eſt, Chriſtianos φερωνύμους παναγίου βαπτίσματος

χρίσματος πανοπλίᾳ, ϗ τῇ τοῦ βαπτίσματος δωρεᾷ δεσποτικῇ κατασφραγιζομένους, tanquam ſpirituales Sacerdotes, Prophetas & Reges oleo fuiſſe perfuſos. Conjecturæ huic favet, magna unctionis utriusque harmonia. Figura ſeu modus unctionis Hebræorum ita plerunque deſcribitur, ut Andreanæ, quam vocant, crucis figuram, olei ductu, in fronte, ſeu, inter oculos exprimi ſolitam, conjiciant eruditi. Fuſo ſcilicet ſuper caput oleo, digito ungentis, ajunt, in medio, qui oculos ſeu palpebras interjacet, loco, ſolennem fuiſſe figuram τοῦ χ ex oleo ibi deducto confectam. Id quod deſumtum eſt ex כריתות 2.fol.5 ubi ita legitur: מושחין ארת המלכים כמין נזר וארת הכהנים כמין כי אמר רב מנשה כמין כי יוני. *Vngebant Reges forma coronæ, & ſacerdotes inſtar Chi.* Dixit *Raf. Menaſſe: Inſtar Chi Græci.* Eadem repetunt *Mikkotzi* & *Maim.* Hanc ipſam in Chriſmate ſuo Chriſtianos retinuiſſe formam, teſtatur *Dion. Areopag.* περὶ ἱεραρχίας ἐκκλησιαστικῆς, p. m. 47. ὅθεν, inquit, ὡς οἶμαι τῷ καθαρτικῷ βαπτιστηρίῳ τὸ μύρον ἐν σταυροειδέσι βολαῖς ἐπιχέων, &c. ἱεράρχης: *Vnde, ut puto, baptiſterio quod purgandi vim habet unguentum in formam crucis deſtillans affundit, primarius ſacerdos.* Quæcunque & veteres quidam, & recentiores, in Papatu, Theologi de Antichriſti prodromis poſteritati reliquerunt & ſignis, è Iudæorum Schola prodiiſſe videntur, alio tamen fini, ut fusè monſtravimus *Hiſt. Eccleſ.* Sec. VII. pag. 378. Ea præſertim, quæ de Elia adhuc in Paradiſo ſuperſtite cum aliis, Patribus etiam, tradit *Leſſ.* de Antich. pag. 142. petita ſunt à Iudæis. Luculentus eſt locus in lib. *Iuch.* pag. 156.6. אמרו רז״ל כי שבעה אנשים קפלו את העולם והם אדם הראשון ומתושלח ושם בן נח ויעקב אבי׳ ע״ה ועמרם ואחיה השילוני ואליהו זכר לטוב ועדין הוא קיים *Dicunt Magiſtri noſtri p. m. ſeptem homines geminum vide-*

viderunt mundum. Adam,homo primus, Methuſchalach, Schem,fil. Noachi, Iacob, Pater noſter p. m. Amram, Achia Silonites, & Elias, bonæ recordationis, qui adhuc exiſtit. Atque hinc eſt quod *Alchoder*, ἀείθαλής, Arabibus dicatur. Vide *Hiſt.noſt.Orient*. pag.40. Quæ verò, inquias, erroris hujus, & inde pullulantium aliorum plurimorum origo? R. Homonymia vocis פרדם ſeu *Paradiſi* eos peperit, de qua, fuſius paulò, hoc loco agemus.

Primò ergò & propriè פרדם eſt *quodlibet pomarium*, quo ſenſu occurrit *Cantic*. 4. v. 13. *Nehem*. 2. *v*. 8. *Eccleſ*. 2. *v*. 5.

Secundò notat *ſedem beatorum*, quæ Paradiſi nomine venit, non tantùm in ſcriptura ſacra *Luc*. 23. *verſ*. 43. 2. *Cor*. 12. 4. ſed etiam apud Muhammedanos, quibus uſitatius hac nomenclatura nihil eſt, & Iudæos. Vnde apud Talmud. in chagiga fol. 14. 2. ארבעה נכנסו לפרדם. *Quatuor ingreſſi ſunt in Paradiſum*, id eſt, in cælum. Eſt enim, ut habetur in *Aruch*. pag. 125. פרדם מענין גן ערן שהיא גנוזה לצדיקים שהנשמות של צדיקים צרורות בו. *Paradiſus hortus voluptatis, repoſitus iuſtis, in quo animæ iuſtorum ſunt ligatæ.* Prolixius de hoc ſignificatu agit *Menaſſe, ben Iſraël* Problem. 17. de creatione. *Veteres ſapientes*, inquit, *ſimpliciter ſecundùm literam acceperunt Paradiſum, dixerúntque eſſe locum, in quo animæ piorum hominum, defuncto corpore, fruuntur præmiis ſuorum bonorum operum: quemadmodum etiam traditum eſt variis in locis Zoar. Similiter refertur in Pirque Abot, diſcipulis Abrahami Patriarchæ obtigiſſe Paradiſum: diſcipulis autem Bileam infernum. Et alio in loco dicitur: Servantibus legem Paradiſus eſt paratus, Infernus autem legis prævaricatoribus. Et c. 2. Tract. Temurah legitur quoque, Moſen Magiſtrum noſtrum, cùm per Paradiſum proficiſceretur, dixiſſe Iehoſuæ, propone nunc omnia dubia quæcunque habes. Et in* מררש תהלים *quoties-*

cun-

cunque in ſacris literis reperitur terra vitæ,uti Pſal. 116. v. 9. *ſemper antiqui ſapientes exponunt ea de Paradiſo, quia ille eſt terra iſta, in qua æternùm vivitur. Ita etiam eleganter Abigail locum illum vocat* צרור החיים faſciculum vitæ 1. *Sam.* 25. 29. Vide quoque Ioh. *Coch.* not. in Sanh. Sed non malè ex Hebræorum, Kabbaliſtarum præſertim traditione, obſervat *Reuchlinus* de arte Cabb. l. 1. pag. 16. *Pro duplici hominis conditione, ſpirituali & corporali, ac pro duplicis mercedis retributione, duplicem Paradiſum Iudæos aſſerere; quorum ille in voluptatum ſpiritualium, hic corporalium fruitione conſiſtat.* De hoc poſteriori agere videntur ſequentia loca. *R. Gedal.* in Schalſch. Hakkabb. pag. 91. Ex Majm. comment. in C. cheleck: ואולם ג״ע הוא מקום דשן ושמן מבחר הארץ יש בו נהרות רבים ואילנות עושים פירות יגלדה אותו הית לבני אדם לעתיד לבא ויורה הדרך להלוך אליו ויתענגו בו ואפשר שימצאו בו צמחים מופלאים עד מאד מועילים תועלת גדולה ערבים ומתוקים הרבה מכד אלו המפורסמים אצלנו, id eſt, *Omnino hortus Edenis* (Paradiſus). *locus eſt pinguis & fertilis, ſelectum terræ, in quo multi fluvij & arbores frugiferæ, quem revelabit Deus benedictus filiis hominum in futuro ſeculo, oſtendètque viam, quâ illuc eant; ibique deliciis fruantur. Fieri etiam poteſt, ut ibidem reperiantur germina mirabilia valde & utilia, & dulcia, & , ſupra illa, quæ trita apud nos ſunt, ſuavia.* Et addit author: וכל זה אינינו מהנמנע ולא רחוק׃ אבל הוא קרוב להיותו ואפילו לא היה כתוב בתורה, *Atque hoc omne à vero haud longè abeſt, ſed veriſimile videtur, etſi in lege ſcriptum non ſit.* Neutrum hic, Paradiſi nomine, ſedem beatarum animarum intelligere, ex ipſiſmet eorum ſcriptis planum facie-

ſaciemus. *Maimonides* certè in Iad Chazaka Hilac. Teſchubah c. 8. ita vitam æternam deſcribit, ut nihil illa cum voluptatibus corporis commune habere poſſit: Negat (quæ tamen ejus ſententia à commentatoribus graviter flagellatur, quaſi heterodoxa & à fide Iudaica aliena) *corpora iuſtorum cœlum ingreſſura, ſed animas tantùm.* העולם הבא אין בו גוף וגויה אלא נפשות
הצדיקים בלבד בלא גוף כמלאכי השרת הואיל
ואין בו גוית אין בו לא אכילה ולא שתייה ולא
דבר מכל הדברים שגופות בני אדם צריכין
להם בעולם הזה ולא יארע דבר בו מן הדברים
שמארעין לגופות בעולם הזה כגון יבׅיבה ועמידה
ושינה ומיתה ועצב ושחוק וכיוצא בהן כך אמרו
חכמים הראשונים העולם הבא אין בו אכילה
ולא שתייה ולא תשמיש אלא צדיקים יושבין
ועטרותיהם בראשיהן ונהנין מזיו השכינה, id eſt, *In futuro ſeculo non erunt corpora, ſed animæ iuſtorum tantùm absque corpore, ſicut angeli miniſterij. Vbi verò nullum corpus, ibi nec eſus nec potus, nec quicquam eorum quibus corpora hominum habent opus in hoc mundo, nec accidet ijs quicquam eorum, quæ accidunt corporibus in hoc ſeculo, ut ſunt ſedere, ſtare, dormire, mori, dolere, ridere, & quæ his ſunt ſimilia. Ita etiam priſci ſapientes dixerunt: In futuro ſeculo non locum habet cibus, nec potus, nec debitum coniugale, ſed ſedent Iuſti, & coronæ eorum in capitibus eorum, & delectabuntur ſplendore Maieſtatis* divinæ. Et paulò poſt: וכמה שמות נקראו
לה דרך משל הר יהוה ומקום קדשו ודרך הקדש
וחצרותה׳ ונועם ה׳ ואהלך׳ והיכל ה׳ ובית ה׳
ושער ה׳ וחכמים קראו לה דרך משל לטובה
זו המזומנת לצדיקים סעודה וקורין לה בכל
מקום העולם הבא. *Et multa ſunt nomina, quibus*

per

per Metaphoram (vita æterna) *inſignitur, ut ſunt: Mons Domini & locus ſanctitatis eius, via ſanctitatis, atria Domini. Sapientes verò bonum hoc iuſtis præparatum parabolicè convivium appellant, & ubique ferè ſeculum futurum.* Vnde etiam in Arabes, ſeu Muhammedanos (quos טפשים אוילים השטופים בזימה *craſſos, ſtultos & ſceleratos appellat*) invehitur, quòd vitæ æternæ felicitatem in uſu & affluentia rerum corporearum ponant. Sed & *R. Gedalias* clarè ſatis docet, non ſe loqui ſuprà de Paradiſo cœleſti, dum ait: ועל דבר הג״ע לא נמצא בתורה ושבעל פה מי שיכול ליתן בו שום מין גבול או תואר לפי שעל האמת ג״ע הוא שם מקום או דבר שה״ית נותן בו שכר לנשמות בני אדם וכמו שהנפש הוא דבר רוחני ונבדל כן ראוי שיהיה השכר הניתן לו id eſt, *De Paradiſo nihil planè reperitur nec in Lege ſcripta, nec in orali, ut quis ei inde aſſignare poſſet certam termini aut formæ ſpeciem, propterea quod verè hortus Eden* (Paradiſus) *nomen ſit loci aut rei, in qua Deus benedictus daturus eſt retributionem filiis hominum. Et quemadmodum anima res eſt ſpiritualis & ſeparata, ita convenit, ut talis ſit merces*, quæ ei datur. Vides ergo utrumque, & Maimonidem & R. Gedaliam, loco ſuprà citato de alio aliquo agere Paradiſo, quàm qui cœlo συνώνυμος eſt. Atque hinc campi illi Elyſii Arabum. Neque enim dubito, quin quæ à Iudæis de medio hoc Paradiſo, voluptatum corporearum domicilio, diſputata ſunt, ambabus ulnis arrepta fuerint à Pſeudo-Propheta Arabum, & ad Paradiſum cœleſtem tranſlata. Hoc non ſolùm largitur *Maimonides* Hil. Teſch. c.8. ſed etiam ex variis Arabum monumentis ſuo loco, σὺν Θεῷ, demonſtrabitur. Vnum hic adduxiſſe ſufficiat teſtimonium. Surata 2. verſ. 26. ובשר אלדין אמנוא ועמלוא אלצאלחאת אן להם גנאת תגרי מן תחתהא אלאנהאר

אלאנהאר, id eſt, *Læta verò ijs annuntiato bona, qui credunt & opera faciunt bona, ipſis Paradiſos* (ſic vox Hebræa גן à LXX. Interpret. vertitur) *fore, ſub quibus decurrant fluvij.* ubi *Zamhaſchari* ad vocem גנאת *Paradiſi*, notat. פאן קלת אלגנה מכלוקה אם לא קלת קד אכתלף פי דלך, id eſt, *Quòd ſi quæras; creati ne ſint horti illi, nec ne? Reſpondeo; controverti hoc.* Hos autem, qui creatos ſtatuant, eoſdem velle cum hortis illis Edenis, cujus incolæ fuerint Adam & Eva. De quibus *Keſſæus*, ſcriptor Arabicus, de vitis Pattrum in peculiari capite agit. Octo hortos creavit Deus, inquit, Primus eſt *domicilium* דאר אלגלאל והו מן אליאקות אלאביץ *ſplendoris ſeu Maieſtatis, conſtructum ex Sardio albo.* Ei accedit, דאר אלסלאם והי מן אליאקות אלאחמר *Domicilium pacis ex Sardio rubro.* Tertium, *ſunt* גנאת אלמאוי והי מן אלזברגד אלאכצר *Paradiſi manſionis, facti ex Sapphiro viridi.* Quarto loco ponit גנאת אלכלד *Hortos æternitatis*, Quinto, גנאת אלנעים והי מן אלפצה אלביצא, *Hortos amœnitatis, ex argento albo.* Sexto, גנאת אלפרדוס והי מן ען אלדהב אלאחמר, *hortos Paradiſi, ex auro rufo.* Septimo, דאר אלקראן והי מן אלמסך אלאצפר, *domicilium Corani, ex Moſcho flavo.* Octavo denique גנאת ערן והי מן אלדר והי משרפה עלי אלגנאת כלהא, *Hortos Edenis, ex margaritis conditos, qui reliquis hortis omnibus ſunt præſtantiores.* Atque hinc πληθυντικῶς in Alcorano de Paradiſo acturus Muhammed loquitur. Nam, ut *Zamhaſchari* ſcribit, אלגנה לדאר אלתואב כלהא

והי

והי משתמלה כתירה מרתבה עלי חסב אסתחקאקאת אלעאמלין לכל טבקה מנהם מן גנאת מן תלך אלגנאן *convenit vox Paradiſi* (אלגנה) *omni retributionis domicilio: id verò conſtat multis gradibus pro ratione meritorum operantium, ſecundum quæ cuilibet ſuum ex hortis iſtis deſtinatum eſt domicilium.*

Pergimus ad tertium vocis פרדס ſignificatum. Eſt ergò tertio Paradiſus hortus ille, cujus meminit Beatus Moſes, *Geneſ.2. v.8.* ויטע יהוה אלהים גן בעדן מקדם וישם שם את האדם אשר יצר. *Et plantaverat Dominus Deus hortum in Eden, ab oriente* (Moſis nempe, hanc hiſtoriam ſcribentis, reſpectu) *ibiq; poſuit hominem, quem plaſmavit.* Ex promiſcuo verò vocis hujus uſu factum, ut quæ antiquiſſimi nonnunquam ſcriptores de Paradiſo cœleſti intellexerunt, alij, ut ſuis ſatisfacerent deſideriis, & novos juvarent conatus, ad terreſtrem illa traduxerint.

V. *Tertiò*, qui Scripta ſuppoſititia pro veris; quæ [a] diligenter ſunt diſcernenda Hæretica [b] pro orthodoxis obtrudunt, & ex iis religionem Chriſtianam confirmatam volunt, Patrum authoritate turpiter abutuntur.

a. Quibus notis Scripta vera à falſis diſtingui debeant, docet *Andreas Hyper.* de ratione ſtudii Theologici l.4. & ex eo *Andreas Rivet.* Crit. Sac. cap. 11. 12. 14. *Rain.* contra Hartum p.295. & deinceps.

b. Quod in *Fauſto*, Rhegienſi Epiſcopo, natione Britanno, ſecta Pelagiano, pluribus accidit, quod primus poſt *Vſſerium* monuit *Riv.* Crit. Sac. pag. 464.

VI. Atque contra hanc regulam frequentiſſimè peccant Pontificii, qui in ſcriptis ſuis elenchticis imperito lectori, ſuppoſitiorum ſcriptorum nube, glaucoma obducere ſatagunt.

Vnde *Andr. Hyper.* l.c. obſervatione 3. pag. 661. hoc modo Magiſtrum ſententiarum reprehendit. *Videmus Petrum Lomb. ſummum alioquin Virum, multa diſcerpſiſſe, & veluti plurimum ponderis habentia, tranſcripſiſſe in libros ſententiarum, ex operibus quæ D. Auguſtino ſunt falsò attributa.* Sic, teſte *Guilhelmo VVittakero*, reſponſione ad quæſt. quintam Edmundi Campiani pag. 89. Cùm Ioh. Iuellus Pontificios provocâſſet ad certamen ex Patribus, quicunque intra ſexcenteſimum annum docuiſſent, extitit quidam Hardingus, qui unus auſus eſt cominus congredi. *At* (verba ſunt *VVittakeri*) *quàm ille præclarè ſe geſſit in illa conditione? Patres Iuellus appellat, Hardingus Clementes quosdam, Abdias, Martiales, Hyppolitos, Amphilochios atque huiuscemodi alios veneranda antiquitate Patres producit. Si verò, ut iactare ſemper ſoliti eſtis, antiqui Patres Eccleſiæ veſtræ ſunt, quamobrem Hardingus tam fœdè tergiverſari voluit, ut iſtos, neſcio quos, terræ filios recens natos, quos nemo ante aut ſalutaverat, aut audiverat, teſtes in cauſa graviſſima, in qua iudicium Antiquitatis poſtulatum eſt, adhiberet, ipſos notiſſimos & nobiliſſimos Patres de induſtria declinaret?* Carioſo hoc ſcriptorum ſuppoſititiorum fulcro pleraque nituntur Papiſtarum ſcripta & dogmata. Vbi tamen notandum, Reformatos quoque doctores ſcripta, quæ, velut dubiæ fidei, obelo transfodiunt, citare interdum ſub authorum nomine, quibus vulgò inſcribuntur, ſive tædio, idem ſæpius admonendi, ſive quòd Scriptorum ſunt plerunque antiquorum, ſive quòd ex conceſſione proprio ſe adverſarii gladio jugulent. Vide *Dan. VVard. Præf. in Perk. Cathol. ement.*

II. ELEN-

ELENCHUS, SEU CATALOGUS SCRIPTORUM ſUPPOSITITIORUM.

I. Eſt hæc tractatio tum Theologis omnibus, tum iis maximè, qui animum ad lectionem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Theologiæ Patriſticæ appellunt, maximè neceſſaria.

Primò enim, conſtat, merces illas in primitiva Eccleſia adeò ἀφειδῶς fuiſſe extruſas, ut non contemnendum inde νεοφύτοις imminuerit periculum. Mirantur multi, qui factum, quòd de quibusdam, adoleſcente Eccleſia Chriſti, N. T. libris Canonicis aliquando fuerit dubitatum? Illa mihi ſemper maximè arriſit conjectura, quæ vult, fideles, cùm obſervâſſent multos frontem adeò perfricuiſſe, ut nihil penſi habuerint Apoſtolis ipſis impios & blaſphemos ſupponere fœtus, ad tempus ſuum judicium ſuſpendiſſe. Neq; enim, quod nunc facilè fit, ἀντιγράφων exemplaria cum omnibus pariter Eccleſiis longis locorum intervallis à ſe diſſitis communicari poterant. Typographiæ ſubſidium deerat. Eadem, progreſſu temporis, Eccleſiæ ſors fuit. Nunquam malæ illæ, ſupponendi fœtus ſpurios, artes, ita ſopiri poterant, quin aliquæ ſubinde Eccleſiam turbarent. Acceſſit temporum injuria, cleri ignorantia, amanuenſium ignavia, quã etiam accidit, ut viris eruditis haud exigua ſuum cuique vindicandi relicta fuerit opera.

II. Conſtat, Adverſarios Pontificios his ferè telis pugnare. Extorquenda igitur illis ſunt: quod, quia plumbea, ſine difficultate præſtatur. At inquias; A. *Alii hunc cum fructu Theologiæ Hiſtoricæ excuſſerunt angulum:* Quid ergò poſt Homerum Iliadem ſcribere juvat? *Reſp.* Ita eſt. *Cocus, Rivetus, Perkinſus, Chamier, &c.* hanc

cum laude exornârunt ſpartam, nobis tamen alius ſcopus, alia mens. *Illi* ferè de ſcriptis ſuppoſititiis *Patrum* egerunt; nos de Eccleſiaſticis penè *omnibus*, quorum mentionem authores faciunt. *Illi* rationibus hunc vel illum librum *νοθείας* convicerunt; nos digitum modò intendimus, & quæ, virorum magnorum judicio, ſpuria ſunt, exprimimus. Eſt igitur hic Catalogus, ſyllabus tantùm & Elenchus eorum, quæ operosè ab aliis diſputata ſunt. Gentilium & Iudæorum ſcripta excipio, de quibus paulò prolixius agendum. B. Exprobrant noſtris Pontificii, *quaſi nimiam in caſtrandis & caſtigandis veterum ſcriptis, ne autoritate eorum teneantur, ſibi ſumerent licentiam*. Exoſam eſſe hanc tractationem, & atrocem in veteres injuriam. *Reſp.* Gratis hoc fingitur, noſtríſque malitiosè affingitur. Quàm enim ipſi etiam Pontificii ſcriptores multum ſibi hoc loco indulgeant, prolixè docet *Cocus*, in præfat. Cenſuræ ſuæ, quam meritò tanquam prologum Galeatum futuræ tractationi præmittimus. Ea verò ſic habet: Quod ab improbis hominibus ſub lege tentatum eſt, ut *qui Zach.* 13. 4. *pecuarii fuiſſent à Iuventute, villoſam togam induerent*, ut in virorum Dei & Prophetarum numero haberentur; hoc ipſum etiam, *Evangelio* Chriſti promulgato, ſæpius uſu venit, ut impoſtores verſuti, *Aſpidum ova aquilarum alis* ſupponerent, & degeneres infœlicis ingenii ſui fœtus nobiliſſimorum authorum nomine venditarent. In ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis, *falſos Apoſtolos & doloſos operarios*, qui *Pauli* nomine literas conſcripſerunt, inde conſtat extitiſſe, quòd disertè moneat *Theſſalonicenſes* Apoſtolus, 2. Theſſ. 2. 3. *Ne ſubitò à mente dimoverentur, aut terrerentur, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam, tanquam à ſe ſcriptam*: creſcente verò deinceps Eccleſia, & latiùs diſſeminato Evangelio, conſimiles ludos fecerunt alii veteratores. *Ariani* Athanaſ. apol. ad Conſtantin. ſcripſerunt literas ad *Conſtantinum*, ſub nomine *Athanaſii*, qui eo ſeculo Nazianz. ep. 74. *orbis oculus* eſt habitus, & *fundamentum fidei*. *Eutychiani* (Baron. annal. ad ann.

553.) ſcripſerunt Epiſtolam in *Cyrillum Alexandrinum* jam defunctum, ſub nomine *Theodoreti*, acerrimi hæreticorum impugnatoris. *Manichæi* (Poſſev. app. Adam.) multa ediderunt volumina, quorum alia *Adamo*, noſtri generis parenti, *Apoſtolis* alia, alia ipſi *Domino noſtro Ieſu Chriſto* adſcripſerunt. His autem artibus uſi ſunt, (Caſſiod. lect. divin. cap. 8.) *ut res vitioſas generoſi nominis authoritate defenderent:* ut *authoritas* (Author. com. in 2. Theſſ. 2. ſub nom. Ambroſ.) *nominis poſſit commendare quod per ſeipſum recipi non poteſt*; ut *ementitis* (Sixt. Senenſis Bibl. l. 2. præfat.) *titulis fidem authoritatémque erroribus ſuis conciliarent*. Cæterum iſtis fucis ac fraudibus, nullo unquam ſeculo magis impudenter illuſum eſt humano generi, ac noſtro, quo vivimus. Nam licèt *Eraſmus* Declarat. 91. ad cenſur. Theolog. Pariſ. verè dixit de temporibus, in quibus *Synodus 7. generalis* celebrata fuit, *libris falſo celebrium virorum titulo commendatis undique ſcatere omnia:* de noſtris tamen multò verius dici poteſt. Vix enim ullus eſt ex antiquis Patribus, in cujus nidum alieni pulli, iique deformes, non ſunt ſuppoſiti: in cujus nomen alieni partus, iique infœlices, non invaſerunt: ſub nomine *Mariæ, Iacobi, Dionyſii, Abdiæ, Lini, Clementis, Martialis, Ignatii, Iuſtini, Cypriani, Athanaſii, Baſilii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Cyrilli*, & aliorum hujuſmodi illuſtrium Patrum, multa *barbara, inſulſa*, addo etiam *hæretica* ſcripta divulgârunt; quæ hodierno die, pro claſſicis & probatiſſimis ſcriptoribus obtruduntur, & (quod de mercibus vitioſiſſimis faciunt circumforanei) laudibus quàm fieri poteſt maximis, publicè exponuntur. *Hoc ſcriptum eſſe* (Hardin. ad Iuelli provoc. art. 1.) clamitant, *ab uno 72. diſcipulorum: aliud*, ab eo *qui Chriſtum in carne viderat: aliud* (Alanus Card. Suffrag. pro defunct. cap. 5.) *ab homine potente & verbis, & factis, cuius nuda, ſine omni argumento aſſeveratio, omnes iſtos puſillos Proteſtantes in unum conglobatos proſterneret.* His autem artibus tantum primo progreſſu hominibus imperitis, & *Romanarum* fraudum inſciis, terrorem incu-

tiebant, ut conqueſti ſint nonnulli: cum *Elizæi* ſervo, quando civitatem, in qua cum domino ſuo commorabatur, hoſtili exercitu obſeſſam videbat, *Eheu.*(2.Reg.6. 14.) *Domine quid faciemus?* Ad eximendum hunc terrorem imperitis rerum adoleſcentulis, patres noſtri huic militiæ aſſuefacti, perinde tractârunt cohortes *Italicas*, ac *Ageſilaus* olim barbarorum copias: ut enim ille, quos in bello ceperat captivos, veſtibus exuendos curavit, (Plutarch. in vita Ageſilai) nudosq; militibus ſuis intuendos expoſuit, & ſic qui veſtiti hoſtibus formidabiles erant, exuti tanquam pumiliones ab omnibus deridebantur. Sic duces noſtri in hac de fide contentione, cùm *Hardingum*, *Dormannum*, *Stapletonum* & alios animadverterent, ingentes Doctorum exercitus ex univerſo terrarum orbe contrahere, & commentitiis titulis, laudibúſque immeritis inſignitos, tanquam terricula palàm oſtentare, veſtibus ſpoliârunt, & detractis larvis nudos projecerunt, exercitui *Iſraëlis* manifeſtum facientes ex iis, quæ ipſis exciderunt, non eos eſſe ipſos, quorum præ ſe ferebant ſpeciem, ſed *aſinos* Leonum pellibus indutos, *bubulcos* Prophetarum palliis amictos; *ſpuria* denique *& hæretica commenta*, nobilium & antiquorum authorum nominibus commendata; & ita tandem re explorata, ludibrio & contemptui, omnibus expoſuerunt. Et tamen, quæ eſt impudentia *Italicarum* legionum præfectorum? *Pigmæos* iſtos *& nanos* in aciem adducere denuo non erubeſcunt, & pro lectiſſimis, fortiſſimíſque *Iſraëlis* viris, ipſis *regibus*, ſpectatique judicii viris commendare, ut ex noſtratium Sacrificulorum *petitione* ad *ſereniſſimum Britanniæ regem* abundè patet. Producuntur enim ibi tanquam ſolennes teſtes & omni exceptione majores, ad fidem faciendam doctrinæ Pontificiæ, *Conſtitutiones Apoſtolicæ, Dionyſii Areopagitæ Hierarchia*, *Anacleti & Alexandri Epiſtolæ: Origenes in Leviticum & Pſalmum* 37. *Ambroſii precatio ad Miſſam, commentarii in Apocalypſin, Auguſtinus de tempore, de Sanctis, de viſitatione infirmorum, de rectitudine Catholicæ converſationis, de vera & falſa pœni-*

pœnitentia, *Paulinus in vita Ambroſii*, *Euſebius Cremonenſis*, & alii hujus generis, quos *aſinos* eſſe ex auribus, jam dudum deprehenderunt noſtri, & hodierno die fatentur ipſi adverſarii, qui ſunt in hac militia exercitatiſſimi. Quamobrem operæ pretium duxi, *pumiliones* iſtos palantes paſſim, & à ducibus noſtris (ubi in eos inciderunt) denudatos, & à ſuis ipſorum judicibus vagorum more ſtigmatibus aduſtos, & Collumbari affixos, in unum colligere, adeoque quòd *Lex* Acta Parliam. anno 39. Eliz. cap. 4. poſtulat, ad perpetuam eorum infamiam, in publicas tabulas referre, ne *Petrus VVarbeckus* pro *Richardo duce Eboracenſi*, ſordidiſſimi errores, pro locupletiſſimis civibus, obſcuriſſimi nebulones, pro nobiliſſimis ſcriptoribus, & pernicioſiſſimi hæretici, pro ſanctis Patribus, diutiùs celebrentur.

Contra hoc inſtitutum, *Romaniſtarum* progenies, plenis (quod ajunt) buccis intonabit, utpote quòd eorum impudentiam & inſaniam omnibus patefaciat: clamabit unus, *Hæc nimirum* (Harding. ad Iuelli provoc. art. 1.) *evaſio eſt, ſed omnium miſerrima, & à ratione & conſuetudine doctiſſimorum alieniſſima*; clamabit alius, *Viam ſcilicet* (Hartus in Colloq. cum Ioh. Rainoldo c. 8. diviſ. 3.) *tenetis facilem & expeditam, modò ſtrenuè pergatis, reſpuite omnes authores, qui contra vos faciunt, & ſuppoſititios eſſe dicite, ita nempe par eſt patronos impudentes, pudendam cauſam, pudendis viis modiſq; defendere.* Excipiet poſtremò alius, *Perfulgatam* (Anglo. Rhem. annot. in act. 17. 34.) *hanc eſſe technam hæreticorum, inprimis verò hæreticorum horum temporum, qui cùm antiquitatem ſibi omnem obſervent adverſariam, alios omnes coguntur audacia, vel impudentia potiùs ſuperare.* Quamobrem Eccleſiæ Chriſti has ego propono inſtituti mei rationes, tanquam *globulos picis & lini* draconum faucibus injiciendos, ne noceant. Primò dum *vile* à *pretioſo* ſeparamus, & ſcripta adulterina à genuinis diſtinguimus, nihil conamur aliud, quàm quod nos *B. Apoſtolus* monuit, quod ab antiquis Eccleſiæ Patribus in mandatis habemus, quod ipſi Patres antiquiſ-

ſimi factitârunt, quod nos ſummi *Italicarum* legionum duces, ſuo exemplo docuerunt, & quod ipſi adverſarii, ut æquum & juſtum approbârunt.

Primum luculenter patet ex 2.ad Theſſal. 2. 1. *Rogamus vos fratres,per adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti, ne citò à mente dimoveamini, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam,* tanquam per nos ſcriptam.

Secundum patet ex Patribus in Concilio Niceno 2, congregatis: ſic enim illic concluſum eſt, *Decet* (Actio 6. 10.5.Epit. Caranzæ) *omnem Chriſtianum,cùm libros aliquot adulterinos audit, aut legit, reſpuere : nec omninò animum adhibere.*

Tertium patet ex *Serapione Epiſcopo Antiocheno, Auguſtino Hipponenſi,* & aliis. Sic enim *Serapion* (Euſeb. Hiſt.Eccleſ. l. 6.cap.10. Ruffino interpr.) *nos Petrum & reliquos Apoſtolos, ſicut Chriſtum recipimus, quæ autem ſub eorum nomine falſa ab aliis conſcripta ſunt, declinamus.* Sic *Auguſtinus* : (De civit.Dei l.18.c.38.) *Proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim quod volunt, credunt : Sed ea caſtitas canonis non recipit. Non quòd eorum hominum, qui Deo placuerunt reprobetur authoritas, ſed quòd iſta non credantur eſſe ipſorum.* Sic & *Beda* (Comment. in Epiſt. Judæ) *liber Enoch inter Apocryphas ſcripturas ab Eccleſia deputatur,non quia dicta tanti Patriarchæ abiici ullatenus poſſint, aut falſa debeant affirmari, ſed quia ille liber, qui ſub nomine eius affertur, non verè ab illo ſcriptus, ſed ſub titulo nominis eius, ab alio quodam editus videtur.*

Quartum patet ex ordinaria praxi Pontificiorum: Nam licèt aliqui eorum aliquando dicant, *miſerrimum eſſe confugium, aſſerere librum aliquem eſſe ſpurium & ſuppoſititium,* coguntur tamen ſæpiſſime hoc *miſerrimo confugio* uti.

Eleutherius in Epiſtola ad *Lucium Britanniæ regem* dicit; *Regem eſſe Dei vicarium in regno ſuo.* Quid ad hoc Pontificii? *Multa ſunt in illa Epiſtola, quæ probabiliter ſua-*

ſuadent confictam eſſe, inquit Parſonius (Tripl.conver. Angl.par.1.c.8.) *Illa Epiſtola ad Lucium, magis refert miniſtrum Anglicanum, quàm Epiſcopum Romanum,* inquit alius, Apolog.cauſæ Cathol.cap.5.

Athanaſius in Synopſi rejicit libros Tobiæ, Iudith, Eccleſiaſtici, Sap. & Macchab. è Canone Scripturæ. Quid ad hoc Pontificii? *Eiusné ſit à quibusdam dubitatur?* inquit Serarius Comment.in Iudith prol.4.*Demonſtret prædicans, Athanaſium eſſe authorem eius libelli, qui Synopſis inſcribitur*, inquit Gretſerus lib. 1. cap.10. defen.Bell.10.1.

In Principio libri de *Aleatoribus* apud *Cyprianum,* ſignificat author, *ſe univerſali Eccleſia præſidere, & Apoſtolatum gerere,ſuper quem Chriſtus fundavit Eccleſiam,& Chriſti vicariam ſedem obtinere, & ſibi traditas eſſe claves ligandi & ſolvendi,&c.* Quid ad hoc Pontificii? *liber* ille non videtur Cypriani, ſed alicujus Romani Pontificis, inquit Bellarminus lib.de ſcript. Eccleſ. ad annum 250.

In Epiſtola *Liberii* Papæ,ipſo ferme ſuæ ſedis ingreſſu conſcripta, quæ habetur in libro ſub titulo *S. Hilarij de rebus geſtis in Concilio Ariminenſi*, ſignificat author, *ſe habere pacem cum omnibus Orientalibus*,nempe Arianis:*Athanaſium verò pronunciâſſe ab omni communicatione alienum.* Cui mox iſta ſubjiciuntur ex eodem volumine titulo *Hilarii* inſcripto: *Quid in his literis non ſanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens,&c.* Quibus Athanaſii condemnatio, per Liberium facta,probari videtur ab Hilario. Quid ad hoc Pontificii? *Quòd Epiſtola illa Liberii ſit,nihil eſt,quod affirmare cogat,& plurima ſunt,quæ negare compellunt*,inquit Baronius (Annal.10. 3. ad ann.352. num.15.) Et non eſſe Hilarii verba iſta, quibus probatur Athanaſii condemnatio, per Liberium facta, ſed Ariani potiùs, inquit idem Num.13.

In *Baſilii quæſtionibus compendio explicatis,* quæſt 1. & 95. videtur Author *damnare traditiones*, item quæſt. 4. 293. videtur *tollere de medio diſcrimen peccati mortalis,& venialis.* Quid ad hoc Pontificii? *Baſilii quæſtiones*

nes compendio explicatæ non ſunt indubitatæ, inquit Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſ. ad ann. 570. Et alibi, *Valde probabile eſt eas quæſtiones editas eſſe ab homine parum probatæ fidei*, inquit idem lib. 1. de amiſ. gratiæ cap. 13.

Hilarii Epiſtola ad *Apram* filiam, teſtatur *Hilarium Epiſcopum Pictavienſem* fuiſſe maritum. Quid ad hoc Pontificii? *Niſi magnâ laboraſſes penuria claſſicorum authorum, & admodum impudens in mala cauſa propugnanda fuiſſes, nunquam mentionem feciſſes tam putidæ & fictæ ſcriptionis*, inquit Hardingus, Ad Iuelli replic. contra ſacrificium Miſſæ, ſect. 11. p. 173. in reſponſione ad Iuellum Epiſcopum Sariſburienſem.

Inter Epiſtolas *Ambroſii* habetur una (Epiſt. 79.) ſub nomine *Damaſi Pont. Rom.* in qua dicit, *ſibi non poſſe competere formam iudicandi, quandoquidem huiusmodi fuerit Concilii Capuenſis iudicium, ut finitimi, Bonoſo, eiusq; accuſatoribus iudices tribuerentur.* Quid ad hoc Pontificii? *Illa Epiſtola non eſt Damaſi*, inquit Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. cap. 24.

Tom. 1. operum *Chryſoſtomi* habetur ſer. in Pſal. 14. qui incipit, *pulcher eſt Pſalmus*, in quo legimus, *Vna ſola virtus iuſtificat, fides, quæ eſt virtutum faſtigium.* Quid ad hoc Pontificii? *Hanc Homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chryſoſtomum agnoſco*, inquit Nobilius Flaminius Notation. in B. Chryſoſt. ad finem tomi 5.

Tom. 2. operum *Chryſoſtomi*, habetur, *Opus*, quod dicitur, *imperfectum in Matthæum*, in cuius homilia 49. legimus, *Eccleſiam non cognoſci niſi tantummodo per ſcripturas.* Quid ad hoc Pontificii? Bellarminus de ſcript. Eccleſ. ad anno 398. agnoſcit credibile eſſe, *Authorem fuiſſe Catholicum*: & confitetur *opus ipſum doctum eſſe & minimè ſpernendum*, ſed non videtur eſſe Chryſoſtomi, inquit ille. Et, *haud æquo animo pati poſſumus, adſcriptas fuiſſe ſanctiſſimo viro, eius titulo hactenus conſignatas, quinquaginta quatuor homilias, quas Opus imperfectum, in Matthæum nominant. Quis enim non iure commoveatur, cùm videt adſcribi ſanctiſſimo viro,*

Viro, ab incerto authore, ſed certo hæretico hæreticorúmque deterrimo, compoſitas homilias illas purulentas, hæreſium ſcatentes vermibus, quæ ne pilum quidem Chryſoſtomi vel in dictione, vel in ſententiis, vel in dogmatibus habent, ſed ſparſas hæreſes Manichæorum, Montaniſtarum, Arianorum, & Donatiſtarum continent: atque planè in omnibus ſe prodat auctor longè longius ab Eccleſia Catholica alienum, &c. inquit Baronius Annal. 10. 5. ad annum 407. num. 11.

Extitit in *Bibliotheca Florentina*, temporibus (loc. *Petri Martyris*, comm.) Epiſtola *Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum*, in qua ſcriptum fuit: *Panem poſt conſecrationem non vocari amplius panem, licet natura panis in eo permaneat.* Quid ad hoc Pontificii? *Nihil huiusmodi ſcripſit Chryſoſtomus, neque enim in toto Chryſoſtomi opere, ullus eſt liber, vel Epiſtola ad Cæſarium Monachum,* inquit Bellarminus libr. 2. de Euchar. c. 22.

Extat *libellus* ſeu *Epiſtola*, ſub nomine *Gregorii Nyſſeni*, quâ totus in eo eſt, ut improbet ad loca ſancta peregrinationem. Quid ad hoc Pontificii? *Baronius* quidem *legitimum eum Gregorii partum* agnoſcit Annal. Tom. 4. ad ann. 386. num. 39. verùm Bellarminus lib. 3. de cultu Sanct. cap. 8. *fortè non eſſe Nyſſeni* ait, & ſine *fortè*, hæretici librum hunc ſub nomine Gregorii Nyſſeni ſuppoſuerunt, inquit Poſſevinus Præf. ad lector. to. 1. apparat.

Epiphanius in Epiſtola 60. inter opera *Hieronymi* dicit, *ſe ſcidiſſe velum pendens in foribus Eccleſiæ, tinctum, atque depictum, & habens Imaginem quaſi Chriſti, vel ſancti cuiusdam.* Quid ad hoc Pontificii? *Illa Epiſtola non eſt Epiphanii,* inquit Dureus Cont. Whita. pag. 389. *Verba illa non ſunt Epiphanii, ſed ſuppoſititia,* inquit Sanderus de imag. l. 2. *Sunt potiùs alicuius Iconoclaſtarum figmentum, quàm Epiphanii germanum ſcriptum,* inquit Baronius Annal. ad ann. 392. num. 59.

Aug. ad Oroſium quæſt. 49. dicit, *univerſam Eccleſiam accepto Chriſti ſanguine, dicere Amen.* Quid ad hoc Pontificii? *Reſpondeo,* inquit Bellarminus (de Miſſa l. 2. c. 12.) *librum illum non eſſe Auguſtini, ut eruditi fatentur.*

Valen-

Valentinianus Imperator contulit Eccleſiæ Ravennati, ob decorem Apoſtolicæ dignitatis, honorem pallii, & omnis decôris pontificalis uſum ſicut cæteri fruuntur Metropolitæ, ut legimus in Reſcriptis *Valentiniani,* ad *Ioannem Ravennatem.* Quid ad hoc Pontificii? qui dicunt *Pallium nonniſi à Romanis Pontificibus, Archiepiſcopis ſolitum fuiſſe impartiri, ab Imperatoribus nunquam? Hoc reſcriptum vafrum commentum eſt, & ſpurium* inquit Baronius Annal.tom.5.ad ann.432.num.96.

Inter Epiſtolas *Leonis*, habetur una, cujus titulus eſt, *Dominus fratribus meritò beatiſſimis, &c. Leo, Victorius, Euſtathius, Epiſcopi.* Cujus ſubſcriptio eſt, *Leo Epiſcopus ſcribit, Victorius Epiſcopus ſcribit, Euſtathius Epiſcopus ſcribit.* Quid ad hoc Pontificii, qui loquuntur de Rom. Pontifice, quaſi eſſet in Eccleſia, quòd *anima in corpore, totus in toto, & totus in qualibet parte? Hanc epiſtolam non eſſe Leonis Papæ, titulus & ſubſcriptio indicant,* inquit Binnius Not.tom.1.Conc.p.999.

Leo in Epiſtola 2. ad Conſtantinum dicit, *Honorium Epiſcopum Romanum fuiſſe hæreticum, in ſexto Concilio generali condemnatum.* Quid ad hoc Pontificii? Biſciola, Epito.Annal.Baron.ad ann.683. dicit, *Literas Leonis confictas, & ſuppoſititias, multis argumentis coargui ab authore Annalium.*

Fulgentius de fide ad Petrum citatur à *Bertramo contra transſubſtantiationem.* Quid reſpondent Pontificii? *Ratio convincit, non eſſe Fulgentii, neque aliquid authoritatis habet, quòd Bertramus ex hoc verba quædam citat Fulgentii nomine*, inquit Poſſevinus Apparat. Petr. Diaconus.

Gelaſius contra Eutychen dicit, *Non deſinit eſſe ſubſtantia panis & vini in Sacramento.* Quid ad hoc Pontificii? *Liber ille non eſt Romani Pontificis,* inquit Bellarminus De Sacram Euchar. l. 2. c. 27. *Orthodoxi unâ fermè ſententiâ, opus illud Gelaſii eſſe negârunt,* inquit Baronius Annal.ad ann.496.n.1.

Theodorus Studita in ep. 38. vocat *Concilium Nicenum 2. non Oecumenicum, ſed locale.* Quid ad hoc Pontificii?

tificii? *Certè quidem, cùm eam Epiſtolam legi, in eam exiſtimationem adductus ſum, ut exiſtimarem, non ipſius Theodori: utpote indignam, quæ vel cuilibet homini Catholico adſcribatur, in qua tot adeò aperta mendacia proferuntur*, inquit Baronius Annal.21.anno 787.

Taraſius in *Epiſtola* ad *Hadrianum* Papam accuſat illum *Simoniæ: fraternitas veſtra, & ſacerdotalis dignitas, magna laborat infamia, &c.* Quid ad hoc Pontificii? *Certè quidem, qui eam primus edidit Theodorus Balſamo, Rom. Eccleſiæ acerbiſſimus, hoſtis in ſuſpicionem adducitur impoſturæ, utpote ſchismate ſciſſus homo, nihil magis ſcribendo laborat, quàm ut Eccleſiæ Romanæ notam inurat,* eandémque contemptibilem reddat, inquit Baronius (Ibidem.)

Extant *quatuor libri* ſub nomine *Caroli Magni contra imagines.* Quid ad hoc Pontificii? *Fictitius eſt Carolus, Pſeudo-Carolus,* & adulterinus liber, inquit Copus Dial.4.cap.ult. *Caroloſtadius commentum ſuum adverſus cultores imaginum ſub nomine Caroli Magni de cultu imaginum emiſit,* inquiunt Poſſevinus (Præfat. ad lect. tom.1. Apparat) & Sixtus Senenſis (Præfat. in Bibl. ſanctam) *Dico eos libros non eſſe Caroli, neq; eiusmodi, quibus fides aliqua adhiberi poteſt,* inquit Bellarminus libr.2. de Imag.c.15.)

Extat, inter *Orthodoxographa, Epiſtola ad Nicolaum Papam* ſub nomine *Vdalrici Epiſcopi Auguſtani,* in qua multa habentur contra Cœlibatum ſacerdotum. Quid ad hoc Pontificii? *Dico, eam Epiſtolam videri confictam, & confictam ab aliquo imperito defenſore coniugii Eccleſiaſticorum,* inquit Bellarminus (lib. 1. de Clericis cap.22.) *Magis redolet Vdalricum Huttenum, novum Evangelicum, quàm S. Vdalricum Auguſtanum Epiſcopum,* inquit Piſanus lib. de continentia cap.14. *Non eſt fœtus Vdalrici, ſed illius nomine à corruptore aliquo ſuppoſitus,* inquit Florimondus (Idem fab. Ioannæ cap.17.)

Extat liber *de corpore & ſanguine Chriſti* ſub nomine *Bertrami Monachi Corbienſis Cœnobii,* in quo multa contra Tranſubſtantiationem. Quid ad hoc Pontificii?

Sup-

Suppoſititius eſt, inquit Gretſerus lib.2.cap.10. de jure & more prohibendi libros malos. *Aliquis Berengarianæ hæreſis fautor libellum hunc confinxit poſt mortem Bertrami, & nomine illius ſuppoſuerunt*, inquit Parſonius Tripl.converſ.part. 2. c. 10. *Oecolampadius contra divinam Euchariſtiam ſub nomine Bertrami preſbyteri librum ſcripſit ad Carolum Magnum*, inquiunt Poſſevinus (Præf. ad lect. tom. 1. apparat.) & Sixtus Senenſis. (Præf. in Bibl.) *Gildas Albanius* è regia Britannorum ſtirpe, ſcripſit de *Victoria Aurelii atque Ambroſii*, & *Britannos recepiſſe Evangelium tempore Tiberii Imperatoris*, dicit. Quid ad hoc Pontificii? *Liber eſt ſuppoſititius*, inquit Parſonius, lib. citato part.1.pag.4.

Luitprandus Ticinenſis ſcripſit *libros 6.de rebus geſtis in Europa ſuo tempore*, in quorum poſtremo, refert Ioh. Papam 12. *ordinâſſe ſacerdotes in ſtabulo inter equos: iviſſe in patris concubinas: cyathum diabolo propinâſſe; &c.* Quid ad hoc Pontificii? *Scimus illa capita cenſeri Luitprandi, cuius ſuperiores libri cenſentur, nec eam rem hactenus in controverſiam eſſe deductam: veruntamen exiſtimo capita illa potius Appendicem eſſe ad Luitprandum ab auctore adhuc incerto elaboratam, quàm Luitprandi continuatum opus*, inquit, Baronius Tom. 10.l Annal. ad anno 963. n.3. Atque *Baronius non ſine cauſa ſuſpicatur, à capite 6.ſexti libri hiſtoriam non eſſe Luitprandi, ſed alicuius anonymi auctoris*, inquit Bellarminus lib.de ſcript. Eccl.ad ann.946.

Benno Cardinalis deſcripſit vitam & geſta *Hildebrandi*, qui Rom.Pont.factus, *Gregorius* 7. dictus eſt: atque narrat, cur *Gregorius* ille depoſitus fuerit, ac multa miranda de *Benedicto 9.Sylveſtro 2.&c.* Quid ad hoc Pontificii? *Fictus ille Benno Cardinalis, Lutheranorum arte & induſtria in lucem prodiit*, inquit Florimondus (Fabula Ioan. cap. 10. p. 88.) *Aliquis Lutheranus eſt huius libri author, & ſub Bennonis titulo edidit*, inquit Bellarminus de Rom.Pont.l.4.c.13.

Conceſſio facta à Leone Othoni Imperatori apud Gratianum diſt. 63. cap.23. ſic habet, *Concedimus atque lar-*

largimur Domino Othoni primo, eiusq́; Succeſſoribus in perpetuum, facultatem eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi, &c. Quid ad hoc Pontificii? *Aſcititia eſt conceſſio, impoſtura eſt, & commentitium decretum: Deo gratias quòd Impoſtor inſulſus, ineptus, ſtolidus, talis extiterit, qui adeò affectata mendacia veſtire neſciverit, ſed opprobrio ſempiterno nudata deridenda reliquit*, inquit Baronius Annal. ad annum 774.

Gratianus (Diſt. 19. cap. 9.) dicit, *Anaſtaſium* II. *Romanum Pontificem fuiſſe divino nutu percuſſum, eo quòd communicaſſet Photino hæretico.* Quid ad hoc Pontificii? *Illud caput eſt omnino confictum*, inquiunt Cenſores Gregoriani, ibid.

Gloſſa in lib. 1. *Sixti*, titulo de Renunciatione, dicit, *Cyriacum Epiſcopum Romanum, reliquiſſe Papatum, & ſe cætui Vrſulæ, & undecim millium virginum adiunxiſſe.* Quid ad hoc Pontificii? *Gloſſema hoc nullius eſt momenti, utpote quòd neque in antiquioribus exemplaribus invenitur, neque ab authore ipſo, ſed alio quodam, per parentheſin cognoſcitur intextum, & meritò hodie tanquam nothum, in emendatis authoritate ſedis Apoſtolicæ libris ſublatum eſſe reperitur*, inquit Lippolous, de vita Sanct. tom. 4. pag. 770. Colon. 1596.

Bernardus lib. 5. ad ſororem, dicit, *In turpi voto muta decretum.* Quid ad hoc Pontificii? *Ille liber ab alio quodam monacho conſcriptus eſt*, inquit Dureus cont. Whita. fol. 96.

Franciſcus in Epiſtola ad ſuos fratres jubet *unam tantùm Miſſam, uno in loco celebrari.* Quid ad hoc Pontificii? *Hæc Epiſtola non agnoſcitur à fratribus ordinum minorum pro vera Franciſci epiſtola*, inquit Eckius In Enchi. teſte Bellarm. de Miſſa l. 2. c. 10.

Brigitta (Revel. l. 4. c. 13.) dicit, *revelatum ſibi fuiſſe, animam Traiani ex inferis in ſublimem gradum evectam precibus Gregorii magni.* Quid ad hoc Pontificii? *Non fiat ut credam, quid huiuſmodi fuiſſe ſanctiſſimis fœminis revelatum, vel ab ipſis eſſe conſcriptum, ſed tantùm*

ipſarum nomine, ab aliis promulgatum, inquit Baronius Annal.ad an.604.

Bonifacius VIII. ſcribit ad *Philippum Regem Francorum, ſcire hoc te volumus, te nobis tum in rebus ſpiritualibus, tum in temporalibus ſubiectum eſſe.* Et Philippus Rex Francorum reſcribit: *Sciat tua maxima fatuitas, nos alicui non ſubeſſe, &c.* Quid ad hoc Pontificii? *Paulus Æmilius eſt in ea opinione, ut Epiſtolas iſtas, inter regem & Pontificem, ſuppoſititias eſſe putet*, inquit Stapletonius cont. Hornum, Epiſc. Winton.lib.3.c.28.

Concilium Eliberinum c.36. ſtatuit, *Picturas in Eccleſia eſſe non debere.* Quid ad hoc Pontificii? *Suſpicor in illo Canone impoſturam: In eam ſuſpicionem adducor, ut aliquis Claudij diſcipulus eiusdem canonis author fuerit, & talis impoſturæ egregius concinnator*, inquit Baronius Tom.1.Annal.ad ann.57.num.121.

Synodus Franckfordienſis (Regino lib. 2. Anno 794.) rejecit *Pſeudo-ſynodum Græcorum, quam pro adorandis Imaginibus fecerant.* Quid ad hoc Pontificii? *Quemadmodum ex Iovis cerebro natam Minervam fingunt Poëtæ, ita hac Synodus* Apologeticorum, in Anglia, proles, & commentum eſt, inquit Copus Dialo. 5. c.13.pag. 648.

Concilium Conſtantinopol 2. c. 5. ſtatuit, *Epiſcopum Conſtantinopolitanæ civitatis habere primatus honorem debere, poſt Romanum Epiſcopum.* Quid ad hoc Pontificii? *Hic canon planè adtitius eſt atque ſuppoſitus*, inquit Baronius Annal.ad an.381.n.35.

In ſexto & ſeptimo Concilio generali, Honorius Papa in albo hæreticorum enumeratur. Quid ad hoc Pontificii? *Acta 6. & 7. Synodorum Parengrapha ſunt, & minimè germana. Nihil dubitamus, Acta illa, quæ circumferuntur ſextæ Synodi nomine, nunquam verè acta in ulla legitima Synodo, ſed maxima ſui parte commentitia & mendacia, nec minus ea quoque, quæ hoc ipſo penè anno prodierunt Synodi ſeptimæ, in plerisq; certa falſitatis notis conſperſa* fermentataque ſunt, inquit Pighius, De Act.6.& 7. Synod.ad lectorem.

Ac

Atque ut hoc modo argumentis occurrunt ſæpiſſime ipſi adverſarii, ita & eam reſpondendi rationem laudant. Cùm *Baronius* premitur teſtimonio ex *Clementis Conſtitutionibus* deſumto (Annal. tom. 1. ad ann. Chr. 32. num. 18. & 19.) reſpondet, *ſe uno verbo liberari poſſe, ſi Apocryphum eſſe librum exciperet, & eſſe hoc honeſtum confugium*. Cùm *Vasquez* verba facit *de Epiſtola Epiphanii contra imagines*, & quomodo noſtrates, *Copus & Sanderus*, reſpondeant, verba illa non eſſe Epiphanii, ſed ſuppoſititia; apertè fatetur, (De adorat. l. 2. diſp. 5. c. 3.) *Illam reſpondendi rationem eſſe interdum præſentaneum & veriſſimum remedium.*

Ex quibus liquet, copiarum Italicarum duces non poſſe nobis illud vitio vertere, quòd ſordidum à precioſo, & ſcripta adulterina à genuinis ſeparemus, quin per latera noſtra vulnerent Apoſtolum *Paulum*, qui illud ſedulò monuit faciendum, & antiquiſſimos Eccleſiæ *Patres*, unà cum præcipuis militiæ ſuæ ducibus, qui illud ipſum factitârunt, & tanquam rectè factum Eccleſiæ Dei commendârunt. Quod igitur in alia cauſa *Pelagiano* cuidam dixit Auguſtinus: (Contra Iulianum lib. 2.) *Dic huic Ambroſio, ſi audes, quæ mihi tam petulanter obiicis:* idem ego, *Hardingo, Harro, & Rhemenſibus* noſtris: dicite S. Apoſtolo *Paulo*, antiquiſſimis Eccleſiæ Patribus, *Serapioni, Origeni, & Auguſtino*, Epiſcopis in ſecundo Concilio Nicæno congregatis, & lectiſſimis ductoribus veſtris, *Bellarmino, Baronio, Poſſevino, Parſonio, Dureo, &c.* Dicite, inquam, iſtis ſi audetis, quæ nobis tam petulanter objicitis, eos nempe *impudentes eſſe patronos, vias modóſque pudendos iniiſſe; ad commune hæreticorum aſylum, idq́; miſerrimum confugere*. Atque hoc vobis dicendum eſt, neceſſariò, ſi huic inſtituto meo de adulterinis ſcriptis deprehendendis & coarguendis, amplius reclamare velitis. Quare ſpero vos nobis æquiores futuros impoſterum, quàm ut hæreticorum affines dicatis, dum adulterina ſcripta à genuinis ſecernimus. Cogitantes cum *Gretſero* veſtro (De jure & more prohibendi lib. mal. l. 2. cap. 5.) *proprium eſſe hæreticorum libros abs*

ſe fictos magnorum virorum nominibus falsò inſignire, ſuaq; commenta ſpecioſis praſtantium doctorum titulis decorare; & cum *Parſonio* veſtro, (Trip. comm. Angl. par. 1. cap. 4. pag. 86.) *Nebulones eſſe perditiſſimos, non ſolùm qui opera ſpuria claris adſcribunt authoribus, verùm eos etiam, qui pro veris & genuinis obtrudunt.*

Nec hic, quicquam juvabit dicere, quod *Torrenſis* dixit de operibus (Præf. ad Aug. confeſſ.) quæ falsò *Auguſtini* nomine *feruntur: eſto, non ſint eorum libri omnes, quorum nomina præ ſe ferunt, at certè quidem æqualium eorum pleraque ſunt, doctorum iuxta ac piorum hominum planè omnia.* Manifeſtum enim eſt, benè magnam partem eorum, quæ falſis nominibus circumferuntur, vel ab hæreticis fuiſſe conſarcinatam, vel ab iis editam, qui nullo modo, cum iis, quorum nomine feruntur, ſunt comparandi. *Clementis* enim *recognitiones quædam habent incerta, multa fabuloſa, nonnulla inſuper Catholicis dogmatibus adverſantia*, inquit Sixtus Senenſis, Bibl. l. 2. Clem. Commentarii in *Iobum*, qui *Origenis* nomine circumferuntur, *doctrinam de Trinitate ſectam vocavit* Eraſm. Cenſur. *& hæreſin, & tres perſonas, tria cornua Diaboli.* Bellarm. de gra. primi hom. cap. 3. Quæſtiones nomine *Auguſtini* de veteri & Novo Teſtamento, *Melchiſedechum conſtituunt Spiritum Sanctum*, quod *Auguſtino* Iudice hæreticum eſt. Epiſtola ad *Auguſtinum, de miraculis Hieronymi*, quæ Cyrillo Hieroſolymitano adſcribitur, *conficta eſt ab hæretico Monothelita*, ut teſtatur Baron. Annal. tom. 6. ad ann. 420. num. 46. At qui iſta ſcripſerunt, docti ac pii non fuerunt, nec ullo modo comparandi cum *Clemente, Origene, Auguſtino, Cyrillo*, quorum titulis decorantur. Præterea, quod ſcribit, *Bellarminus* de uno ſcripto commentitio, id quidem poteſt de omnibus non minus verè affirmari (De Rom. Pont. lib. 2. cap. 9.) *Hiſtoria Lini verè conficta eſt, ſi conficta eſt, non eſt ullius authoritatis.* Illud igitur concludam de maxima parte ſcriptorum, quæ adulterina & ſpuria ſunt, quod *Pererius Ieſuita* (Comment. in Dan. l. 11. pag. 541.) de quodam ſtatuit opuſculo, quòd *Ioannes Annius*

Annius Beroſo, Metaſtheni & Philoni falsò attribuit. *Valeat & in perpetuum valeat hæc Chronologia Anniana, & quæ toties à viris doctis profligata & iugulata eſt, iaceat in poſterum ſempiterna hominum oblivione ſepulta, nec ſit poſthac, qui eam exhumare, & ad fidem aliquam atque authoritatem, quaſi ad vitam revocare audeat. Sat ſit adhuc eam, cùm non erat bene nota, impoſuiſſe multis: Nunc detectis atque in apertum prolatis fucatis eius mendaciis & fallaciis, ſi quem circumvenerit ac deceperit, nimis profectò ſtupidum & vecordem eum fore neceſſe eſt.* Valeant & in perpetuum valeant ſcripta ſuppoſititia, quæ Patriarchis, Chriſto, Apoſtolis, *Martiali, Dionyſio, Abdiæ, Lino, Melitoni, Clementi*, aliiſque antiquis & ſanctis authoribus aſcripta, & quæ toties à viris doctis ſtigmatibus notata, & inuſta ſunt, jaceant in poſterum ſempiterna hominum oblivione ſepulta, nec ſit poſthac quiſquam, qui ea exhumare, & ad fidem aliquam & authoritatem, quaſi ad vitam revocare audeat: ſat ſit ea adhuc, cùm non erant bene nota, impoſuiſſe multis; nunc detectis eorum fraudibus & fallaciis, ſi quos deceperint, nimis profectò ſtupidos & vecordes eos eſſe neceſſe eſt.

II. *Scripta ſuppoſititia ſunt vel* [a] profana, *vel* Sacra.

a Quo nomine non quoslibet ſcriptores intelligimus profanos. Eorum enim authoritatem & integritatem aſſerendam Criticis relinquimus; ſed illos duntaxat, qui cùm eſſent ἔξω τῆς ἐκκλησίας, authores tamen ejusmodi librorum creduntur, qui ipſa ſalutis noſtræ myſteria clariùs ferè tradunt, quàm vel Prophetæ, vel Apoſtoli: vel eos ſaltem, quorum verbis multi, contra ſcripta ſacra & authentica, abutuntur.

III. *Profana vel* [a] Judæorum *ſunt, vel* Gentilium.

a Tale eſt ſcriptum 1. גלי רזיא Ἀποκάλυψις τῶν μυστηρίων, quem librum Iudæi omnes ignorant. Author di-

citur רבנו קדוש (de quo *Hiſt. Eccleſ. Sec.* 2. p.77.) qui traditiones, ſeu Miſnaioth, ducentis ferè ante Concilium Nicænum annis compoſuit, quas Iudæi Scripturæ Sacræ æquiparant. Iſtius libelli Pater, quicunque ille ſit, de Myſterio Trinitatis adeò dilucidè & diſtinctè diſſerit, ut S. Athanaſio verborum perſpicuitate & expreſſa δήνέ-μῇ vix cedat, cæterique Patres ante Concilium Nicænum, ſi cum iſto, omnium Iudæorum Magiſtro, & infenſiſſimo Chriſtianorum hoſte, comparentur, obſcurè admodùm de tanto myſterio locuti fuerint. *Raimundus* & *Porchetus*, iſtum admirabilem myſteriorum Epopten, cum omnibus Iudæis ignoraverant. *Morin*.de Heb.Græcique Text. ſincerit.lib. 1.pag. 17. Ex hoc nihilominus authore pleraque ſua deſumſit *Galatinus*, quod ne ipſe quidem in eo probat Morinus.

II. *Ioſephus, ben Gorion*, quem quidam cum Ioſepho, Antiquitatum ſcriptore faciunt eundem, ut Munſterus: *alii* non quidem eundem; ſed æqualem. At veteres ejus non meminerunt. Ipſe etiam ſcriptor apertè fabuloſus eſt. Vnde rejicitur à *Baronio*; infra Hieronymi ætatem amandatur à *Ribera*; ſuppoſititius cenſetur à *Poſſevino*, *Rainold*.Præl. de Apoc.Script.*Scalig*.Cont.Serar. c. 4.5. *Coc*. Cenſ.

III. Huc pertinent libri nonnulli Apocryphi, præſertim *ſapientia Solomonis, Eſræ tertius & quartus*, qui poſtremi duo, ut fabulis Talmudicis ſcatent, ita ab ipſis etiam Pontificiis Apocryphis annumerantur. De reliquis actum eſt in *Theſauro Philol*.lib.11.c.2.

IV. Gentilium *ſcripta vel* [a] Chaldæorum *ſunt, vel* [b] Ægyptiorum, *vel* [c] Græcorum *vel* Latinorum.

a Talis eſt, quem Ioannes Annius *Beroſo* Chaldæo falsò attribuit. Videatur *Perer*. Comment.in Daniel. p. 541.Præf.*Coc*. in Cenſ.ſub finem.

b Quo loco habetur *Hermès*, ſeu *Mercurius* ille Triſmegiſtus. Dubitant quidam, an unquam in rerum natura ex-

ra extiterit. Et qui hoc concedunt, putant, Moſe priorem fuiſſe. Ita *Caſaub. Funccius* teſtatur, floruiſſe eum annis ante legem latam 21. Quanti eum Latini & Græci veteres æſtiment, dici non poteſt. Conſtat enim, literarum & omnium ſcientiarum inventionem ad iſtum referri ſolitam. Plato ait, literas eum inveniſſe *μνήμης καὶ σοφίας φάρμακον*. *Cicero* lib. 3. de Nat. Deorum, Ægypto præfuiſſe, atque Ægypti leges & literas tradidiſſe. *Diodorus Siculus*, docuiſſe Græcos, *τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, rationem explicandi ſenſa animi*, ac proinde *ἑρμῆν* ab illis dictum. *Iamblichus* in primo de Myſteriis autor eſt, Ægyptios ſcriptores, putantes omnia inventa eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcripſiſſe. Et ſub finem ejus libelli refert idem, ſcripſiſſe Mercurium, id eſt, ſcripta ſub Mercurii nomine extitiſſe, voluminum viginti quinque millia, vel etiam, authore Meneſtheo, triginta ſex millia, quinquaginta, & viginti quinque. *Athanaſius Kircherus*, in ſuo prodromo Koptico refert, multa eum lingua veteri Ægyptiaca ſcripſiſſe. Cur Triſmegiſtus dicatur, habet *Suidas*: Ἐκέκλητο, inquit, τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο, εἰπών· Ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα, οὕτως· ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς. νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν, ἢ τούτου ἑνότης, καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον, ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. Πάντων γὰρ κύριος καὶ πατὴρ, καὶ πάντα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. Ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ἐν γονίμῳ φύσει, παῖς ὢν καὶ γονίμῳ ὕδατι ἔγκυον τὸν ἄνδρα ἐποίησε, καὶ τοῦτ' εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων. Ὁρκίζω σε, οὐρανὲ, θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον, ὁρκίζω σε φωνὴ πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα τὸν πάντα κόσμον ἐστηρέξατο, ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ πατρὸς, περιέχοντος πάντα, ἵλεως ἵλεως ἔσο. Arabum quoque ſcripta Hermetis hujus, quem Babylonium vocant, plena ſunt. Pauca quædam promemus ex *Muhammede*, fil. *Iſaaci*, cap. 10. *De Alchimia & Philoſophis practicis* קאל מחמד בן אסחק אלנרים אלמערוף באבי יעקוב אלוראק ועם

citur רבנו קדוש (de quo *Hiſt. Eccleſ. Sec.* 2. p.77.) qui traditiones, ſeu Miſnaioth, ducentis ferè ante Concilium Nicænum annis compoſuit, quas Iudæi Scripturæ Sacræ æquiparant. Iſtius libelli Pater, quicunque ille ſit, de Myſterio Trinitatis adeò dilucidè & diſtinctè diſſerit, ut S. Athanaſio verborum perſpicuitate & expreſſa δεινότητι vix cedat, cæterique Patres ante Concilium Nicænum, ſi cum iſto, omnium Iudæorum Magiſtro, & infenſiſſimo Chriſtianorum hoſte, comparentur, obſcurè admodùm de tanto myſterio locuti fuerint. *Raimundus* & *Porchetus*, iſtum admirabilem myſteriorum Epopten, cum omnibus Iudæis ignoraverant. *Morin.* de Heb. Græcique Text. ſinceerit. lib. 1. pag. 17. Ex hoc nihilominus authore pleraque ſua deſumſit *Galatinus*, quod ne ipſe quidem in eo probat Morinus.

II. *Ioſephus, ben Gorion*, quem quidam cum Ioſepho, Antiquitatum ſcriptore faciunt eundem, ut Munſterus: *alii* non quidem eundem; ſed æqualem. At veteres ejus non meminerunt. Ipſe etiam ſcriptor apertè fabuloſus eſt. Vnde rejicitur à *Baronio*; infra Hieronymi ætatem amandatur à *Ribera*; ſuppoſititius cenſetur à *Poſſevino*, *Rainold*. Præl. de Apoc. Script. *Scalig*. Cont. Serar. c. 4. 5. *Coc.* Cenſ.

III. Huc pertinent libri nonnulli Apocryphi, præſertim *ſapientia Solomonis*, *Eſræ tertius & quartus*, qui poſtremi duo, ut fabulis Talmudicis ſcatent, ita ab ipſis etiam Pontificiis Apocryphis annumerantur. De reliquis actum eſt in *Theſauro Philol.* lib. 11. c. 2.

IV. Gentilium *ſcripta vel* [a] Chaldæorum *ſunt, vel* [b] Ægyptiorum, *vel* [c] Græcorum *vel* Latinorum.

a Talis eſt, quem Ioannes Annius *Beroſo* Chaldæo falsò attribuit. Videatur *Perer.* Comment. in Daniel. p. 541. Præf. *Coc.* in Cenſ. ſub finem.

b Quo loco habetur *Hermes*, ſeu *Mercurius* ille Triſmegiſtus. Dubitant quidam, an unquam in rerum natura ex-

ra ex-

ta extiterit. Et qui hoc concedunt, putant, Moſe priorem fuiſſe. Ita *Caſaub. Funccius* teſtatur, floruiſſe eum annis ante legem latam 21. Quanti eum Latini & Græci veteres æſtiment, dici non poteſt. Conſtat enim, literarum & omnium ſcientiarum inventionem ad iſtum referri ſolitam. Plato ait, literas eum inveniſſe μνήμης καὶ σοφίας φάρμακον. *Cicero* lib. 3. de Nat. Deorum, Ægypto præfuiſſe, atque Ægypti leges & literas tradidiſſe. *Diodorus Siculus*, docuiſſe Græcos, τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν, *rationem explicandi ſenſa animi*, ac proinde ἑρμῆν ab illis dictum. *Iamblichus* in primo de Myſteriis autor eſt, Ægyptios ſcriptores, putantes omnia inventa eſſe à Mercurio, ſuos libros Mercurio inſcripſiſſe. Et ſub finem ejus libelli refert idem, ſcripſiſſe Mercurium, id eſt, ſcripta ſub Mercurii nomine extitiſſe, voluminum viginti quinque millia, vel etiam, authore Meneſtheo, triginta ſex millia, quinquaginta, & viginti quinque. *Athanaſius Kircherus*, in ſuo prodromo Koptico refert, multa eum lingua veteri Ægyptiaca ſcripſiſſe. Cur Triſmegiſtus dicatur, habet *Suidas*: Ἐκέκλητο, inquit, τρισμέγιστος, διότι περὶ τριάδος ἐφθέγξατο, εἰπών· Ἐν τριάδι μίαν εἶναι θεότητα, οὕτως· ἦν φῶς νοερὸν πρὸ φωτὸς νοεροῦ, καὶ ἦν ἀεὶ νοῦς. νοὸς φωτεινὸς, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἦν, ἢ τούτου ἑνότης, καὶ πνεῦμα πάντα περιέχον, ἐκτὸς τούτου οὐ θεὸς, οὐκ ἄγγελος, οὐκ οὐσία τις ἄλλη. Πάντων γὰρ κύριος καὶ πατὴρ, καὶ πάντα ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ ἐστιν. Ὁ γὰρ λόγος αὐτοῦ παντέλειος ὢν, καὶ γόνιμος, καὶ δημιουργὸς, ἐν γονίμῳ φύσει, παῖς ὢν καὶ γονίμῳ ὕδατι ἔγκυον τὸν ἄνδρα ἐποίησε, καὶ ταῦτ' εἰρηκὼς ηὔξατο λέγων. Ὁρκίζω σε, οὐρανὲ, θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον, ὁρκίζω σε φωνὴ πατρὸς, ἣν ἐφθέγξατο πρώτην, ἡνίκα τὸν πάντα κόσμον ἐστηρίξατο, ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ μονογενοῦς λόγου, καὶ τοῦ πατρὸς, περιέχοντος πάντα, ἵλεως ἵλεως ἔσο. Arabum quoque ſcripta Hermetis hujus, quem Babylonium vocant, plena ſunt. Pauca quædam promemus ex *Muhammede*, fil. *Iſaaci*, cap. 10. *De Alchimia & Philoſophis practicis* קאל מחמד בן אסחק

אלנדים אלמערוף באבי יעקוב אלוראק ועם

 אחל

אחל צנאעה אלכימיא והי צנאעה אלדהב
ואלפצה מן עיר מעאדנהא אן אול מן תכלם
עלי עלם אלצנעה הרמס אלחכים אלבאבלי
אלמנתקל אלי מצר ענד אפתראק אלנאס ען
באבל ואנה מלך מצר וכאן חכימא פילסופא
ואן אלצנעה צחת לה ולה פי דלך עדה כתב
פאנה נטר פי כואץ אלאשיא ורוחאניאתהא וצח
לה בבחתה ונטרה ועלם צנאעה אלכימיא
ווקף עלי עמל אלטלסמאת ולה פי דלך כתב
כתירה. *Dixit Muhammed, filius Iſaaci Nadimaus, cognomento Abi Iakub Verakaus. Exiſtimant quidam Chimici* (id eſt, *auri & argenti, extra fodinas, conflatores*) *primum, qui de Chimia diſſeruit, eſſe Hermetem Sapientem Babylonium, qui deportatus eſt in Ægyptum, cùm diſpergerentur homines è Babylonia, poſteaq; Rex fuit Ægypti, ſapiens item Philoſophus. Huic autem artem illam optimè tribui, ut qui in ea multos ediderit libros* (meminit ſanè *Caſaub*. contra Baron. pag. 76. libri Græci, cui nomen, *ἱερὰ τέχνη*, id eſt, *χρυσοποιΐα*, qui extat in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, in quo non ſemel Mercurii mentio recurrit) *multa peculiaria obſervârit, ſenſúmque ſpiritualem elicuerit. Atque huius ei negotij optimè vindicatur indagatio & ſpeculatio, χρυσοποιΐα item. Operam etiam dedit conficiendis Tilſemis, de quibus multos habet libros.* Plura de Tilſemis ſcripſimus *Hiſt. Orient.* l. 1. c. 8. pag. 188. Et paulò poſt. קד אכתלף
פי אמרה פקיל אנה כאן אחד אלסבעה אלסדנה
אלדין רתבוא בחפט אלביות אלסבעה ואנה כאן
אלתרתיב עטארד ובאסמה יסמי פאן עטארד
באללעה.

באללעה אלכרדאניה הרמס וקיל אנה אנתקל
אלי ארץ מצר באסבאב ואנהא מלכהא וכאן לה
אולאר מנהם טאט וצא ושמן ואתריב וקפט
ואנה·כאן חכים זמאנה ואנה למא תופי דפן פי
אלבנא אלדי יערף במדינה מצר באי הרמס
ותערפה אלעאמה באלהרמס וקיל קברה אבנה
אלדי כלפה בעד מותה, id eſt, *Diſſentiunt authores in negotio eius. Dicunt, eum eſſe ex ſeptem miniſtris, quibus ordine commiſſa eſt cuſtodia ſeptem domiciliorum, eique deberi ordinem Mercurij, à quo etiam nomen habet. Eſt enim* Ottared, *Chaldæorum linguâ,* Hermes. *Alij volunt, eum translatum eſſe in Ægyptum certis de cauſis, ibiq; regnâſſe, liberos etiam habuiſſe, ex quibus Tat, Za, Schamen, Atrib, Koft. Excelluiſſe eum ſuo tempore ſapientiâ. Cùm obiiſſet, ſepultum eſſe in Mauſoleo, cui in Ægypto nomen* Hermetis. *Vulgò Hermetem vocari. Aiunt quidam, terra eum mandatum eſſe à filio, qui ei poſt mortem ſucceſſerit.* Ita de Hermete Arabes. Quicquid ſit, librum illum, qui ei tribuitur *ψευδεπίγραφον*, & Chriſtiani potiùs, vel Semi-Chriſtiani eſſe, pronunciat contra Baronium *Caſaub.* pag. 75. Chaldæis, an Ægyptiis Hydaſpis, quem Hyſtaſpem *Iuſtinus Martyr* vocat, accenſendus ſit, dicere non habeo. De hoc enim nihil facilè reperias, præter Vaticinia, quæ ab *eo*, *Clemente* item *Alexandrino*, & *Lactantio* afferuntur. Niſi conjicias, quòd, quemadmodum Mercurio Ægyptiorum quibusdam, ſic aliis Hyſtaſpi Perſæ (eſt enim *ὑςάσπης ὄνομα κύριον, πατρὸς Δαρείου*) placuerit aſcribere lucubrationes nonnullas, quibus magnam conciliare volebant authoritatem, idque propterea, ut Magorum hinc religio, quæ primis poſt Chriſtum natum ſeculis culta ſatis adhuc erat, authoritate Regum horum confunderetur: propoſito laudabili, ſed conſilio valde malo.

¶ Vt ſunt ſcripta fatidica tum Poëtarum, *Phocylidis*

præſertim, de quo *Daniel Heinſ.* Exercit. Sac. Epiſt. ad Heb.c.4.v.12. *Quis*, inquit, *hunc authorem Chriſtianum fuiſſe non videt, cùm ubique ad Hebræas Phraſes, quas ex Helleniſtis habet, manifeſtè alludat?* tum etiam *Sibyllarum*. De Etymologia hujus vocis Critici certant, & adhuc ſub judice lis eſt. Quidam derivant à קִבֵּל *accepit*, literarum μεταθέσει. Vide *Peucer*. de divinat. generib. p. 119. *Suidas* vult, vocem eſſe Latinam. Σίβυλλα, inquit, ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστὶν ἑρμηνευομένη προφῆτις. Et certè Sibyllas Prophetiſſarum loco fuiſſe, ipſi etiam viderunt Iudæi. Vnde *Salmantic*. in juchas. pag. 136. b. בזמן אלו הנביאים היה גם בין אומות אישה כנביאה והיא נקרא סבילא *Tempore Prophetarum illorum fuit inter gentes mulier quaſi prophetiſſa, cui nomen Sibylla. Æmilius Fortus*, Notis in Suidam; Σίβυλλα, inquit, Doricum & Æolicum vocabulum, ἡ τῶν ζιῶν, ἤγουν θεῶν βουλὴν ἀνθρώποις ἑρμηνεύουσα. Quod petitum eſt ex *Lactantio* lib. 1. de falſa Religione c. 6. Sibyllæ ſunt à veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel à conſiliis Deorum denuntiandis: ζιοὺς enim Deos, non θεοὺς, & conſilium non βουλὴν ſed βυλλὴν appellabant Æoli eo ſermonis genere. Sibyllam itaque dictam eſſe vult, quaſi θεοβούλην. *Matth. Martinius* de veritate divinæ Chriſti naturæ tract. 3. pag. 296. mavult deducere ex σείω *agito*, & βυλλὸς *plenus, refertus*, quòd plenæ concitatione & furore vaticinarentur. Quid ſi originem ei aſſignemus Hebræam סבל, quæ, verbo נשא, in Prophetiis haud infrequenti, & præſenti ſignificatui accommodata, vicina, *portantem, referentem* notabit? Sibyllæ autem numero erant decem 1. *Chaldæa*, quæ & Perſica. Hæc, Sambehta vulgò dicta, vel à יפת & שם, vel à שבת deducitur 2. *Libyca*. 3. *Delphica*, Delphis nata. 4. *Italica*. 5. *Erythræa* quæ bellum Trojanum prædixit. 6. *Samia*, cui nomen Phyto. 7. *Cumæa*, quæ & Amalthæa, & Hierophila. 8. *Helleſpontia*. 9. *Phrygia*. 10. *Tiburtia*, Albunæa dicta. De his conſulatur *Suid. Lactant.* lib. 1. c. 6.

Aug.

Aug. de civit. Dei lib.18.cap. 25. Comment. *Lud. Viv.* Ibid. *Franciſc.Petrarch.* de vir. illuſt. pag. 518. *Sixt. Senenſ.* Bib. Sanct. lib.2.pag.113. *Peucer.* de divinat.p.120. & ſeqq. *Pet.Lanſell.* Ieſ.in Iuſt. Mart. pag. 528. *Baronius* appar. pag. 8. & deinc. Atque de his Sibyllarum ſcriptis tria ferè autorum judicia occurrunt. *Primum* eſt eorum, quibus ſunt γνήσια. Ita ex veteribus *Iuſt. Mart. Cl. Alex. Lactant. Euſeb.* alii. Ex recentioribus *Ludov. Viv.* ad c.46. lib. 18. de Civit. Dei. *Baron.* appar. ad annal. S.19. 20. &c. *Andreas Eudæmon Iohannes Cydonius*, defenſ. annal.adverſ.Caſaub. l.1.c.5. *Alii* Carmina hæc ψευδεπίγραφα agnoſcunt. Ex veteribus τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ἀπιστεῖν *multos mortalium reiecisse teſtimonia Sibyllarum in cauſa fidei*, ſcribit Euſebius. Id quod non de Gentilibus tantùm, ſed & Chriſtianis, limatioris judicii Viris, quibus fraus ſubolebat, intelligi debet. Tale quid ipſe innuit *Auguſtinus* lib.18.de Civ. Dei c. 46. *Proinde cum ſcripturis noſtris non credunt, complentur in eis ſua, quas cæci legunt, niſi fortè quis dixerit, illas Prophetias Chriſtianos finxiſſe de Chriſto quæ Sibyllæ nomine, vel aliorum proferuntur.* Et c. 47. *Sed quæcunque aliorum Prophetiæ de Dei per Chriſtum Ieſum gratiâ proferuntur, poſſunt putari à Chriſtianis eſſe conficta. Ideo nihil eſt firmius, ad convincendos quoſlibet alienos, ſi de hac re contenderint, noſtriſque fulciendis, ſi rectè ſapuerint, quàm ut divina prædicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Iudæorum ſcripta ſunt codicibus.* Ex recentioribus quidam Sibyllina carmina ſimpliciter judicant ὑποβολιμαῖα. Sic *Caſaub.* Exercit.1. ad appar. Bar. S. 10. *Caſparus Brochmandus*, teſte *Conrado Dieterico* in Diatr.pag. 124. *Ioh. Temporarius* Demonſt. Chronol. l. 1. pag.19. Sunt denique, qui hic temperaturam agnoſcunt, ſeu κρᾶσιν ex Gentilium & Chriſtianorum Scholis. Vnde *Peucerus* de Theomant.pag.118. *Extant in fragmentis*, inquit, *quæ Sibyllæ nomine circumferuntur, ſimilia multa, quorum etſi expreſſiora ſunt pleraque evidentioráque, quàm ut ab antiquis poſſent videri conſcripta & putantur ab erudito aliquo ex eventu compoſita, ſparſimque*

reper-

repertis oraculis intexta, ut illa cohærerent: tamen non pauca vetuſtatem referunt, quæ ex reliquiis adhuc voluminibus ſacris deprompta, numeriſq; innexa eo videntur conſilio, ut & recitari in publicis cætibus & edisci faciliùs, conſervariq; poſſent. Nos cum *Martin.* lib. 4. de veritate Nat. Chriſti div. p. 297. Sic ſtatuimus. 1. Fuiſſe apud Gentiles verè fatidicas mulieres à Diabolo actas. 2. Diabolum tamen è verbo Dei, ut carminibus earum divinitatis opinionem afferret, ex Hiſtoria Eccleſiæ aliqua vera falſis miſcuiſſe. Chaldææ utique Sibyllæ facilè innoteſcere poterant Sacræ Scripturæ de Meſſia, vaticinia. 3. Cùm verò primitivæ Eccleſiæ Patres animadverterent, veneranda in Gentiliſmo Sibyllarum eſſe nomina, ſuis ſæpe carminibus verſus Sibyllinos interpolârunt, aut hos iſtis addiderunt, ut ita Gentiles, quoquo poſſent modo, ad Chriſtianorum pellicerent caſtra. 4. Et cum inter Sibyllina Acroſticha quoq; eſſent, (quorum & *Cicero* meminit lib. 2. *de divinat.* ſed generaliter tantùm, ut nihil ex eo colligi poſſet eorum, quæ Chriſtianorum ſcripta pollicerentur) Sanctos etiam Patres ex N. T. recenti luce primis aliquot verſuum libris nomen Servatoris noſtri videri attexuiſſe. 5. Nec ideo malitiosè mentitos magnos illos viros, cùm partem veritatis dicerent, partem diſſimularent, & verè oracula ſcriberent, ſed patefacta: multos etiam, illorum præſertim, qui & Platonem ſua ex Moſe hauſiſſe ſcribebant, de re verè geſta ne hilum dubitâſſe.

V. Atque de his ſcriptis moderna Theologorum Schola propterea dubitat, quòd non tantùm de [a] λόγῳ ὐσιώδει, [b] Creatione, [c] Lapſu, [d] Lege Moſaica, [e] Decreti æterni libertate & immutabilitate, [f] Iohanne, Meſſiæ Prodromo, [g] Chriſti in carnem adventu, [h] doctrina, [i] miraculis,

lis,

lis, [k] paſſionibus, [l] veli in templo ruptione, [m] reſurrectione à mortuis, [n] Baptiſmo, [o] nomine Chriſtiano claré & perſpicuè (quod quidem [p] à Gentilium vatibus nos Scriptura S. expectare non jubet) differant; ſed ipſa Literarum [q] Sacrarum & [r] Conciliorum verba, & Idiotismos retineant.

a Sic *Phocyl.* τῆς δὲ θεοπνεύστου σοφίης λόγος ἐστὶν ἄριστος.

b Pœmander, ſive Paſtor (qui Chriſtus eſt, ποιμὴν ille καλὸς Ioh. 10.) *Pſeudo-hermetis* Ser. 3. de creatione hominis: ὁ δὲ πάντων πατὴρ, ὁ νοῦς ὤν, ζωὴ καὶ φῶς, ἀπεκύησεν ἄνθρωπον αὐτῷ ἴσον, οὗ ἠράσθη ὡς ἰδίου τόκου, περικαλλὴς γὰρ τὴν τοῦ πατρὸς εἰκόνα ἔχων: *Mens communis omnium parens, vita & lumen hominem generavit, ſibi ſimilem, quem adamavit, ut proprium fœtum. Erat enim homo perpulcher, ut qui Patris imago eſſet.*

c Duplex, inquit *Pſeudo-Mercur.* diſp. de amiſſa ab hominibus felicitate; propterea factus eſt homo, mortalis propter corpus, immortalis διὰ δὲ τὸν οὐσιώδη ἄνθρωπον *propter hominem ipſum ſubſtantialem.* Ἀθάνατος γὰρ ὤν, καὶ πάντων τὴν ἐξουσίαν ἔχων τὰ θνητὰ πάσχει ὑποκείμενα (leg. ὑποκείμενος: *Ficinus* totam periodum aliter legit) τῇ εἱμαρμένῃ· ὑπεράνω οὖν τῆς ἁρμονίας ἐναρμόνιος γέγονε δοῦλος. *Nam cùm eſſet immortalis & omnium rerum poteſtatem habens* (quod ſæpiùs repetit, deſumtum ex *Gen.* c. 1.) *mortalia patitur, factus obnoxius homo fato: qui priùs erat ſupra Harmoniam* (legem fati) *evaſit ſervus, & Harmoniâ tenetur.*

d Vel ſolus Phocylides fidem faciat. Ordine penè Decalogum carmine exprimit. I. præceptum, πρῶτα θεὸν τίμα. 3. ψεύδορκον στυγέει θεὸς ἄμβροτον. 5. τίμα δὲ σοῖο γονῆας. 6. μὴ αἵματι χεῖρα μιαίνειν. 7. σωφροσύνην δ' ἀσκεῖν, ἔργων δ' αἰσχρῶν ἀπέχεσθαι. 8. σπέρματα μὴ κλέπτειν. 9. ψευδέα μὴ βάζειν. Item ‡ μαρτυρίην ψευδῆ φεύγειν, τὰ δίκαια ἀγορεύειν.

ριζῶν. Avaritiam depingit verbis Apoſtoli: *ἡ φιλοχρημοσύνη μήτηρ κακότητ☉ ἁπάσης.*

e Præter cætera Leidenſis Bibliothecæ Orientalis, *κειμήλια* Mſc. habetur fragmentum Hermetis Arabicum, anno 810. ex Perſico tranſlatum, in quo inter alia de liberrima Dei voluntate: דרוה אלאימאן ארבע כלאל אלצבר ללהכם ואלרצא באלקדר ואלאכלאץ באלתוכל ואלאסתסלאם ללרב *ſummum religioſæ perſuaſionis* (fidei) *faſtigium conſtituunt quatuor proprietates: Patientia ferendi iudicium Dei; acquieſcere prædeſtinationi; abſque fuco in Deo habere fiduciam, & Domino ſe totum ſubiicere.* Vocem חכם, quam per *iudicium* Elichmannus vertit, & קדר, quæ *prædeſtinatio* eidem eſt, paulò aliter ab ipſis redditur Arabibus. Illa enim *prædeſtinationi æternæ*, hæc *actuali*, ſeu *Providentiæ* reſpondet. Vide Hiſt. Orient. pag. 355. Idem Hermes apud Fatikidem (erat autem Fatikides inter Ægypti Arabes celeberrimos paulò ante annum Chriſti milleſimum) ſic loquitur: לכל שי חילה ע֗יר אלמות וכל שי גמאל ע֗יר אלאתם וכל שי יביד ע֗יר אלעמל אלצאלח וכל שי ישאק בע֗ירה ע֗יר אלטבאע וכל שי יקדר עלי אצלאחה ע֗יר אלחלק אלסו וכל שי יסתטאע דפעה ע֗יר אלקצא, *Omni rei eſt remedium, præterquam morti: Omnia ſunt pulchra, præter peccatum. Omnia pereunt, præter opus bonum. Omnia ſubſunt aliis, præterquam natura proba: Omnia poſſunt impediri, præter decretum divinum. Alibi Hermes.* ארא כאן אלדא מן אלסמא בטל אלדוא וארא קדר אלרב בטל אלמרבוב. *Vbi morbus à cælo* (Deo) *eſt, tunc fruſtrà eſt medicina, & ubi prædeſtinavit aliquid Dominus, fruſtrà eſt cautela eius, qui Domino ſubeſt.*

f De

f De quo Sibylla Perſica: cujus, teſte Lactantio, mentionem facit *Nicanor*, qui res Alexandri M. ſcripſit,

Ἀλλ᾽ ὁπόταν φωνὴ τῆς ἐρημαίης διὰ χώρης
Ἥξει ἀπαγγέλλουσα βροτοῖς καὶ πᾶσι βοήσει
Εὐθείας ἀτραποὺς ποιησέμεναι ἠδ᾽ ἀποβρίψαι
Ἐκ κραδίης κακίας καὶ ὕδασι φωτίζεσθαι.

Tunc quoq; vox quædam veniet per deſerta locorum
Nuncia, mortales miſeros, quæ clamet ad omnes,
Vt rectos faciant calles, animóſque repurgent
A vitiis, & aquis perluſtrentur corpora mundis.

g Tribuitur Sibyllæ Erythrææ Acroſtichon, in quo voces Ἰησοῦς χρειςὸς, Θεοῦ ὑὸς Σωτὴρ, per Notaricum, ut vocant Hebræi, ςυςοίχως ponuntur, de quo *Auguſt.* de Civit. Dei l. 18. c. 13. Ioh. *Temporar.* Demonſt. Chronol. l. 1. pag. 17. *Drus.* Quæſt. Heb. l. 2. q. 14. *Sixt. Senenſis* Bibl. S. lib, 2. pag. 116.

h Sibylla Helleſpontica, in agro Trojano nata, inter alia:

Αὐτὸς πληρώσει δὲ Θεοῦ νόμον, οὐ καταλύσει
Ἀντίτυπον μίμημα φέρων, καὶ πάντα διδάξει.

i. e. *Ille Dei legem complebit, non violabit;*
Per ſimilem formam referens, & cuncta docebit.

i Sibylla Libyca, cujus meminit Euripides, tale protulit de Chriſti miraculis vaticinium:

Καὶ τότε δὴ νοσερῶς ἰήσεται, ἠδ᾽ ἐπιμώμους
Πάντας, ὅσοι τούτῳ πίςιν ἐνὶ πτήσσουσι
Βλέψουσιν δὲ τυφλοὶ ἄταρ βαδιοῦσί τε χωλοὶ
Κωφοὶ τ᾽ εἰσαΐσουσι, λαλήσουσ᾽ οὐ λαλέοντες,
Δαίμονας ἐξελάσει, νεκρῶν δ᾽ ἐπανάςασις ἔςαι.

Ille quidem morbis preſſos ſanabit, & omnes
Laſos, quotquot ei fident, cæcique videbunt:
Incedent claudi, ſurdis audire licebit:
Inſolitas mutis dabitur formare loquelas,
Expellet furias: oppreſſi morte reſurgent.

k Sibyllæ Delphicæ, Delphis, ut putatur, ante bellum Trojanum ortæ, tribuitur:

Καὶ

Καὶ τότε δὴ κολάφους καὶ πτύσματα φαρμακόεντα
Ἰσραὴλ δώσει μυσαροῖς ἐνὶ χείλεσι λύτρῳ·
Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς πότον ὄξος ἄκρατον.
Impingent illi colaphos & ſputa ſceleſtis
Iſraël labiis, nec non & fellis amari
Apponent eſcam, potúmque immitis aceti.

Et aliud:

ὦ ξύλον, ὦ μακάριστον, ἐφ' οὗ θεὸς ἐξετανύσθη,
οὐχ ἕξει σε χθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
ἡνίκα ἀστράψει τὸ νέον θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα.
O lignum, ô felix, in quo Deus ipſe pependit,
Nec te terra capit, ſed cæli tecta videbis,
Quum renovata Dei facies ignita micabit.

l Sibylla Phrygia, Ancyræ ita vaticinata fertur:
Ναοῦ σχισθήσεται τὸ καταπέτασμα, καὶ ἤματι μέσῳ
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις,
Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας.
Scindetur templi velum mediúmque diei
Nox tenebroſa tribus premet admirabilis horis,
Et tridui ſomno perager mortalia fata.

m Sibylla Tiburtina, Italiæ urbe nata, quam Deæ loco Tiburtini coluere, Chriſti reſurrectionem & aſcenſionem hoc modo prædixiſſe fertur:

Αὐτὰρ ἐπὴν ἔλθῃ τρισὶν ἤμασιν ἐς φάος αὖθις
Καὶ δείξει θνητοῖσιν ὕπνον, καὶ πάντα διδάξει,
Ἐν νεφέλαις ἐπιβὰς εἰς οὐρανοῦ οἶκον ὁδεύσει.
Sed poſt quam triduo lucem repetiverit, atque
Monſtravit ſomnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illuſtravit, cæleſtia tecta ſubibit
Nubibus invectus.

n Pœmander, ſermone quarto, ex profeſſo agit de Baptiſmi inſtitutione, ubi crater in medio, plenus τοῦ Mentis, & monentur voce præconis homines, ut in eum ſeſe immergant: βάπτισον σεαυτὴν ἡ δυναμένη, ἡ πιστεύουσα ὅτι ἀνελεύσῃ πρὸς τὸν καταπέμψαντα τὸν κρατῆρα. *Intinge te, ô anima, ſi qua potes, in hunc craterem, tu, quæ credis te redituram ad eum, qui demiſit craterem.* Crater eſt

Ba-

Baptiſterium, *mens cælitus demiſſa* eſt vis Spiritûs S. immiſſa in aquam Myſticam. Patres Græci appellant *τὴν ἐπιφοίτησιν τοῦ πνεύματος*, ut *Cyrillus Hieroſolymitanus* loquitur in Myſtagogicis, & alii: Iſte rem diſſimulat, ſed verba retinet.

o *Temporarius* libro citato pag. 16. cùm Iudicium de Sibyllis ſuum edidiſſet, ſubjungit: *Authorem porrò Chriſtianum fuiſſe multa arguunt; potiſſimùm verò verſus totius operis extremi:*

Τοὔνεκ' ἄρ' ἡμεῖς καὶ ὁσίης Χριστοῖο γενέθλης
Οὐράνιοι πεφυότες ἐπικλήμεθα ζωὴ ἐμοίγε
Μνηστὴν δ' εὐφροσύνης ἐπὶ θρησκείην κατέχοντες.
Nos igitur Sancta Chriſti de ſtirpe creati
Cœleſti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitiæ memorem ſervantes relligionem.

p Iuxta illud Pſalm. 147. v. 19. Quo argumento pro *νοθείᾳ* cumprimis utuntur *Temp.* l. cit. pag. 13. & *Alt.* Hiſt. Theol. l. 2.

q Hic jam larva detrahitur perſonæ. Sed eamus in rem præſentem. *Ingreſſum* Chriſti Hieroſolymam Samia Sibylla ita deſcribit.

Χαῖρε ἁγνὴ θύγατερ Σιὼν, καὶ πολλὰ παθοῦσα,
Αὐτὸς ὁ βασιλεὺς ἐπιβὰς ἐπὶ πῶλον ἐσαύγει,
Πρᾶος πᾶσι φανεὶς, ἵνα τὸν ζυγὸν, ὃν τάχ' ὑπῆμεν
Δοῦλον δυσβάστακτον ἐπ' αὐχένι κείμενον ἄρῃ.
Salve, caſta Sion, permultáque paſſa puella,
Ipſe tibi inſcenſo Rex en tuus intrat aſello
Ergà omnes mitis iuga, quò tibi, quò iuga tollat,
Intoleranda tibi, quæ fers cervice ſubacta.

Quis ſacri contextus, & nominatim LXX. Interpretum veſtigia non videat? Item:

Οἶκος ὅταν Δαυὶδ φύῃ φυτὸν· ἐν χερὶ δ' αὐτοῦ
Κόσμος ὅλος καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα.
Quum domus effundet ſtirpem Davidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare cœlum.

Quis negat alludi ad phraſin Propheticam בית דוד נצר, &c. Sed de Sibyllis vide *Dav. Blondelli* tract.

In *Hermete* videas integras περικοπὰς verbis Scripturæ exprimi. Sermone tertio, ubi de rerum Principio agitur, ſcribit: ἦν σκότος ἄπειρον ἐν ἀβύσσῳ καὶ ὕδωρ: quæ verba, deſumta ex *Gen.* 1. σκότος ἐπέκειτο ἐπάνω τῆς ἀβύσσου, interpolata non nihil ſunt. Ibidem תהו ובהו ita ſiſtit: Ἀδιορίστων δὲ ὄντων ἁπάντων καὶ ἀκατασκευάστων. LXX. ἡ γῆ ἦν ἀόρατος, καὶ ἀκατασκεύαστος. De præcepto פריה ורביה ut Iudæi appellant, impoſtor verba facturus ait; αὐξάνεσθε ἐν αὐξήσει καὶ πληθύνεσθε ἐν πλήθει τὰ κτίσματα καὶ τὰ δημιουργήματα. Sunt ipſa penè Moſis verba in verſione LXX. virali. Sic in Concione, quam Orationi de morte ſubjungit, utitur phraſi ἔχοντες ἐξουσίαν ἀθανασίας ex *Ioh.* 1. v. 17. Sermone 13. δεκτὴν, quam vocat θυσίαν, mutuatus ex *Phil.* 4. v. 18. & λογικὰς θυσίας ex *Rom.* 12. Baptiſmum ex *Ioh.* 3. παλιγγενεσίαν appellat Serm. 4. Tandem etiam Phocylidis phraſis Helleniſtarum & N. T. ſtylum ut plurimum ſapit. Ex *Heb.* 10. v. 22. eſt deſumtum illud: ὅπλον τοι λόγος ἀνδρὶ τομώτερός ἐστι σιδήρου. Ab initio ſtatim πρόσωπον κρίνειν idem eſt, quod *Luc.* 20. 21. πρόσωπον λαμβάνειν. Paulò pòſt, πτωχῷ δ' εὐθὺ δίδου, μηδ' αὔριον ἐλθέμεν εἴπῃς, cùm dixit; quis dubitat, quin illud Solomonis expreſſerit: μὴ εἴπῃς τῷ φίλῳ, ἐπάνηκε, καὶ αὔριον δώσω. Deinde πληρώσας σέο χεῖρ' ἔλεον χρῄζοντι παράσχου. Vbi quid ſit πληροῦν τὴν χεῖρα, cùm aliquid offertur aut donatur, nemo vel mediocriter peritus Hebraiſmi, non obſervavit. Et quis neſcit illud: Καὶ τὶς ὁ προθυμούμενος πληρώσας τὰς χεῖρας αὐτοῦ σήμερον τῷ κυρίῳ 1. *Paral.* 29. 5. & paſſim alibi, in iis præſertim locis, ubi initiationis ad miniſterium ſacrum, quæ oblationibus fieri debuit, fit mentio. Vt omittam locos integros è lege Moſaica converſos, qualis eſt ille *de lapſo ſub onere inimici iumento, aut ceſpitante in via, attollendo & accurrendo.* Κτῆνος δ' ἢν ἐχθροῖο πέσῃ καθ' ὁδὸν, συνέγειρον, *Deut.* 22. 4. Adde, quòd in eodem legitur: μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω· μητέρα δ' ἐκπρολίποις. Ibidem & illud habes: ὃ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκάπτοι τῷ δικέλλῃ, quod & *Luc.* 16. σκάπτειν οὐκ ἰσχύω. Quanquam apud ipſum etiam Ariſtophanem, & alios Parœmia hæc occurrat.

r Quale eſt Amphiboli Hermæ: Λόγος ἡνώθη τῷ Δημιουργῷ νῷ· ὁμοούσιος γὰρ ἦν. *Verbum unitum eſt cum mente fabricatrice mundi: erat enim illi coëſſentialis.* Ὁμουσίου vocabulum vix ante Concilium Nicænum Patribus, adeóque Chriſtianis auditum, Ægyptiis Idololatris notum fuerit?

VI. Hæc de libris ὑποβολιμαίοις profanis: ſequuntur ſacri.

VII. Sacra ſcripta ſuppoſititia diſtinguimus in ſcripta V. & N. Teſtamenti. Illa vel [a] Patriarcharum ſunt, vel [b] Prophetarum: hæc vel [c] Chriſti, vel [d] Mariæ, vel [e] Apoſtolorum, & [f] virorum Apoſtolicorum; vel denique [g] Patrum, & [h] Conciliorum.

a Vt ſunt libri XXI. quos Arabes, *Keſſæus* nominatim, Adamo tribuunt, quorum Argumentum idem fuiſſe ſcribit, אלפראיץ ואלסנן ואלשראיע אלועד ואלועיד ואכבאר אלדניא, id eſt, *Decreta, leges, ſtatuta, promiſſiones, minas, aliáſque res in mundo poſtea eventuras.* Multa etiam Adami nomine jactitabant Sabæi (de quibus videatur *Theſaurus Phil.* pag. 53. & deinc. Hiſt. Orient. l. 1. c. 8.) ut eſt in Mor. Nev. part. 3. c. 29. *Maim.* Sed & Sethiani apud *Epiphanium* pag. 128. Setho, & *Elmak.* Hiſt. Arab. M. S. pag. 7. VII. tribuunt libros. De revelatione Adæ adſcripta, vide *Sixt. Sen.* Bibl. S. pag. 37. Quid veteres, Chriſtiani pariter ac Iudæi, imò & Arabes ſenſerint, de ſcriptis *Enochi*, prolixius diſputatum eſt in Theſauro Phil. pag. 85.

De libro Ietzirah ſcribitur in libro *Coſri* oratione IV. num. 25. *quòd fuerit Abrahami. Neq; enim hoc Rabbinis novum eſt*, inquit *Ioh. Buxt.* in libr. de abbrev. Hebr. pag. 192. *appellare libros quoſdam ab alieno authore. Nam*

Digitized by Google

& Miſchna, Siphra, Toſiphta facti dicuntur אלבא דר׳עקיבא, id eſt, *ad cor & ſententiam R. Aquiba, & ſi confecti ſint plus quàm annis ſexaginta pòſt.* Sic Auth. Iuchaſ. f. 52. de libro, qui vocatur Pirke, id eſt, Capitula Rabbi *Elieſeris*, ſic ſcribit: בבר ידוע שאעפי שהוא המכונה לרבי אליעזר האחרונים עשו פרקיו כמו הזוהר המכונה לר׳שמעון וכן נמצא ספר יצירה המכונה לאברהם אבינו, i.e. *utique notum eſt, etſi iſte liber adſcribatur R. Elieſeri, eius tamen capita feciſſe poſteriores; quemadmodum & Zohar tribuitur R. Simeoni. Atque ita etiam liber Ietzirah nomen habet ab Abrahamo patre noſtro.* Vide & *Sixt. Senenſ.* Bibl. S. l. 2. pag. 37. Vbi & aſſumtionis & revelationis Abrahæ meminit.

b Cujusmodi ſunt ſomnialia Prophetæ Danielis apud *Sixt. Senenſ.* pag. 53. Sapientia Solomonis in *Theſ. Phil.* pag. 522. Ejusdem libri medicinales pag. 533. & infinita alia, quæ anguſtæ hujus chartulæ cancelli non capiunt.

c Cujusmodi eſt epiſtola ad Regem Abgarum, quæ *Græcè* extat apud *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 15. *Arabicè* in animadverſione *de Dieu* ad Evangelium Perſicum Xav. p. 611. Exemplaris poſſeſſor erat πολύγλωττος ille Medicus, *Ioh. Elichmann.* quod in manus deinceps Illuſtriſſimi venit Armachani. Perſicum in ipſo *Xav.* occurrit in præf. Hanc verò epiſtolam Gelaſius expreſsè Apocryphis annumerat: vide etiam *Baron.* annal. anno 31. S. 60. *Riv. Crit.* S. l. 1. c. 1. *Coc.* cenſ. pag. 2.

d Talis eſt epiſtola ad Ignat. Martyrem, & ad Florentinos ac Miſſanenſes. *Coc.* pag. 13. de qua *Sixt. Senenſ.* Bibl. S. pag. 61. ſed verè Apocrypham eſſe docet ex Pontificiorum ſcriptis *Coc.* p. 12. & *Riv.* in Apologia p. 293.

e Vt ſunt I. *Canones Apoſtolorum*, qui & Arabicè extant, quorum alii numerant L. alii LX. alii LXXXV. quos omnes rejicit *Gelaſius* Papa: *Melch. Can.* loc. comm. l. 5. pag. 166. *Baron.* ad annum Chriſti 102. *Dionyſ. Petav.*

diſ-

diſſert. Eccl. l. 1. c. 6. pag. 103. in dubium vocat. Sed prolixa de his Canonibus commentaria vid. in *Scult.* Medull. Patrum T. 1. pag. 463. *Caſaub.* contra Baron. pag. 671. *Rivet.* in Crit. S. l. 1. c. 1. & contra Bail. tract. 2. pag. 519. *præfat.* in ipſos Canones, editioni Andreæ Geſn. præf. *Coc.* cenſ. Patrum pag. 3. & deinc. *Sixt. Senenſ.* Bibl. S. l. 2. pag. 49.

II. Variæ Liturgiæ ſeu Miſſæ Apoſtolorum: ut eſt Miſſa Æthiophum *Matthæo* adſcripta; Miſſa *Marci*; Miſſa *Andreæ*; Liturgia *Iacobi, Petri,* quæ omnes ſuppoſititiæ ſunt, ut probat ex ipſis adverſariis *Coc.* cenſ. pag. 7. & deinc. *Riv.* in Crit. S. l. 1. c. 3. *Perkinſ.* in Cathol. ement. Adde *Philipp. Mornæum* l. 1. de Miſſa & part. ejus cap. 2. *Scult.* Medull. Patrum T. 1. pag. 468. *Hoſpin.* de Monachis pag. 28.

III. Hujus etiam farinæ ſunt Lib. Paſſionis *Andreæ*, *Riv.* Crit. S. l. 1. c. 4. Epiſtolæ Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senec. *idem* pag. 129. *Coc.* cenſ. pag. 10. Vide etiam exercit. *Dan. Heinſii* p. 485. *Fabr. Stapulenſem, Rain.* contra Hardum pag. 150. *Baron.* ad ann. Chriſti 66. S. 11. & 13. *Lud. Viv.* comment. ad cap. 10. libr. 6. de Civ. Dei. Protevangelium Iacobi apud ipſos quoque Pontificios nullius pretii eſt, ut loquitur *Ludovic. de Dieu* notis ad Evang. Xav. pag. 549. Vide *Sixt. Senenſ.* Bibl. S. pag. 67. *Riv.* Crit. S. pag. 122. Evangelium Nicodemi *Sixt. Sen.* Bibl. S. pag. 85. *Scult.* Medull. Patr. T. 1. pag. 464. πράξεις & ἀποκάλυψις Petri, *Euſeb.* Hiſt. Eccl. l. 3. c. 25. *Sixt. Sen.* l. 2. pag. 92. Epiſtola Pauli ad Laodic. quam, præter Ieſuitam Marianam, ſuppoſititiam uno ore agnoverunt omnes, vide *Riv.* Crit. S. pag. 130.

f Cujuſmodi ſunt I. PASTOR, tribus libris abſolutus, & *Hermæ*, cujus mentio fit Rom. c. 16: 14. tributus. Sed rejicitur à Tertull. Poſſevino Indic. Expurg. apud Coc. V. *Herma.* Bellar. de Script. Eccleſ. putat diverſos horum librorum eſſe authores, *qui multa quidem habeat utilia, ſed aliqua etiam noxia.* Ejus apud Patres magnus fuit uſus. Sixt. Senenſ. lib. 2. *poſt quorum tempora, addit, authoritas libri huius paulatim defecit, & à Gelaſio de-*

mum inter ſcripturas dubia fidei reiecta eſt, ut arbitror ad hæreticorum ſubverſionem; qui inde execrabilium dogmatum præſidia aſſumebant.

II. *Hiſtoria de vita Iohannis, Prochoro Diacono* falsò adſcribitur, fatente Lorino Ieſuita, Magiſtro ſacri palatii, Baronio, Poſſevino, apud Coc. Bellarm. de ſcript. Eccleſiaſt.

III. LINI *de Paſſione Petri & Pauli libros duos* reiiciunt Eſpenſæus, Baronius, Bellarminus, Poſſevinus, quibus ſcripta hæc prorſus ſordent.

IV. CLEMENS qui gratis author fingitur *a. Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quas VIII. libris collegiſſe volunt Clementem Romanum. Sed παρεγγεγράφους eſſe fusè probat Coc. cenſ. Pat. Vnde & Patres 227. in Trullo, & Athanaſius pro Apocryphis habent. Bellarminus etiam de ſcript. Eccleſiaſt. ſatis χυδαίως de iis, tanquam apocryphis, aut ſaltem corruptis ſentit. Sixt. Senenſ. *Iam olim de iis multum diſputatum fuiſſe* aſſerit. Hoc tamen largitur, *alios ſub falſo Clementis titulo, incerto authore, ab hæreticis confictos. Alios arbitrari hos Canones à Nicolaitis hæreticis contaminatos, & aliis multis apocryphis reſperſos*, Bib. lib. 2. pag. 49. Confer *Scult. Medull. Pat.* T. 1 1. c. 5. *Riv.* Crit. Sac. l. 1. c. 2. *Perkinſ.* ement. Catholic. p. 16. *Baron.* a. ch. 32. S. 18. 19. *b. Recognitionum lib.* 10. iidem, affirmantibus Baronio & Bellarmino, *cum circuitu Petri*, & *Itinerario Clementis*, Apocryphi ſunt, nec Clemente progeniti, teſtibus Ioh. Dried. Sixt. Senenſ. Perer. Bellarmin. Vide Coc. lib. cit. Riv. Crit. Sac. cap. 7. *c. Epiſtolæ duæ ad Corinth. duæ ad Iacobum fratrem Domini, tres ad diverſos.* De *prima* tamen ad Corinthios, quam noſtra demum ætate Vir Clariſſimus, Patricius Iunius, *ex laceris reliquiis vetuſtiſſimi exemplaris regii eruit, lacunas explevit, Latinè vertit, & notis illuſtravit*, noſtri nihil durius pronunciàrunt. Patricius Iunius veram & genuinam Clementis Epiſtolam exiſtimat: Rivetus à ſimplicitate primæva eam commendat. *Secunda*, ait, Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 17. neque extat, neque ab Eccleſiis probatur, ut S. Hieronymus teſtatur. Reliquæ

Epi-

Epiſtolæ quinque, *quæ nunc extant, non carent ſcrupulo*: ait idem; Ioh. de Turre cremata, Poſſevinus, Petrus Comeſtor, Nicolaus Cuſanus. Confer Baronium annal. T. 2. ann. 102. Sect. 6. 7. Gault. Tab. Chronog. Sec. 1. verit. 1. patrocinium quidem ſuſcipit tum Epiſtolarum harum, tum aliorum operum ψευδωνύμως Clementinorum; non diffitetur tamen, *quin multa adnata ſint corruptiones*.

Eodem loco cæteræ etiam habentur *Epiſtolæ Decretales* nomine Anacleti, Evariſti, Alexandri, Sixti, Teleſphori, Higini, Pii, &c. inſignitæ, quas ſpurias eſſe, fuſè probat Coc. in Cenſ. Whitakerus lib. de Pontif. Rom. cont. 4. quæſt. 5. Perk. de ement. Cathol. p. 64. Riv. Crit. Sac. lib. 1. c. 8. Hoſpin. Hiſt. Sacram P. 1. pag. 116. Chemnit. Exam. Concil. Trident. T. 1. p. 414. Salm. lib. de Prim. Papæ pag. 97. ſuppoſitutias eſſe probat Pap. Epiſtolas decretales ante Syrium. Fraudem ex ipſis Pontificiis multi ſubodorantur, Henricus Kaltheiſen, Nicolaus Cuſanus, de Turre Cremata, Eraſmus, Iohannes Driedo, Claudius Eſpenſæus, Caſſander, Simon Vigor, & alii. Vide Daill. de vero uſu Patrum, pag. 45.

V. DIONYSIUS AREOPAGITA, cui tribuuntur lib. de Hierarchia cæleſti, de Hierarchia Eccleſiaſtica & divinis nominibus, de myſtica Theologia, & quædam Epiſtolæ. Ne Reformati quidem negant, operum horum authorem & eruditum fuiſſe, & ſatis vetuſtum, & qui ſub Valentiniano II. ſcripſerit: ſed Dionyſio illi, cujus mentio extat Act. 17. 34. ejusmodi ſupponendum eſſe fœtum, negant. Rationes vide apud Rivetum Cathol. Orth. pag. 502. & Crit. Sac. lib. 1. c. 9. 10. 11. Scultet. Medulla Pat. l. 1. pag. 483. Coc. in Cenſ. Humfred. cont. Campian. t. 3. de doct. Ieſ. Rat. 5. pag. 489. Whitak. cont. Camp. rat. 5. Scalig. in trihæreſ. c. 30. p. 368. Perkinſ. Cathol. ement. pag. 17. Hoſpin. de Orig. Monach. pag. 28. Ex Pontificiis opera hæc vel ut ficta, vident, vel dubia pronunciant Cajetanus, Eraſmus, Valla, Guil. Grocinus: vide & Bellarminum, Poſſevinum apud Cocum.

VI. MARTIALIS, unus ex LXX. diſcipulis, primus Epiſcopus Lemovicenſis. Dicitur ſcripſiſſe duas Epiſtolas,

unam ad Burdegalenſes, alteram ad Toloſanos, quæ extant in Bibliotheca Sanctorum Patrum. Sed multa ſunt, *quæ eas Epiſtolas ſuppoſititias iudicare videantur*, ſcribit Bellarm. de ſcript. Eccleſ. pag.67. Quod judicium alibi clariùs expromit. Vide Coci. Cenſur. Scult. Med.l.1.pag.465.Riv.Crit.l.1.c.7.

VII. ABDIAS BABYLONIUS. *unus ex diſcipulis Domini fuiſſe dicitur, ſed vitæ Apoſtolorum, quæ ſub nomine eius circumferuntur, fabulis ſimiliores ſunt, quàm veræ rationi*, Bellarm. de ſcript. Eccleſ. Idem concedunt; contra alios Pontificios; Salmeron, Baronius, Poſſevinus, Molanus, &c. Conſule Cenſ.Coci. Medull.Scult. l.1.pag. 465.Rivet.Crit.Sac.l.1.pag. 133. Sixt. Senenſ. Bibl.Sancta l.2.pag.40.

VIII. IGNATIUS, qui, etſi undecimo adhuc ſecundi ſeculi anno vixerit, Apoſtolici tamen viri nomen meretur, quia Apoſtolos vidit & audivit. Septem ei Epiſtolas tribuunt veteres, ad Magneſianos, Trallianos, Romanos, Philadelphos, Smyrnenſes, & Polycarpum. Paulò poſt creverunt ad 12. & jam ad 15. De iis varia ſunt judicia. *Quidam*, omnes illas Epiſtolas νόθας poſtulant, ut Magdeburgenſes, & Robertus Parkerus. *Alij* tamen mitius judicant, ſtatuentes, eſſe quidem pleraſque illas Epiſtolas Ignatii, minimùm ſeptem, quarum meminerunt Hieronymus & Euſebius, ſed hoc tempore non haberi niſi adulteratas, & multis in locis interpolatas. Id fuſius probant Iacob. Vſſerius, Archiepiſc. Armachanus, accuratiſſima harum Epiſtolarum editione nupera; Rivet.Crit.Sac. lib. 2. c. c. 2. Cath.Orth. q. 22. Videatur etiam Nicol. Vedel. Editio, Coci.Cenſur.Perkinſ. Cath. ement.pag.22. Hoſpin.Hiſt.Sacram.P.1.p.20. Humfred. Doct.Ieſ.l.3. pag. 808. Whitak. cont.Camp. rat. 5. & 20. Heinſ.Exercit.pag.328. Scult.Medull.l.1.pag.439. Idem ferè judicium fertur de *Epiſtola Polycarpi*, Scult.Ib.Riv. Crit. p.190.Suidas, & ex eo Geſnerus, aliarum Polycarpi Epiſtolarum meminit, de quibus nihil apud veteres.

g De quibus ordine Seculorum agemus. Ad *Secundum* ergò *Seculum* pertinent.

I. Iu-

SECULUM II.

I. IUSTINUS MARTYR, cujus nomine quædam ſcripta circumferuntur *vel* dubia, ut *libri de Monarchia* Dei, Scult.Med.l.1.pag.24. Perionius apud Rivet. Crit.Sac.p. 200. *vel* ſuppoſititia, ut 1. *Expoſitio rectæ fidei*: Medull. Scult.l. c. Bellarminus de Script. Eccleſ.pag.71.dubitat tantùm; Rivet.Crit. pag.199. 2. *Quæſtionum* 146. *ſolutio ad Chriſtianos Orthodoxos*, *Scult*. l. c. Poſſevinus, Bellarminus, Azorius & alii. Conſule Coci. cenſ. Rivet. Crit.pag.198. 3. *Quæſtiones ad Græcos, cum Græcorum reſponſione*, Scult.l.1. pag.31, Bellarm. de Sc. Eccl. p. 72. Poſſev.Riv.Crit.Sac. 4. *Quæſtiones Græcanicæ ad Chriſtianos, & ad eas reſponſio Chriſtiana*: Scult. 5. *Ariſtotelicorum quorundam dogmatum everſio*. Idem, Sylburg. Rivet. Sed Bellarm. ἐπέχει. 6. *Appendix ad Græcos*; Ibid.

II. MELITO SARDENSIS, qui author dicitur *Tranſitus Mariæ*; ſed malè. F. Suarez in Thom. Author. Indic. expurgat. Hiſp. Bellar. Baron. Ioh: Maria. Vide Coc. Perkinſ. l. cit.

III. HIPPOLYTO adſcribitur lib. de *conſummatione mundi & Antichriſto*. Sed fœtus ſunt ſuppoſititii. Id quod rationibus probant egregiis Rivet. Iuellus, Cocus, &c.

SECULUM III.

I. TERTULLIANI ſcripta ὑποβολιμαῖα judicantur. *a. Liber de pœnitentiâ*, *Eraſ*. Beat. Rhenan. *Scult*. Alii tamen, tum ex Reformatis, tum Pontificiis Tertulliano eum aſſerunt; Riv.Crit.pag.208. *b. Liber de Trinitate*, quem Novatiano nonnulli adſcribunt. Sed quicquid de hac re ſit, *dubitari non poſſe exiſtimo, quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non ſit*, inquit Bellarm. de Script. Eccleſ. pag.78. Idem alii ſentiunt. Conſule Rivetum pag.208. Cenſ. Coc. *c. De definitionibus Eccleſiaſticorum dogmatum*, Eraſ. Pamel. Lovanienſes, apud Coc. Riv. pag.209. *d. Liber, ſive Epiſtola de cibis Iudaicis*, Pamel. Bellarm.l. c. Sunt alii Tertulliani libri, à Tertulliano Montaniſta ſcripti, *de*

de fuga in perſecutione; *de exhortatione caſtitatis*; *de Monogamia*; *de pudicitia*; *de ieiunio*, quorum uſus in Eccleſia ferè nullus eſt.

II. ORIGENES, cui ſupponuntur 1. *In librum Iob* tractatus tres, & *aliud in eundem commentarium*; Baronius, Bellarmin. Eraſm. Genebrar. Poſſevin. & cumprimis Sixtus Senenſ. Bibl. S. l. 4. pag. 285. 2. *Homiliæ 16. in Leviticum* Coc. 3. Homiliæ 4. in Pſal. 36. 37. 38. Coc. *De Homiliis in Pſal. aliqui dubitant, an ſint Origenis*; Bellarminus. 4. *Comment. in Canticum Canticorum*; Eraſ. Brun. Amerb. Coc. 5. *Origenis lamentum*; Rivet. Coc. Eraſ. Gelaſ. Baron. 6. *Homiliæ 10. in diverſos Evangelij locos*; *ſed hæ ſine dubio non ſunt omnes Origenis*, fatetur Bellarm. Baron. Poſſevin. Gretſerus, alii. Vide Coc. Riv. 7. *Homilia octava*, quæ dicitur Homilia de Epiphania Domini; Coc. 8. *Tractatus 5. in Matthæum* videtur eſſe Latini authoris, Bellarmin. 9. *Homiliæ in librum Ieſu*, fil. Nave. Perkins. 10. *Commentarij in Roman.* Id. 11. *Liber de Pœnitentia* Id. ex Gelaſ. 14. *De ſingularitate Clericorum*, liber inter Cypriani opera evulgatus; Baron. Rivet. pag. 225. 13. *Aliæ homiliæ tum veteris*, Riv. pag. 221. *tum Novi* Teſtamenti, maximè in Iohannem, pag. 223. 224. 14. *Dialogus de recta in Deum fide*, de quo etiam meritò dubitat Rivet. pag. 224. 15. *Apologia, nomine Pamphili Martyris, pro Origene* edita; Riv. pag. 225.

III. CYPRIANUS. Spuria ſunt 1. *tractatus de montibus Sina & Sion*, Scult. Perk. Bellarm. Eraſ. Rivet. Coc. 2. *De revelatione capitis Ioh. Baptiſtæ*, Scult. Perk. Bellarm. Pamel. Eraſm. Riv. 3. *Expoſitio Symboli Apoſtolici, non eſt Sancti Cypriani, ſed Ruffini*; Bellarminus de Script. Eccleſ. pag. 92. Riv. Crit. Sac. opus tamen, ut idem ait, omnium conſenſu eſt eruditum, & lectu digniſſimum. 4. *De ſingularitate Clericorum tractatus. Stylus ſatis diverſus eſt à ſtylo S. Cypriani*, ait Bellarminus. Vnde non eſſe Cypriani pridem judicavit Eraſm. Pamel. Eum Turrianus ſub Auguſtini nomine citat, ab aliis Origeni tribuitur. 5. *Sermones duodecim de Cardinalibus*

bus operibus Chriſti; qui Cypriani non ſunt, Ioh. Heſſels, Lovan. quod rationibus probat Bellarm. de Script. Eccleſ. pag. 93. Sixt. Senenſ. Adde Rivet. Coc. *Eſſe tamen religioſæ pietatis plenum opus, & mirè conducere concionatoribus*, fatetur Scult. T. 1. pag. 359. 6. *Liber de duplici Martyrio ad Fortunatum.* Cypriani non eſſe, in confeſſo eſt, ait Rivet. Crit. Sac. p. 237. Pamelius authorem libri agnoſcit neotericum; H. Gravius ipſum Eraſmum, Rejiciunt etiam Bellarminus, Gretſerus, Duran. 7. *Liber de aleatoribus utilis & doctus eſt, ſed non videtur eſſe Cypriani*, Bellarminus Script. Eccleſ. pag. 95. Dubitant etiam Pamel. Poſſevin. 8. *Liber de XII. abuſionibus ſeculi*, Erardo cuidam, juxta Pamelium, tribuitur. *Cypriani enim eſſe non poteſt*, Bellarminus Script. Eccl. pag. 95. 9. *Liber de ſpectaculis*, ipſi Bellarmin. dubius eſt. 10. *Liber de Cœnæ diſpoſitione*, non ſolùm Cypriani non eſt, verùm neque alicujus docti hominis, Bellarmin. l. c. p. 95. 11. *Librum de diſciplina & bono pudicitiæ* Cypriani eſſe negat Eraſmus: dubitat Eſpenſæus, & Perkinſ. 12. *Liber ad Vigilium de Iudaica incredulitate* nihil eſt aliud, niſi verſio in Latinam linguam Dialogi Græci, inter Iaſonem Chriſtianum, & Papiſcum Hebræum. Auctor autem Latinæ verſionis non Cyprianus, ſed Celſus dicitur, Bellarminus p. 96. Sic Pamel. 13. *Liber de Iudæis*, qui inſecuti ſunt Chriſtum, S. Cypriani non eſſe videtur, ob nimis magnam ſtyli diverſitatem, Bellarmin. Pamel. Inter *dubia* etiam Bellarminus refert, *Carmina*; Carmen, *Geneſis*; Carmen, *Sodoma*: Carmen *ad Apoſtatam Senatorem*: Hymnum *de Paſcha*: *orationem pro Martyribus*, quæ incipit, *Agios*: orationem alteram, quæ incipit, *Agios*. Orationem alteram, quæ incipit, *Domine Sancte Pater*. Perkinſus addit librum *de laude Martyrii*: *de ſtella & Magis*, & *Innocentium morte*: *Paſſionem Cypriani*: *Orationem ſub die Paſſionis*: librum de *pœnitentia*, quos omnes ſpuriis annumerat.

IV. Eusebii Alexandrini *ſermones* eſſe ſuppoſititios minimè dubium eſt. Rationes habet Coc. in cenſ. Riv. Crit. pag. 246.

V. METHODII *liber de creatione* dubius eſt, Perkinſ. Simler. Revelationum verò liber eidem tributus, planè ſuppoſititius, Bellarminus.

VI. ZENONI *Veronenſi* Epiſcopo adſcribuntur de *Geneſi* ſermones 4. de *Abrahamo* 3. de *ſomnio Iacob* 1. de *Iuda Patriarcha* 1. de *Exodo* 15. de *præcepto* Attende tibi 1. de *Iobo* 1. pluréſque, de quibus quid ſentiat Bellarminus, percipe: *Ex his ſermo in illud*, Attende tibi, *& ſermo in Evangelium Lucæ, & ſermo de Ieiunio, & ſermo de livore, & invidia non ſunt S. Zenonis, ſed S. Baſilij magni, ut notum eſt, tum ex ſtylo; tum ex communi ſententia. Item ſermones in Pſalmos, ſi non omnes, certè maiore ex parte apud Hilarium inveniuntur. De aliis non habeo, quod dicam, niſi aliquos eſſe breviſſimos, ut ſermones dici non mereantur, aliquos eſſe repetitiones aliorum; aliquos ita obſcuros, ut intelligi nequeant, & quod me malè habet, de his ſermonibus nullam extare apud veteres mentionem. Primus enim qui eos invenit, Guatinus fuit, Veronenſis orator, ante annos circiter centum.* Poſſevinus etiam & Baronius liberè fatentur, non bene tot Zenoni tribui ſermones, qui ex diverſis authoribus, ducentis ferè annis Zenone poſterioribus, ſint collecti.

VII. GREGORIUS NEOCAESARIENSIS, Thaumaturgus dictus. Dubitatur 1. de Homiliis, *de annunciatione*; Riv. Perkinſ. 2. De *Expoſitione fidei*, quam edidit Gerhardus Voſſius Greg. nomine: Sed fortaſſe fallitur, ait Bellarm. Scripta enim eſt contra Arianos, ſatis diu poſt Thaumaturgi tempora; Rivet. 3. *De capitulis duodecim cum Anathematiſmis*, à Voſſio editis.

VIII. ARNOBIO ſupponuntur *comment. in Pſalmos*, Rivet. Sixt. Senenſ. Maldonat. Bellarm. Poſſevin. Scult. Cocus.

IX. LACTANTIO *carmina* ſeu Poëmata *de Phœnice, reſurrectione, Paſchate, Paſſione*, tribuuntur, quæ Michaël Thomaſius, Fevardentius & alii diverſis authoribus aſſignant. Vide Scult. Riv. Bellarm. Coc. Perkins.

X. VICTORINUS malè creditur author *Commentariorum*

rum in Apocalypſin, quæ Pariſiis ſuperiori ſæculo prodierunt. Vide Bellar. Riv. Coc. Malvend.

SECULUM IV.

Affinguntur hoc ſeculo I. CONSTANTINO MAGNO donatio, ſub titulo: *Edictum Domini Conſtantini Imperatoris.* Fictam eſſe fusè docent Coc. Cenſ. Pat. Rivet. in Crit. Perkinſ. Salma. de Prim. Pap. p. 335. Aſſentiuntur *Pontificii*, Laur. Valla, Patricius Romanus, & D. Iohannis Lateranenſis Canonicus, Æneas Sylvius, Raphael Volaterranus, Nicolaus Cuſanus, Hieronymus Paulus Cathalanus, Canonicus Barcinonenſis, Guicciardinus, Canus: Adde Naucl. Gen. 11. vol. 2. *ubi narrantur varia Scriptorum de hac donatione iudicia.*

II. EUSEBIO EMISSENO A. Homiliæ *quinquaginta*, crebrò à Pontificiis citatæ. Gemino errore I. Quòd Euſebius ille *Beatus* vulgò vocatur & *Sanctus*, Riv. Crit. pag. 248. *cùm fuerit Arianus*, fatentibus Pontificiis, Poſſevino, Baronio, Bellarmino, Poza. 2. Quòd nobis obtruſerunt anonymi & recentioris rhapſodi lacinias in annuas Evangeliorum lectiones *pro Euſebij Emiſſeni homiliis*, ait Sixt. Senen. Bibl. S. lib. 4. *B. Homilia in Evangelia*, à Latino ſcriptore & ex Latinis Patribus, ut videtur, conſarcinatæ; Sixt. Sen. l. 4. p. 234.

III. ATHANASII ſcripta Sculterus, ejusque exemplo Rivetus, methodicè diſtinguit in *germana* (de quibus dicendi locus non eſt) *dubia*, & *ſuppoſititia*. *Dubia* ſunt: *Oratio de Semente.* Oratio de *aſcenſione Chriſti*: *Symbolum Athanaſii. Epiſtola Athanaſii ad Ammum: Fragmentum Epiſtolæ feſtalis.* Vita *Sancti Antonij*: *de virginitate, ſive de meditatione. Suppoſititia* verò tum in primo, tum in ſecundo tomo reperiuntur. Tomi *primi* ſuppoſititia ſunt hæc: *Diſputatio contra Arium* in Concilio Niceno: *Epiſtola ad Serapionem de Spiritu Sancto, cuius initium*: In eremo, &c. *Teſtimonia ex Scriptura ſancta de naturali communione Eſſentiæ inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: Enarratio illius*: Profecti in pagum, &c. *In paſſionem Chriſti: de ſanctiſſima*

Dei-

Deipara Virgine: Oratio contra omnes hæreſes. Tomi *ſecundi* verò: *Oratio de Melchiſedeco, in* cujus fine author ita meminit Patrum Nicænorum, quaſi longè ante ſe mortuorum. *Epiſtola de paſſione imaginis Chriſti*, quam etiam Bellarminus non audet ATHANASIO tribuere. *Definitiones Theologicæ*; quæ in initio dicuntur à Clemente collectæ: *Quæſtiones ad Antiochum*, in quarum vigeſima tertia Athanaſius ipſe citatur: *Dicta & interpretationes parabolarum: Quæſtiones aliæ anonymæ: Diſputatio Laodicenſis: Libri ſeptem ad Theophilum de unita Deitate Trinitatis. Adhortatio ad Monachos: Epiſtola ad Marcum: Dialogi quinque: Sermones viginti contra diverſas hæreſes.* Quid verò cauſæ ſit, cur Athanaſio ſcripta illa jure vindicari non poſſint, habes apud Rivet. Crit. Sac. l. 3. c. 4. & deinc. Perkinſ. Cathol. ement. pag. 37. Coc. in Cenſ. Bellarm. de Script. Eccleſ. Idem de *Epiſtola Athanaſii ad Felicem & Liberium* ſentit Rivet. Crit. Sac. p. 278.

IV. ANTONIO etiam *Eremitæ*, quem *Abbatem* appellat Bellarminus, duo libri *ſermonum* tribuuntur, in quibus authores citantur, multis annorum centuriis Antonio, qui ſub Conſtantino vixit, poſteriores. Bellarminus, Rivetus.

V. CYRILLI HIEROSOLYMITANI Epiſcopi nomine ſuperiori primùm ſeculo, prodierunt, *Catecheſes extemporaneæ ad illuminatos* 18. *& myſtagogicæ* 5. Sed *dubias* eſſe ait Perkinſ. *nonnulla eſſe detracta, nonnulla aſſuta*, nullus dubitat Rivetus: id quod exemplis probat Crit. Sac. pag. 283. Coc. in cenſura *νοθείας* potiſſimùm convincit *Epiſtolam ad Auguſtinum* de miraculis Hieronymi, quæ extat in fine Oper. Hier. T. 9. & Catecheſes Myſtagogicas quinque. Multa tamen egregia habere contra Pontificios ſcripta illa Catechetica, docet Rivet. lib. cit. c. 9. Idem Rivet. de *Epiſtola etiam Cyrilli* dubitat, quâ Conſtantio Imperatori ſignificat ſignum crucis in cœlo ex lumine apparuiſſe: Crit. Sac. pag. 296.

VI. TITO *Boſtrorum Epiſcopo, commentaria in Matthæum & Lucam*; cujus tamen non ſunt, quia paſſim citat

tat Chryſoſtomum, Cyrillum, &c. qui pueri erant, cùm Titus moreretur; Bellarm. Script. Eccl. Ioh. Maria, Pariſienſes. Vide etiam Rivet. & Cocum.

VII. Ex Hilarii ſcriptis cenſurâ notantur 1. *Epiſtola* Hilarii ad Abram filiam. 2. *Hymnus*. 3. *Liber de Patris & Filii unitate*. 4. *Appendix de variis Chriſti cognominibus*. 5. *Epiſtola* Hilarii *ad Auguſtinum* de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, quæ Hilarii quidem eſt, non tamen Pictavienſis, ſed poſterioris, Arelatenſis Epiſcopi: & *alia* brevior, in qua Hilarius proponit Auguſtino quæſtiones aliquot, de quibus vult doceri. 6. *Fragmentum* Hilarii, de rebus geſtis in Concilio Ariminenſi. 7. *Geneſis* ad Leonem, carmine heroico, de quibus Rivet. Crit. Sac. lib. 3. c. 12.

VIII. Dorotheo Presbytero, qui ſub Iuliano fuit paſſus, affingi *Synopſin* univerſæ Scripturæ, qua omnium utriuſque Teſtamenti librorum argumenta complexus eſt, ſcribunt Baronius, Poſſevinus, Bellarminus. Molanus; ex noſtris Rivet. Perkinſus, Cocus.

IX. Iudicia de ſcriptis Ephremi Syri vide apud Cocum & Rivetum. Certè quamdiu Syriacis authoris deſtituimur laboribus, tamdiu periculoſum eſt ſcripta ei tributa vindicare. Reperiri tamen nonnulla meminimus T. 1. Analect. Diſſert. VII. pag. 329.

X. Damasi *vera ſcripta non extant, exceptis paucis Epiſtolis*; Bellarminus. Eſt enim ſuppoſititium 1. *Pontificale, ſeu liber de rebus geſtis ſummorum Pontificum*; Albinus, Meſſenius, Baronius, Binnius, Poſſev. Bellarm. 2. *Damaſi Epiſtolium* T. 2. Hier. Eraſ. Marianus Victor. Riv. 3. *Epiſtola*, quæ leguntur ſcriptæ ad Aurelium Epiſcopum Carthaginenſem; Baronius, Rivetus, Poſſevinus. 4. *Epiſtola Damaſi ad Theophilum & Anyſium*; Bellar. Alii tamen Affirmant. 5. *Epiſtola ad Epiſcopos Numidiæ*, quæ tom. 1. Concil. extat. Rivetus.

XI. Optati Milevitani libris ſex, additus eſt *ſeptimus, qui ſuppoſititius creditur* à pleriſque; Riuet. Coc. Scultet.

XII. Philonis Carpathii commentaria in *Cantica can-*

canticorum, ſunt recentioris alicujus ſcriptoris; Margar. de la Bigne. Confer Poſſevin. Bellarm. Rivet. Cocum.

XIII. AMBROSII ſcripta dubia & ſuppoſititia Tomo I. a. *Tractatus ad Virginem lapſam*, Riv. Poſſevin. Bellar. Hoſpin. Cocus, Perkinſus. b. *Libri duo de Pœnitentia*. Petrus Soto, Rivet. Bellarm. Ribera. Tomo II. a. *Duo libri de vocatione Gentium*, Eraſm. Cocus, Andrad. Bellarminus, Olivarius. b. *Libri de fide contra Arrianos*. Ioh. Coſterus, Rivet. Tomo III. a. *Epiſtola 82. ad Vercellenſes*, Poſſevin. Rivet. b. *Epiſtola 84. ad Demetriadem*, Bellarminus Poſſev. Coſter. Baron. Rivetus, Cocus. c. *Epiſtola 85. de inventione corporum Sanctorum Gervaſii & Protaſii*: vide Cocum. d. *Epiſtola aliquot Philoſophorum*, fini editionis Pariſ. ann. 1579. attextæ, Riv. Crit. e. *Sermones 92*. Eraſm. Coſter. Baron. Poſſevin. Bellar. & fuſe Rivet. l. 3. c. 17. & Cocus. Tom. IV. a. *Libri de Sacramentis*, quos Pontificii quidem plerique Ambroſio tribuunt: ſed hallucinari eos, docet Rivet. Crit. Sac. l. 3. c. 18. Coci cenſura. b. *Orationes duæ, præparantes ad miſſam*, Eraſm. & Cocus, Perkinſ. Gillotius. c. *Liber de Tobia*. Eraſm. & Scholaſtici quidam. d. *Secunda Apologia pro Davide*, Poſſevin. Rivet. e. *Liber de Solomone*, Rivetus. Tom. V. a. *Commentarij in omnes Pauli Epiſtolas*, excepta Epiſtola ad Hebræos, Rivetus, Cocus, Bellarm. Maldonatus, Lorinus, Poſſevinus, Lucas Brugenſis, Salmeron, Baronius. b. *Commentar. in Epiſtolam ad Hebræos*, Riv. Eraſm. Cocus. c. *Comment. in Apocal.* Rivet. Cocus, Senenſis, Poſſev. Salmer. Bellarmin. Rainol. d. *Sermo de baptiſmo Auguſtini*, Eraſm. Langius, Coſter. Molan. Baron. Bellarm. e. *Exhortatio ad pœnitentiam*, Cocus, Riv. f. *Libellus de Spiritu Sancto*; Riv. Poſſev. g. *Tractatus de concordia Matthæi & Lucæ ſuper Genealogia Chriſti*, Riv. Poſſev. h. *Tractatus Brachmannorum ſeu Brachmanum*, Rivetus, Poſſev. i. *Expoſitio in Canticum canticorum*, Rivetus.

XIV. BASILII dubia & ſuppoſititia ſcripta notantur ſequentia 1. de *Spiritu Sancto ad Amphilochium, Iconij Epiſcopum*, Eraſm. cujus judicium multis rationibus con-

firmat

firmat Cocus: alii tamen mitiùs loquuntur. Vide Crit. Riv. 3. c. 20. 2. *Aſcetica*, Riv. Bellarminus Poſſev. Cocus 3. *Regulæ contractiores*, Cocus. 4. *Enarratio in Eſaiam Prophetam*, Eraſm. Rivet. Cocus. 5. *Homilia decima & undecima in Hexaëmeron*, quæ aliis novem Baſilii ſunt adjunctæ, Riv. Poſſev. 6. *Præfatio in Pſalmos*, quæ cum Latina Auguſtini planè eadem eſt, Riv. Ducæus. 7. *Homilia poſterior de ieiunio*. Eraſm. Riv. 8. *Epiſtola ad Iulianum Imperatorem*; Cocus. 9. *Commentarius in Pſalmos*, qui, ad calcem rejectus, nihil aliud eſt, quàm cinnus commentariorum duorum Patrum, Chryſoſtomi & Theodoreti, Riv. Poſſ. Ducæus. 10. *Duæ Baſilii Liturgiæ*; Riv. & cumprimis Cocus. 11. *Epiſtola ad Cæſaream Patriciam*, Perkinſius.

XV. GREGORII NAZIANZENI ἀμφιβαλλόμενα 1. *Tragœdia*, quæ inſcribitur Chriſtus patiens, Bellarm. Poſſev. Baron. Riv. Cocus. 2. *Significatio in Ezechielem*, Rivet. Græci 3. *Oratio* 48. *in laudem Martyrum*; Riv. 4. *Liber de fide*, Ib.

XVI. GREGORIO NYSSENO falsò attribuuntur Tomo I. a. *Orationes duæ*, 1. in verba, *faciamus hominem*; & altera de *hominis procreatione*. Rivet. Zinus, author editionis Pariſienſis. b. Liber *de virginitate*: de eo dubitat Scultet. 3. *Oratio Catechetica*, quæ dicitur *magna*; Sifanus, Lewenclavius. 4. *Oratio in eos, qui differunt baptiſma*; Scult. 5. *Orationes* 3. *de dormientibus*: Scult. Poſſev. 6. *De Trinitate adverſus Iudæos*, ex Vet. Teſt. & novo adducta. Scult. 7. *De S. Trinitate, & quòd Sp. S. ſit Deus*. Eſt illa Baſilii. 8. *De differentia ſubſtantiæ & hypoſtaſios ad Petrum fratrem*. Eadem legitur apud Baſilium. 9. *Oratio de vita S. Gregorii*, miraculorum opificis, eſt ſomnium ſomniorum, ait Scultetus. Tomo II. a. *Oratio de occurſu Domini & de Dei Parente, atque de Iuſto Simeone*; Poſſev. Edit. Pariſ. author. b. *Epiſtola Canonica ad Latoynum Mytilenes Epiſcopum*, de Canonicis peccatorum remediis; Scult. Riv. Coc. Alia quoque ſunt Nyſſeni ſcripta, de quibus diverſa ſunt authorum judicia. *Epiſtolam*, quæ de iis agit, *qui adeunt Hieroſo-*

 lyma,

lyma, multi ex Pontificiis conantur ei abjudicare; ſed malè illud fieri, docet Rivet.Crit.Sac.p.352. Libros verò de *Philoſophia* octo, Nyſſeni nomine venditatos, ſpurios eſſe & ſuppoſititios, fatetur Poſſev. Nicadius Ellebodius, Bellarm. Riv. Cocus.

XVII. *Carmina* AURELII PRUDENTII, Poëtæ Chriſtiani interpolata eſſe, & laciniis aucta, ſcribit Rivet. in Crit. Falſam eſſe in ſcriptionem *hymni* 5. ad incenſum cerei paſchalis, notavit Hoſpin. de feſtis Chriſtianorum pag. 57. & 58. Ex hymno cui titulus, *in exequiis defunctorum*, reſecuit Victor Giſelinus tertiam & quartam ſtrophram. Rejiciunt etiam nonnulli *Enchiridion Vet. & Nov. Teſt.* quod Διπτοχαῖον quidam vocant, alii δίπτυχον, & Amœno cuidam Hiſpano tribuunt.

XVIII. ψευδεπίγραφος eſt vita S. Baſilii, AMPHILOCHIO adſcripta. Baron. a. Ch. 363. S. 74. Poſſev. pluréſque alii apud Coc. Pontificii.

XIX. EPIPHANIO de *Prophetarum vita & interitu*, libellum affingi, ſcribunt Riv. Rainold. Coc.

XX. Suppoſititium eſt ſcriptum de *Inſtitutione Monachorum* IOHANNIS HIEROSOLYMITANI, qui vixit circa annum 390. Baronius, Riv. Ejuſdem farinæ eſt *Epiſtola Chromatii ad* Hieronym. & *Hieron. reſponſio.* Riv. Bar. Molan.

XXI. HIERONYMUM ut longa ſyrmata rubræ togæ ex portentoſis mendaciis pictores Romani depingunt trahentem, ita multa quoque ſcripta ejuſdem nomine Inſtitores Papiſtæ venditant, quæ non Hieronymum authorem, ſed alios, impudentiſſimos, ſæpe & inſulſiſſimos rabulas præ ſe ferunt. Talia ſunt Tomo III. Edit. Antverp. a. *Tractatus de Actis Apoſtolorum*, Sixt. Senenſ. Marianus Victorius, qui editionem emendatiſſimam, teſtibus Pontificiis, Antv. procuravit. Scult. Coc. Tom. IV. *commentar. in Lamentat. Ierem.* Sixt. Senenſ. Victor. Coc. Bellarm. Riv. Rabano à pleriſque adſcribitur. Tom. VI. *Commentaria quædam in Marcum*; Marian. Scult. Baron. Bellarm. Sixt. Senenſ. Maldon. Coc. Tom. VII. Edit. Mar. a. *Commentarii in Pſalmos*, Canus, Eraſm.

Eraſm.Lindan. Senenſ.Coc.Riv. b. *Comment. in omnes Pauli Epiſtolas*, excepta illa ad Hebræos; Catharinus Pelagio tribuit, Senenſis Pelagiano. Sic Marian. Bellar. Senenſ. Salmer. Scult. Riv. Coc. Tom. VIII. a. *Comm. in Iob*; Marian.Sixt.Senenſ.Amorb. Poſſev. Coc. Bellarmin. Bedæ adſcribitur. b. *Commentar. in Prov. lib. 3.* Senenſ.Can.Marian.Canis. Bellarm. Amorbach. Tom. IX. a. *Prima Epiſtola, qua eſt ad Demetriadem*, Baron. Bellarm. Pelagiana eſt. b. *Sermo ad Paulum & Euſtochium de aſſumtione Virginis Mariæ*, Eraſm. Suar. Maria. Baron.Bellar.Margatinus de la Bigne, Coc. c. *Alius ſermo de aſſumtione B. V. qui incipit:* Scientes fratres &c.Mar.Coc. d. *Epiſtola de VII. gradibus Eccleſiæ*, ad Ruſticum, Narbonenſem Epiſcopum, Mar. Coc. Scult. e. Epiſtola *ad Damaſum de ſymboli explanatione*, Marian. Scult. Bellarm. Eſt Pelagii ad Innocentium. f. Epiſtola *de celebratione Paſchæ*, Mar. Coc. g. Epiſtola *de vera circumciſione*, ad Theraſiam; Mar.Coc.Riv. h. Sermo *de Nativitate Domini*, Mar.Coc. i. Sermo *de Quadrageſima*, Mar. Coc. k. Sermo in vigilia Paſchæ, *de eſu agni*, Coc.Victor.Riv. l. Epiſtola *de vinculis Petri ad Euſtochium:* Eraſm. Polydor. Vergil. Baron. Coc. m. Epiſtola *de diverſis gradibus leprarum*, Mar. Coc. n. Homilia *de corpore & ſanguine Domini* Mar.Coc. o. *Epiſtola ad Oceanum, de vita clericorum*, Mar. Coc. p. *Epiſtola Hieronymi ad Damaſum*, Mar. Eraſm. Scult. Coc. Baron. Binn. q. *Epiſtola altera ad Damaſum, de oblationibus altaris*, Mar. Eraſm. Coc. r. *Tractatus de regulis Monach.* Marian. Eraſm. s. *Epiſtola Chromatio & Heliodoro Epiſcopis*, de Nativ.S.Mariæ, Eraſm. Baron. Can.Molan.

Præterea, obelo transfiguntur ſequentia, Hieronymo adſcripta, opera 1. *Liber de vitis S. S. Patrum*, Bellarm. Eſpenſ. Can. 2. *Prologus in lib. Machab. qui incipit:* Machabæorum libri duo licet &c. Eraſm. Scult. Coc. alii. 3. *Prologus in Evangel. ſecundum Iohannem, qui incipit*; Hic eſt Iohannes Evangeliſta, & *alius in Apocalypſ.* qui incipit: Iohannes Apoſtolus & Evangeliſta; Eraſm.

Stult. Coc. 4. *Epiſtola ſub Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum, de opere Martyrÿ colligendo*, Baron. Molan. Coc. 5. Huc etiam refertur *Epiſtola Euſeb. de morte Hieron. ad Damaſum*, Bellarm. Eraſm. Baron. Coc. Secuti ſumus in hac Hieronymianorum operum ſuppoſitorum recenſione, Cenſuram Coc. qui plura deſiderat, eundem adeat, & Riveti Crit. Sac. l. 4. c. 4. & deinc. habet enim alias quaſdam ex paucorum judicio, Epiſtolas dubias, notas item & Canones in lectione Hieronymi obſervandos.

XXII. Ruffino, Hieronymi Synchrono & æmulo, malè tribuuntur 1. *Præfat. in Recognit. Clement.* Bellar. Sixt. Sen. Coc. Riv. 2. *Commentarii in 75. Davidis Pſalmos*, Coc. Riv. 3. *Commentaria in Benedictiones Patriarcharum, & in Prophetas Hoſeam, Ioelem & Amoſum*, Ribera, Coc.

Seculum V.

I. Chrysostomus, ut Græcorum Patrum fuit πολυχαφέστατος, ita quiſquilias ſuas quiſque eidem injicere molitus eſt. Sunt ergò, vel dubia, vel ſpuria Tom. I. a. *Sermo de Adamo & Eva, cuius initium eſt:* Deus inſtitutor mundi, &c. Sixt. Senenſ. Bellarm. Azor. Coc. Rivet. b. *Sermo de interdictione arboris ad Adam, qui incipit:* Iubetur Adam, &c. Sixt. Senenſ. Poſſev. Coc. c. *Sermo in Pſalm. 14. qui incipit:* Pulcher eſt Pſalmus, Flam. Nobil. Coc. d. *Sermo in Pſalmum 22.* Sixt. Nobil. Coc. Bellarminus, Poſſev. e. *Sermo in Pſalmum 95.* Sixt. Poſſev. Savil. f. *Sermo ſuper illud Eſaia* 1. Si volueritis, &c. Sixt. Poſſev. Coc. g. *Sermo in Beatos Iob & Abraham, cuius initium eſt:* Athletam in certamen, &c. Sixt. Sen. Coc. h. *Sermo de tribus pueris*; Sixt. Poſſev. Coc. i. *Sermo de Suſanna, qui incipit: Divina lectiones.* k. Tom. II. a. *Sermones de variis locis apud Matthæum*, Poſſev. Sixt. Sen. Coc. b. *Homilia 14. in Marcum*, Sixt. Poſſev. Mald. Bellarm. Coc. c. *Homilia de Nativitate Domini*, Sixt. Coc. Tom. III. a. *Homilia aliquot in Iohannem, quarum una de Iohanne Baptiſta, qua incipit:* De Io-

hanne

hanne dicitur, &c. Bellarm. Senenſ. Coc. b. *Homilia de cruce & latrone*; Gretſer. Poſſev. Tom. IV. a. *Sermo de fide, ſpe & charitate*. Ejusdem commatis cenſentur *duæ Expoſitiones in ſymbolum Apoſtolorum*, Senenſ. *Homilia ad Neophytos*, Flam. Nobili. *Homilia ad baptizandos*, Nobil. Epiſtola ad Cyriacum; Coc. *Miſſa ſeu Leiturgia Chryſoſtomi*: de cujus authoritate contra Pontificios fuſè diſputat. Coc. in cenſ. Rivet. in Crit. Sac. *Oratio Encomiaſtica in Principes Apoſtolorum, Petrum & Paulum*, Coc. Savil. *Sermo in adorationem venerabilium catenarum & gladii ſancti, & Apoſtolorum Principis Petri, Baron*. *Homilia* 80. *ad populum Antiochenum*, cùm antiqua exemplaria Mſc. tantùm habeant 21. Plura vide apud Riv. l. 4. c. 1. Sixt. Senenſ. Poſſev. &c. Præfecti Etonienſis Edit. ubi de plerisque homiliis Tom V. VII. & VIII. tanquam ſuppoſititiis judicium ſuum appoſuerunt.

II. Augustino tot tribui ſcripta dubia & ὑποβολιμαῖα, ut eorum recenſio proprium requirat opus, jam ſuo vidit tempore *Trithemius*. Notantur autem Tom. I. a. *Duæ Regulæ*, (nam poſtrema eſt Auguſtini, fæminis ſcripta) apud Lovan. quorum editio Auguſt. cæteris ante fertur, Bellarm. Eraſm. Perk. b. *Liber de vita Eremitica*, Bellarm. Lov. Tom. II. a. *Epiſtola Auguſtini ad Cyrillum & Cyrilli ad Auguſt*. Bellarminus Perk. Riv. b. *Epiſtolæ* 16. *Auguſtini ad Bonifacium, & Bonifacii ad Auguſtinum*, nempe ab ea quæ numero eſt 182. ad 197. incluſivè. Eraſm. Perkinſ. Bellarm. c. *Epiſtola* 142. *ad Demetriadem*, Eraſm. Riv. Lovan. d. *Epiſtola* 111. Eraſm. e. *Epiſtolæ omnes ultra* 242. recenter à Lovanienſibus additæ, nempe 21. Riv. Perk. Tom. III. a. *Speculum*, Bellarm. Riv. b. *Liber de benedictionibus Patriarcharum*, Riv. & alii. c. *Liber ſententiarum*, qui eſt Proſperi, Rivet. Bellarmin. d. *Liber de Fide ad Petrum*, quem Molanus Fulgentio adſcribit. Riv. e. *Libri de mirabilibus Scripturæ*. Eraſm. Lovan. Bellarm. Thomas, Perk. Riv. f. *Liber de Eccleſiaſticis dogmatibus*, Eraſm. & alii, Gennadij eſſe putant, vide Crit. Rivet. l. 4. cap. 12.

g. *Liber de Spiritu & anima*, Eraſ. Trith. qui inter opera Hugonis à Sancto Victore refert; Bellarm. Perk. h. *Liber quæſtiuncularum de Trinitate*, Lovan. Tom. IV. a. *Liber* 21. *ſententiarum, & liber* 65. *quæſtionum*, Bellarm. Eraſ. Riv. b. *Liber quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti*, hæretici eſt, ut fatentur omnes. Vide Riv. Crit. qui librum hunc eodem loco habet cum comment. in *Epiſt. Pauli, quæ ſub Ambroſii nomine* circumferuntur. Vtrumque putat eſſe Hilarii Diaconi urbis Romæ. c. *Libri de incarnatione verbi*; *De Trinitate & unitate Dei*: *De eſſentia divina*: *De fide rerum invifibilium*. *De ſubſtantia dilectionis*: *de ſalutaribus documentis*: *De amicitia*. d. *Dubii ſunt ſex libri de continentia, de patientia, de bono viduitatis, & lib.* 8. *quæſtionum*. e. Falsò Auguſtino tribuitur *liber de vera & falſa pœnitentia*, Bellarmin. Lovan. Trith. Tom. V. Nonnulla in libros *de civitate Dei* irrepſiſſe docet Rivet. pag. 427. Tom. VI. a. Libello *de hæreſib. ad Quodvult Deum* aſſutæ ſunt duæ hæreſes, *Eutychiana & Neſtoriana*. b. *Concio ad Catechumenos*. c. *Dialogus altercationis Eccleſiæ & Synagogæ*, Bellarm. Eraſm. d. *Liber de Fide contra Manichæos*, dubius eſt apud nonnullos, ut & liber de unitate Trinitatis; de Epicureis & Stoicis; *Tractatus item de eo quod dictum eſt Moſi*, Ajo ſum, qui ſum, &c. Tom. VII. a. *Liber contra Fulgentium Donatiſtam*. b. *Liber de prædeſtinatione & gratia*, Lov. Bellarm. Perk. Riv. c. *Libellus de prædeſtinatione Dei*. d. *Reſponſio ad articulos falsò ſibi impoſitos*. e. Libri *Hypognoſticon*. Tom. IX. a. *Liber de ſpeculo*, Bellarm. & alii. b. *Liber de conflictu virtutum & vitiorum*. c. *Liber de Antichriſto*. d. *Dubii* partim *ſuppoſititii* cenſentur ſequentes, Auguſtino tributi libri. In *Apocalypſin Iohannis expoſitio*; *Meditationum liber unus*: *de diligendo Deo* alius, qui Medit. inſcribitur: *Soliloquiorum animæ ad Deum* liber unus: *Manuale* liber unus: *De triplici habitaculo* liber unus: *Scala Paradiſi liber*: *De duodecim abuſionum gradibus*: *De contritione cordis liber unus*: *De cognitione veræ vitæ* liber unus: *De vita Chriſtiana* liber unus: *De aſſumtione B.*

ne B.Mariæ virg. liber unus: De *cantico novo* liber unus: *De obedientia & humilitate* ſermo: De *bono diſciplinæ* ſermo: De *viſitatione infirmorum* libri duo: De *conſolatione mortuorum* ſermones duo: De 4. *feria ſeu cultura agri Dominici* ſermo: De *Cataclyſmo* ſermo: De *tempore Barbarico* ſermo: De *Sobrietate & Virginitate* ſermo: *ſpeculum peccatoris*, tractatus: De *quatuor virtutibus charitatis* tractatus: De *honeſtate mulierum* liber unus: De *ſymbolo fidei ad Catechumenos*, lib. 4. De *convenientia* 10. *præceptorum & plagarum:* De *rectitudine Catholicæ conversationis* tractatus: De *utilitate ieiunii* tractatus: De *arbore ſcientiæ boni & mali:* De *pugna animæ* tractatus: *Pſalterium, quod* matri ſuæ compoſuit: *ſuper Magnificat* expoſitio. Tom.X. Inter *ſermones de tempore*, communi conſenſu, pro ſpuriis habentur, 9. 10. 11. 18. 24. 33. 37. 38. 39. 43. 47. 48. 51. 59. 62. 63. 68. 77. 95. 96. 97. 99. 113. 114. 115. 117. 118. 120. 121. 125. 128. 130. 132. 136. 137. 138. 152. 156. 157. 158. 159. 161. 167. 169. 174. 176. 181. 183. 188. 196. 199. 207. 211. 223. 224. 226. 228. 229. 238. 239. 241. 251. 255. Inter ſermones de *ſanctis* dubii ſunt, apud omnes, 2. 5. 7. 10. 11. 15. 19. 20. 22. 26. 27. 30. 31. 33. 34. 35. 37. De ſerm. 34. & 35. Idem dici debet de 17. à Pariſienſibus additis. *Spurii* etiam cenſentur lib. *de revelat. Stephani Protomartyris: Appendix ſermonum de diverſis*, in Edit. Lovan. *ſermones omnes ad fratres in Eremo*, numero 76. Vide Baronium a.ch. 382. S. 26. & a.ch. 385. S. 12. Quosdam etiam ſermones, quorum numero 40. Sirmundus anno 1631. edidit, ſuſpectæ fidei eſſe, aſſerit, Rivet. Crit. S.l.4.c.17.

III. Prospero, de cujus ſede & ordine doctè diſſerit *Rivet*. Crit. Sac. lib. 4. c. 18. quémque *Aquitanicum* vulgò appellant, falsò tribuuntur *Libri tres de promiſſionibus & prædictionibus Dei*, Olivar. Bell. apud Coc. Rivet.

IV. Cyrillo Alexandrino, quem; ipſo teſte Baronio a.Ch. 444. S. 17; Monachum Carmelitam imperitè quidam appellant, malè affinguntur a. *quatuor intermedij libri ex duodecim comment. in Evangel. Ioh.* Sunt

enim illi quatuor Clichtovei, Bellar. Riv. Coc. b. *Comment. in Leviticum*, qui Origeni ab omnibus ferè vindicantur, Riv. Bellarm. Coc. c. *Sententiæ quædam pro primatu Papæ*, ex Cyrilli Theſauro citatæ, de quibus Rivet. lib. 4. c. 19.

V. EUCHARIUS *Lugdunenſis*, vir celebris, multa ſcripſiſſe dicitur, quæ interciderunt. Quæ nunc ei tribuuntur ſcripta, ſuppoſititia cenſentur, ut ſunt 1. *Commentar. lib.* 8. *in Geneſ. & Regum Hiſtorias*, Sixt. Senenſ. lib. 4. 2. *Homilia de Martyribus Lugdunenſibus*, *& alia nonnulla*, quas Bellarminus, & alii quidam, Cæſario, aut Fauſto Rhegienſi vindicant. 3. *Homilia de Aſſumtione Mariæ*: Perk. Riv. 4. *Liber formularum ſpiritualium ad intelligendas ſcripturas ſanctas utilium, &c.* Sixt. Sen.

VI. De THEODORETO *Cyrenenſi Epiſcopo*, ejúſque ſcriptis tenent eruditi, 1. *Fabellas* quaſdam adeò ineptas tam in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, quàm *Patrum* recitari, ut credendum non ſit, deliria ejuſmodi Theodoreto placuiſſe. Riv. ex Baron. & Gentiano Herveto, Crit. Sac. l. 4. c. 21. Vnde Cocus putat, hunc fœtum (*Hiſtor. Eccleſiaſt.*) Theodorito planè eſſe abjudicandum. Scribit idem, *Libros* 12: *de curandis Græcorum affectibus dubiæ eſſe fidei*; id quod rationibus confirmat; mavult tamen Rivetus dicere nonnulla tantùm eſſe addita, quàm de authore dubitare.

VII. De LEONIS I. ſcriptis rectè judicat Rivet. Crit. Sac. lib. IV. c. 22. *In eis*, inquit, *diſtinguenda ſunt quæ ad doctrinam fidei pertinent, ab iis quæ politiam Eccleſiaſticam ſpectant. Fuerunt horum temporum Romani Pontifices plerique in fidei doctrina Orthodoxi, ſed in Politia & ſedis prærogativa ambitioſiores quàm oportuit.* Sunt tamen nonnulla apertè, ψευδεπίγραφα, nempe 1. ſermo *in feſtum omnium ſanctorum* anno demum 610. inſtitutum, Riv. Perk. 2. Sermo 5. *de Quadrageſima*, qui inter Auguſtinianos 63. de tempore reperitur. Riv. Perk. Huc Perkinſus refert *Epiſtolas quaſdam* 84. & 92. in quibus nimium quantum ſibi arroget Leo; Sed Leonis eſſe Epiſtolas alii rectiùs concedunt, hominis ſupra modum

φιλο-

φιλοσοφικώτατος. Sic Calvin. Rivet. l. c. pag. 459. qui & Epiſt. 47. falsò inſcriptam eſſe, ad *Synodum Chalcedonenſem,* docet ex Baronio. Dubitant etiam nonnulli de *Epiſtolis eius adverſus Eutychem: Riv.* cujus tamen judicio, illæ aliis Epiſtolis palmam præripiunt. *Liber de conflictu virtutum & vitiorum,* non poteſt eſſe Leonis I. quia in eis mentio fit Regulæ Benedicti.

VIII. MAXIMO TAURINENSI plures tribuuntur ſermones qui ſuppoſititii cenſentur, ut eſt 1. *Sermo de Martyribus Tauricis,* Coc. 2. *Sermo de Nazario & Celſo,* Coc. 3. *Sermo in nativitatem Apoſtolorum Petri & Pauli,* Coc. Perk. Riv. 4. *Sermo de Eleemoſynis* Coc. 5. *Sermo in natale Domini,* Perk. Riv. 6. *Sermo in Epiphania,* iidem. 7. *Sermo de accuſatione Domini apud Pilatum.* 8. *Sermo de ſolennitate Paſchali.* 9. *In natali Sancti Stephani.* 10. *Sermo,* qui incipit: Legimus in libro, qui Apoſtolorum actibus inſcribitur, &c. Hi verò, quia vel apud Auguſtinum, vel Ambroſium αὐτολεξεὶ reperiuntur, Maximi eſſe non poſſunt, aut ſi hujus, non illorum.

IX. FAUSTI MONACHI, Britanni (non, ut quidam volebant, Galli) *Rhegienſis* poſtea *Epiſcopi* in Gallia, libris duobus, *de libero arbitrio & gratia,* cauſam orthodoxorum debilitare conantur, ſub prætextu authoris Sancti, cùm Pelagianus fuerit, & in Sanctorum pertineat Catalogum, ſicut Saul inter Prophetas, teſte *Baronio.* Hæreticum fuiſſe hunc *Fauſtum* infauſtum fusè probat Riv. Crit. Sac. l. 4. c. 24. quo ſimul monet, eandem ob cauſam cautè legendum *Vincentium Lirinenſum,* quem tantum non in cœlum evehant Pontificii.

X. FULGENTIUS AFER, Epiſcop. Ruſpenſis, ſcriptis etiam fuit clarus, de quibus tamen obſervant eruditi, quòd vel ex Monachorum prodeuntes cryptis, vitii aliquid contraxerint; Riv. Crit. Sac. l. 4. c. 25. vel apertè ſint *ſuppoſititij,* ut 1. *Sermo de laudibus Mariæ,* & partu Salvatoris, quem Auguſtino alij tribuunt, alij Severiano. Vide Riv. Perk. Coc. 2. *Mythologiarum libri tres,* quos ſub nomine Fulgentii habet Codex Baſileenſis, Molan. Riv.

XI. Sub GELASII PAPAE nomine libellus circumfertur de *dua-*

duabus in Chriſto naturis, quem ipſi quidam Pontificii, Bellar. & Baron. negant ejus eſſe, ſed alterius cujusdam Epiſcopi Orientalis; vident enim, parum ſe ab eo juvari in dogmate de Transſubſtantione. Perſtat tamen Rivet. Crit. Sac. lib. 4. pag. 474. in ſententia, tractatum illum verè eſſe Gelaſii Romani.

XII. REMIGIO, RHENENSI, Epiſcopo, à Iohanne Baptiſta Villapando, Cordubenſi Ieſuita *Explanationes in Epiſtolas Paulinas πάσῃ μηχανῇ* affinguntur, quas tamen *Haymonis* eſſe invictis rationibus probat Rivetus Crit. Sac. lib. 4. c. 26. toto.

XIII. De Homiliis 46. in Bibliotheca Patrum CAESARIO ARELATENSI adſcriptis, ita cum Riveto ſentimus, quòd etſi nonnullæ ſint, quæ Cæſarium authorem habeant (alias enim Emiſſeno vendicari, alias Auguſtino, probat Coc. in Cenſura) tamen cùm id ſcripti genus, *Homiliarum* nempe, variè interpolari, miſceri, & confundi ſoleat, & à Monachis exſcriptoribus multa pati, qui additiones ſuas ſæpe immiſcent, aut etiam in eo genere putidos ſuos fætus ſub eruditorum Patrum nominibus protrudunt, ut eis aliquam gratiam concilient, prudenter cavendum, ne nobis imponi ſinamus.

XIV. VIGILIUM *Martyrem*, & *Epiſcopum Tridentinum* non eſſe authorem *Diſputationis inter Sabellium, Photinum, Arrium & Athanaſium* Laodiceæ habitæ; neque *librorum* 5. *contra Eutychem*, ſed alium quempiam, *vel* Vigilium, Riv. Crit. Sac. pag. 490. *vel* Gelaſium, Aubertin. & Falcar. *vel* quemcunque tandem, Bellarm. rationibus non contemnendis, probant.

XV. IUNILIO, *Africano Epiſcopo*, qui non, ut Sixt. Sen. hariolatur, diſcipulus Auguſtini, claruit a. ch. 440. ſed Primaſii coætaneus a. 545. in Bibl. Pat. adſcribitur *commentariolus in aliquot capita Geneſeos*, qui Bedæ eſt; Riv. Coc. Bellarm. Sixt. Senenſ.

XVI. PRIMASIUS, pater & author, ſæpe à Pontificiis citatur *Comm. Epiſtola ad Hebraos*: ſed Haymonis ſcriptum illud eſſe, qui demum anno 800. vixit, conſtanter tradunt, Coc. & Riv.

GRE-

XVII. GREGORIO MAGNO malè tribui I. *quatuor Dialogorum libros*, multis tum ex Phraſi, tum ex ipſis rebus petitis probant rationibus Coc. & Riv. l. 4. c. 29. Idem vidit Chemnitius. Sunt qui putant *Gregorium ſecundum*, qui vixit a. ch. 726. Dialogorum eſſe authorem. Canus judicium in iis deſiderat. 2. *Additamentum ſive appendix Dialogorum*, in qua de liberata anima Trajani ex inferno, exploditur à Baronio a. ch. 604. S. 50. Bellarm. Riv. Coc. 3. *Libri ſex commentariorum in libros Regum*, qui in poſterioribus editionibus ſub nomine Gregorii Magni citantur, eidem abjudicantur à Coco. 4. *Explanatio* item in *ſeptem Pſalmos pœnitentiales*. 5. Nec Gregorii eſt *Expoſitio in Cantica Canticorum*, ſed Iſidori: Poſſev. Pamel. 6. *Epiſtola ad Iohannem Epiſcopum Syracuſarum*; Riv. Coc. 7. *Privilegium quod conceſſiſſe dicitur Gregor. M. S.* Medardi Monaſterio, Riv. Crit. & defenſ. Hiſt. Papatus P. 1. S. 29. Coc. prolixè in cenſura. 8. *Synodus quæ ſub Gregorii M. nomine Canones habet* 16. qui tamen ad tempora Gregor. II. referuntur Coc. 9. *Epiſtola, quæ Gregorij* I. *nomine habetur ad Auguſtinum*, Anglorum Epiſcopum; eſt Greg. III. Riv. 10. *Epiſtola de privilegiis Eccleſiæ Ravennatis*, planè commentitia eſt, Bar. a. ch. 595. S. 78. 11. *Epiſtola de vita S. Honorati, Epiſcopi Arelatenſis*; Rivet. Poſſev. 12. *Sacramentarium & Antiphonarium* Gregorii nomine à Pamelio editum.

Sunt & alii ſcriptores tum Eccleſiaſtici, tum Scholaſtici & Hiſtorici, qui ſequioribus etiam temporibus eandem cum antiquiſſimis Patribus ſubierunt ſortem; quorum examen inſtituit Robertus Cocus in Cenſura Patrum. Habes ibi ψευδεπίγραφα *Philonis Carpatij* (qui juxta quoſdam vixit a. ch. 374. juxta alios 410.) comment. in Cantica Canticorum *Marci eremitæ*, quem alii ad a. ch. 400. alii 906. referunt; ſunt qui duos fuiſſe volunt. *Evodij Epiſcopi* Vzalenſis, de miraculis. *Philippi Presbyteri*, comment. in Iob. Plura *Sixti*, Papæ III. *Paulini* Epiſcopi Nolani vitam Ambroſii. *Iuſtiniani* Epiſtolam ad Papam Iohannem II. *Anaſtaſii* Niceni librum

brum Reſponſionum. *Iſidori Hiſpalenſis* librum de vita & morte ſanctorum. Præfationem de origine Conciliorum: *Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani*, Pratum ſpirituale. *Bedæ* vitam Bertolfi Abbatis. *Damaſceni* lib. de iis, qui in fide migrârunt; Hiſtoriam de Barlaam & Ioſaphat. *Idiotæ* cujusdam contemplationem de virgine Maria. *Turpini* Hiſtoriam de rebus geſtis à Carolo. *Aimoini* librum 5. Hiſtoriæ Francorum. *Anſelmi* commentar. in Epiſt. Pauli: *Eiusdem* commentar. in Matthæum; opuſculum item de Excellentia B. V. Mariæ: *Epiſtolam* ad Coëpiſcopos Angliæ. *Oecumenij* commentaria in Epiſt. Paulinas cenſentur etiam dubiæ. *Bernhardo* etiam quædam de Cœna Domini; *Thomæ Aquinati* lib. de Regimine Principum; *Eraſmo* Epiſtolas, aliis alia impudenter ab imperitis & malitioſis hominibus ſupponi, idem graviſſimis authorum teſtimoniis probat. Nobis nomina expreſſiſſe ſufficiat, ut habeant Antiquitatis ſtudioſi Gnomonem, cujus ductu, quid diſtent æra lupinis, vera falſis, cognoſcere poſſint.

h Hoc loco habentur I. Canones *Synodi Antiochenæ*; quæ exhibentur Tomo I. Conciliorum edit. Binnianæ; Coc. lib. citat. ſub finem. 2. *Concilium Sinueſſanum*, quod a. ch. 303. convocatum dicitur, cujus tamen per 7. ſecula nemo meminit, Coc. 3. *Concilia Romana* 2. ſub Silveſtro I. excogitata, Id. 4. Canones *Concilij Niceni* 80. ex Arabico converſi, Id. quos *nuper repertos* ſummæ ſuæ adjecit *Barthol. Carranza*. 5. Acta *Concilij Niceni* primi ſuppoſititia eſſe idem fusè probat. 6. Canon 4. & 7. *Concilij Sardicenſis* a. ch. 347. habiti, Id. 7. Extrema pars *Epiſtolæ Concilij Sardicenſis*, Id. ex conſenſu Pontificiorum. 8. Decreta ſeu Canones 9. Concilii *Conſtantinopolitani* 6. Id. ex multorum Pontif. ſcriptis. 9. Decreta *Concilii Florentini* ſuper unione Iacobinorum & Armeniorum, Id. 10. Inſtructio *Armeniorum*, Concilio Florentino aſcripta, cùm ſit ipſius Eugenii Papæ Schiſmatici, Id.

SPECIMEN PHILOSOPHIÆ
Historicæ.

I.

UT, miſſa prolixiori de variis [a] atque operoſis Philoſophiæ definitionibus, & diviſionibus, *προθεωρία*, ipſam ſtatim, *ἄτερ προοιμίων*, arcem rei invadamus, pauca quædam de nominis [b] Etymologia, Synonymia, & Homonymia delibabimus.

a De quibus conſuli poſſunt, *Damaſcenus* in Dialect. c.3. *Scheibl*. Introduct. Log. Tractatu de Philoſophia in genere, ubi eruditè ſatis Damaſceni definitiones primò ventilat, caſtigat, & ad fontes ſuos revocat; ad diviſionem deinde, & ſpecies ſeu partes progreditur. *Gisbertus* ab Iſendorn effat. Phil. cent. 1. *Kaſp. Finck*. Exercit. Acad. p. 131. & alij.

b Non neceſſe eſt de Philoſophiæ nomine multa nos procemiari. Conſtat, vocem eſſe Græcam, eámque compoſitam ἀπὸ τοῦ *φιλέω τὴν σοφίαν*, ab *amando ſapientiam*. Retinent eam Rabbini & Arabes. Vnde apud *illos* פילסופיא המדינית *Philoſophia politica*: פילסופיא הראשונה *Philoſophia prima* i.e. Metaphyſica. Formant etiam Rabbini hinc verbum נתפלסף vel התפלסף *Philoſophari*. Vera vocis ſignificatio non ignota iis eſt: unde & פילסוף *Philoſophus*, Hebraicè reddunt דוד החכמה *amor*, vel *amicus ſapientiæ*. In Etymologia tamen, vocis ſibi barbaræ, pueriliter, ut ſolent, multi hallucinantur. Scribunt enim quidam Hebræorum idem eſſe, quod פילא סבא *riſum*, vel *irriſionem ſenilem*, vel *ſtultum ſenem*. Apud *hos* crebrò occurrit,

brum Reſponſionum. *Iſidori Hiſpalenſis* librum de vita & morte ſanctorum. Præfationem de origine Conciliorum: *Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani*, Pratum ſpirituale. *Bedæ* vitam Bertolfi Abbatis. *Damaſceni* lib. de iis, qui in fide migrârunt; Hiſtoriam de Barlaam & Ioſaphat. *Idiotæ* cujusdam contemplationem de virgine Maria. *Turpini* Hiſtoriam de rebus geſtis à Carolo. *Aimoini* librum 5. Hiſtoriæ Francorum. *Anſelmi* commentar. in Epiſt. Pauli: *Eiusdem* commentar. in Matthæum; opuſculum item de Excellentia B. V. Mariæ: *Epiſtolam* ad Coëpiſcopos Angliæ. *Oecumenij* commentaria in Epiſt. Paulinas cenſentur etiam dubiæ. *Bernhardo* etiam quædam de Cœna Domini; *Thomæ Aquinati* lib. de Regimine Principum; *Eraſmo* Epiſtolas, aliis alia impudenter ab imperitis & malitioſis hominibus ſupponi, idem graviſſimis authorum teſtimoniis probat. Nobis nomina expreſſiſſe ſufficiat, ut habeant Antiquitatis ſtudioſi Gnomonem, cujus ductu, quid diſtent æra lupinis, vera falſis, cognoſcere poſſint.

h. Hoc loco habentur I. Canones *Synodi Antiochenæ*; quæ exhibentur Tomo I. Conciliorum edit. Binnianæ; Coc. lib. citat. ſub finem. 2. *Concilium Sinueſſanum*, quod a. ch. 303. convocatum dicitur, cujus tamen per 7. ſecula nemo meminit, Coc. 3. *Concilia Romana* 2. ſub Silveſtro I. excogitata, Id. 4. Canones *Concilij Niceni* 80. ex Arabico converſi, Id. quos *nuper repertos* ſummæ ſuæ adjecit *Barthol. Carranza*. 5. Acta *Concilij Niceni* primi ſuppoſititia eſſe idem fusè probat. 6. Canon 4. & 7. *Concilij Sardicenſis* a. ch. 347. habiti, Id. 7. Extrema pars *Epiſtolæ Concilij Sardicenſis*, Id. ex conſenſu Pontificiorum. 8. Decreta ſeu Canones 9. Concilii *Conſtantinopolitani* 6. Id. ex multorum Pontif. ſcriptis. 9. Decreta *Concilii Florentini* ſuper unione Iacobinorum & Armeniorum, Id. 10. Inſtructio *Armeniorum*, Concilio Florentino aſcripta, cùm ſit ipſius Eugenii Papæ Schiſmatici, Id.

SPE-

SPECIMEN PHILOSOPHIÆ
HISTORICÆ.

I.

UT, miſſa prolixiori de variis [a] atque operoſis Philoſophiæ definitionibus, & diviſionibus, περιθεωρείᾳ, ipſam ſtatim, ἄτερ προοιμίων, arcem rei invadamus, pauca quædam de nominis [b] Etymologia, Synonymia, & Homonymia delibabimus.

a De quibus conſuli poſſunt, *Damaſcenus* in Dialect. c.3. *Scheibl*, Introduct. Log. Tractatu de Philoſophia in genere, ubi eruditè ſatis Damaſceni definitiones primò ventilat, caſtigat, & ad fontes ſuos revocat; ad diviſionem deinde, & ſpecies ſeu partes progreditur. *Gisbertus* ab Iſendorn eſſat. Phil. cent. 1. *Kaſp. Finck.* Exercit. Acad. p.131. & alij.

b Non neceſſe eſt de Philoſophiæ nomine multa nos procœmiari. Conſtat, vocem eſſe Græcam, eámque compoſitam ἀπὸ τοῦ φιλέω τὴν σοφίαν, ab *amando ſapientiam.* Retinent eam Rabbini & Arabes. Vnde apud *illos* פילוסופיא המדינית *Philoſophia politica:* פילוסופיא הראשונה *Philoſophia prima* i.e. Metaphyſica: Formant etiam Rabbini hinc verbum נתפלסף vel התפלסף *Philoſophari.* Vera vocis ſignificatio non ignota iis eſt: unde & פילוסוף *Philoſophus*, Hebraicè reddunt דוד החכמה *amor*; vel *amicus ſapientiæ.* In Etymologia tamen, vocis ſibi barbaræ, pueriliter, ut ſolent, multi hallucinantur. Scribunt enim quidam Hebræorum idem eſſe, quod פילא סבא *riſum*, vel *irriſionem ſenilem*, vel *ſtultum ſenem.* Apud *hos* crebrò occurrit,

rit, פלספה *Philoſophia* : תפלסף *Philoſophus fuit, evaſit*. Hoc verò Philoſophi nomen primus ſibi ſumpſit Pythagoras,qui,quòd nimis ambitioſè ſapientis titulum,ij etiam uſurparent,qui tales minimè erant,φιλόσοφ☉ dici maluit, quàm σοφός. Vide *Cicer.* 1. & 5. Tuſcul. *Plutarch.* de placit. Philoſ.c.3.*Auguſt.*l.14. de Trinit.c.1.*Lactant.*l.4.div.Inſtit.c.1.De vario vocis hujus uſu pleniora Philoſophorum commentaria conſuli poſſunt. Id tenuiſſe ſatis ſit,ſumi Philoſophiæ vocabulum 1.pro ſola Metaphyſica & Phyſica. 2. Pro omnibus ſcientiis ſpeculativis. 3. Pro Philoſophia practica ſola. 4.Pro iis diſciplinis,quæ agunt de ente reali. 5. Comprehendit nonnunquam,præter cæteras,ipſas etiam diſciplinas Inſtrumentales,quo eam ſenſu hoc loco ſumimus.

II. Etſi verò vario à nobis ſchemate induta in ſcenam produci poſſet Philoſophia, [a] compendio tamen acturi, Hiſtoricam tantùm,uſu [b] variam & inſignem,ſiſtemus.

a. Vide Bibl. *Voët.*lib.2.c.10.& deinc.

b. Graviſſima eſt doctiſſimi Philoſophi,*Petri Gaſſendi*,de vita & moribus Epicuri lib.8.c.6.querela : *Ipſa Philoſophia,quâ nihil eſſe debuit purius,ita conſpurcata eſt,ut nihil iam aliud eſſe videatur,quàm ſophiſtices officina.* Qui operam ſuam ſemel tricis illis næniis & inſulſis vitilitigationibus addixerunt,mallent,dubio procul,nos etiam curioſas potiùs & ἀπεράντους Philoſophorum quæſtiunculas, indigniſſimas ingeniorum carnificinas, quibus multi jam fatigati & macerati ſuccubuerunt, in campum hunc proferre, quàm Examen Hiſtoricum. *Illi*, entia à nobis multiplicari indignè conquerentur : *Iſti*, majorem deſiderabunt utilitatem. *Hi*, novitatis exoſum crimen objicient. Torvo non-nemo vultu,ut cum *Hieronymo* loquar,trementibus labiis,rugata fronte ipſum Diſſertationis intuebitur fron-

frontiſpicium. Excuſarem modeſtè in ipſo ſtatim limine inſtitutum noſtrum, & ab exceptionibus modò allatis breviter vindicarem, niſi commodiùs hoc ipſa præſtaret tractatio, quæ & novitatis crimen diluet, & operæ noſtræ pretium inſigne refunderet.

III. Nomine autem PHILOSOPHIÆ HISTORICÆ Syſtema intelligimus Hiſtoricum, quo variæ Philoſophorum ſectæ, origines, progreſſus, uſus, abuſus, ſecundùm certas ætates diſpeſcuntur & enarrantur, ut de certo & continuo ejus ſtatu, commodo præſertim & incommodo ad Eccleſiam inde redundante, conſtare nobis poſſit.

Hanc Methodum univerſali pandendæ Philoſophiæ Hiſtoricæ & commodiſſimam eſſe, & certiſſimam nemo non videt. Quanquam cæteri, qui animum ſuum ad texendam Hiſtoriam Philoſophicam appulerunt, paulò aliam calcârint ſemitam, vel latiorem, vel arctiorem, prout cujusque rationes & ſcopus id ferebant. *Alii*, ex innumeris exemplis collegerunt præcepta generalia, quæ conſtituunt diſciplinam morum, & domus vel Reipublicæ gubernandæ; *Gerard. Ioh. Voſſ.* præfat in lib. 1. de Theologia Gentili. Atque horum tractatio Hiſtorica meritô à *Dionyſio Halicarnaſſenſi* nomine inſignitur *φιλοσοφίας ἐκ παραδειγμάτων*, *Philoſophia exemplaris*. *Alii*, vitas tantùm & res geſtas Philoſophorum poſteritati reliquerunt, ut *Philoſtratus*, *Eunapius*; ex parte etiam *Plutarchus* & *Suidas*. Quibus addi poſſunt recentiores, *Geſſnerus*, in Bibliot. & *Giſb. Voëtius* in Exercit. & Bibl. Hanc ſtudii partem non planè intactam reliquerunt *Hebræi* aliquot & *Arabes*. *Hi* cumprimis magno labore & incredibili ſolertia veterum Philoſophorum vitas, dogmata & mores enarrârunt.

Vide

Vide *Anal.* P. 1. p. 307. Iterum *alii*, de una tantùm Philoſophiæ parte, ſeu ſecta ex ruderibus eruenda, & Hiſtorico ſchemate veſtienda, fuerunt ſoliciti. Talis Hiſtoria Logica eſt *Kekermanni*. Nonnulli Methodo quidem, arbitraria potiùs quàm confuſa, non de Philoſophis modò, ſed ipſa etiam Philoſophia, variiſque ejus accidentibus, odio & amore, Commentaria ſcripſerunt Hiſtorica. Atque hic excellit *Zuingerus* in ſuo Theatro. Sunt denique, qui, cum Gentilium Philoſophis commiſſi, in hoc potiſſimum deſudant, ut ſolidâ ἀποδείξει Hiſtoricè probent, Philoſophiæ fontes ipſam eſſe Sacram Scripturam. In Philoſophia vel οὐδὲν εἶναι ὑγιὲς, vel tralatitium illud & emendicatum ex Moſis & Prophetarum libris. Cauſam hanc doctè perorârunt *Iuſtinus Martyr*, *Euſebius*, *Auguſtinus* & alii, illi præſertim, qui noſtro tempore de veritate religionis Chriſtianæ ſcripſerunt. Quid nos exercitiis hiſce Scholaſticis velimus, ipſo Canone expreſſimus. Ubi tamen monemus, quòd, quemadmodum *Auguſtinus* lib. 8. de Civitate DEI, c. 1. *non omnium Philoſophorum vanas opiniones refutandas opere ſuo ſuſcepit, ſed eas tantùm, quæ ad Theologiam pertinent*; ita nobis quoque ea potiſſimùm curæ fore, quæ ad illuſtrationem rei Theologicæ faciunt.

IV. *Conſideratur autem Philoſophia Hiſtorica ratione vel* Cultorum, *vel* Culturæ, *vel* temporis.

V. Cultorum *reſpectu Philoſophia alia* Judæorum *eſt, alia* Gentilium, *alia* Chriſtianorum, *alia deniq.* Saracenorum.

Iudæorum Philoſophia ſequentibus abſolvitur ætatibus. 1. Ab *Adamo* ad *Moſen*. Fuiſſe hoc interſtitio magnum artium liberalium uſum, ipſa Scripturæ Sacræ, aliorûmque magnorum authorum documenta dubitare nos non ſinunt. Vide *Antiq. Ioſephi* lib. 1. c. 4. *Noachum*, vel alium aliquem ex Patriarchis *Prometheum* illum fuiſſe,

fuiſſe, cui *Plato* in Philebo maximam inventorum, & cœlitus delatorum Præceptorum Logicorum laudem tribuit, vix ambigit *Kecker*. Præcog. Log. tract. 2. p. 66. *Iobo* quis exactiſſimam Phyſicarum & Mathematicarum ſcientiarum abjudicet notitiam? De *Moſe*, Act. 7. v. 22. legere eſt, quòd, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *inſtitutus fuerit in omni ſapientia Ægyptiorum.* Hæc verò Ægyptiorum σοφία in Aſtronomia præcipuè conſiſtebat, Geometria, Aſtrologia & Hieroglyphicis, *Iuſtinus Martyr* Quæſt. & Reſp. ad Orth. q. 25. 2. Periodus à *Moſe* ad *Captivitatem Babylonicam* excurrit. Hæc quidem ætas faciendis potiùs occupata, quàm cognoſcendis (*Auguſtinus* lib. de Catechiſ. rudib.) tantò minori ſtudio, aut fervore Philoſophiam tractâſſe videtur; quantò major illius, mandato DEI, fuit ἐθνοβδελυξία, quâ factum, ut nihil cum Gentilium ſtudiis, tum temporis in orbe florentibus, commune habere voluerit, ipſa θεοδίδακτος. Interim tamen *Solomonem*, aliósque Hebræorum proceres, naturalis quóque Philoſophiæ callentiſſimos fuiſſe, ex manifeſto patet Scripturæ loco, 1. *Reg. X. v. 29.* Adde *Ioſephi* antiq. lib. 8. c. 2. 3. A *Captivitate Babylonica*, ad μετοικεσίαν, ſeu *migrationem Romanam*, vel à devaſtatione Templi primi, ad excidium ſecundi. Hîc jam nova prorſus Iudaiſmi fuit facies. *Alii* enim ex captivitate reduces, Chaldæorum Philoſophiam Magicam invexerunt: *Alii* Platonicis & Stoicis placitis aſſenſum præbuerunt. Pythagorica μετεμψύχωσις ab ipſis Iudæorum Doctoribus publicè fuit aſſerta. Mortuorum etiam reſurrectionem, cum Epicuræis aliiſque Philoſophis, primarii Iudæorum Sacerdotes exploſam, eluſerunt. 4. A *devaſtatione Templi ſecundi*, ad 12. poſt Chriſtum natum Seculum. Hoc intervallo omnis cum ipſa gente non modò exulavit Philoſophia, ſed infenſo etiam animo, & planè pugnaci contra eam eſt belligeratum. Qua de re aliquid dictum eſt in *Theſ. Philol.* p. 50. Adde authorem *Zemach. Dav.* P. II. p. 2. b. qui tamen ſuo exemplo Iudæis ſtudium & lectionem ספרים חיצונים commendat. 5. A *duodecimo* tandem Seculo, ad hæc noſtra

ſtra tempora. Quæ hujus articuli fuerit ratio,& quòd in ipſo ejus veſtibulo,ferventiſſimè Iudæi,in iis præſertim locis,ubi Arabum paruerunt Imperio,coluerint Philoſophiam,pleniùs excuſſimus in *Hiſt.Eccleſ.*Sec.XII.& deinc. Ita tractari poſſet Hiſtoria Philoſophiæ Iudaicæ.

Gentilium verò Philoſophiæ tradendæ Hiſtoricæ non unius tantùm modi occurrit ratio. *Studiorum* & inſtitutionis reſpectu *Academicos* habemus,*Peripateticos*,*Stoicos* & *Cynicos*. Ratione *temporis*,alii *Veteres* ſunt,*Pythagoram* Samium ſequuti,& *Anaximandrum* Mileſium, eorúmque Succeſſores,ad Socratis uſque tempora,quorum illi *Italici* dicebantur,hi *Ionici*; Alii *novi*,facto initio à *Socrate*, ex cujus Schola,tanquam ex equo Trojano,celeberrimi prodierunt Philoſophi,*Plato* præſertim, *Veteris Academiæ* inventor. *Mediam Academiam* inſtituit *Arceſilaus*,qui omnia primus in dubium cœpit vocare. *Tertia*,& à veteri planè degener, autorem *Anaxarchum* agnoſcit,*Ariſtippum*,&c.qui ἀκαταληψίαν,vagamque de rebus omnibus mentis dubitationem introduxerunt.Hac Methodo ſuam enarrat Hiſtoriam *Keckerm.* Confer *Clem. Alexand.* Strom. lib. 1. Theat. Vitæ Hum. *Zuing.* Vol.III. lib.1.

Ratione *loci* φιλοσοφίας τρεῖς διατριβὰς fuiſſe, ſcribit *Clem.Alex.*Strom.l.1.p.300. Ἰταλικὴν,ἡ ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου. Ἰωνικὴν,ἡ ἀπὸ Θαλοῦ. Ἐλεατικὴν,ἡ ἀπὸ Ξενοφάνους. Quòd ſi, *Epiphanii* exemplo, hæreſ.l.1.t.1. authoribus ſuis Philoſophiam diſtinctam examinare allubeſcat, *Platonici* ſe ſiſtent,*Pythagorici*, *Epicurei* & *Stoici*,qui tamen poſtremi ſunt ἐπώνυμοι τοῦ τόπου,ut *Clem.Alex.* utar phraſi.

Vbi ad *Chriſtianorum* deventum eſt Philoſophiam, *Platonica* potiſſimùm pertexenda eſt Hiſtoria, *Pythagorica*,& *Peripatetica*; de *Stoica* enim & *Epicuræa* nihil occurrit memorabile. *Platonicam*, etſi nondum defæcatam ſatis,& à Gentiliſmi ſcoriis purgatam,magni fecerunt 1.primi illi Eccleſiæ Patres,qui ex Schola prodeuntes Platonica,non ſtatim impetrare à ſe potuerunt, ut placitis illis,quibus ab ineunte quaſi ætate erant incocti, repudium mitterent. 2. Mediæ quidam ætatis Docto-

Doctores, quibus mera fuerunt oracula, Platonicorum ſcita. 3. Sed & majorum noſtrorum ætate, Platonici non pauci haberi voluerunt, exemplo eorum, de quibus *Auguſt.* lib. 8. c. 12. de Civ. DEI. Beſſarionis judicium de Platone habes in Antiq. lect. l. 16. c. ult. *Cœl. Rhodig.* *Marſilius Ficinus* ad cœlum propè evehit Platonem, Præfat in ejusdem opera. Ipſe etiam *Lud. Vives* Comment. in Aug. de Civit. Dei. l. 8. c. 4. annotat. *Fallitur, meâ ſententiâ, quisquis Platonem non aliquanto plus, quàm hominem, aut certè non ex optima illa & rariſſima hominum nota fuiſſe putat.*

Pythagorica cum ipſo ſtatim Chriſtianiſmi jubare evanuit, niſi quòd Hæretici quidam, ex Symbolis & myſteriis Pythagoricis, novum quoddam & execrandum Theologiæ genus cuderunt. Atque de his potiſſimùm intelligi videntur Patrum querelæ, quòd *Philoſophi hæreticorum ſint Patriarchæ, Tertull.* adverſ. Hermog. Quanquam de reliquarum etiam Sectarum principiis idem dictum velit de *Præſcript. adv. hæreſ.* p. 97.

Peripateticam reperies incultam penè jacuiſſe & profligatam, non modò in Imperio Romano, quandiu Secula illa αἰσθητικὰ καὶ ὀρεκτικά, à Cicerone nempe ad Alexandrum Aphrodiſæum, durârunt; ſed inter ipſos etiam Chriſtianos, gemiſcentes ubique, & ſub perſecutionum onere fatiſcentes. Poſteaquam autem Imperatorum liberalitate ſtudia hæc in Scholas, cum quodam quaſi triumpho, eſſent introducta, Latini mox Græcis, in iis etiam literis, quàrum pretium Græcis acceptum ferebatur, palmam præripuerunt. Res eſt, non conjectura. Hîc tamen iterum diſtinctè ut agamus, Hiſtoria certis articulis eſt proponenda. *Primus articulus* initium ſortitur in *Auguſtino*, calcem in *Lanfranco*: quo tempore varia ſors fuit Philoſophiæ Peripateticæ, ita tamen, ut in defectu potiùs fuerit peccatum à multis, quàm in exceſſu. *Secundus articulus* decurrit à *Lanfranco*, ad *Eraſmi* uſque, *Ludovici Vivis, Zuinglii* & *Lutheri* tempora. In quas, toto hoc Seculorum aliquot flexu & fluxu, præcipites ruerint difficultates Chriſtiani, dici vix poteſt. *Primò*

ipſa Ariſtotelis Philoſophia variis vexata eſt divortiis. *Nominales*, nominum prodigi, claſſicum canebant contra *Reales*, & viciſſim. Deinde, *Philoſophia ſecularis ſacram Theologiam curioſitate inutili fœdare cœpit*; ut loquitur *Trithemius*. *Scholaſtica* tandem eſt nata Theologia, quæ initio, etſi multis modis vitiata, ſuis tamen terminis limitabatur. Vbi verò longiùs deinceps novæ illius Theologiæ Profeſſores eſſent progreſſi, cœlum undique, & undique pontus: nullus portus, nulla ſtatio: quò plura transmiſerant, eò major ſemper congeries oculis ingerebatur: imò verò velut altæ moles aſſurgebant, nec ſpes ulla, vel ſaltem poſt longas ambages, evadendi apparebat. Vſque dum tandem impudentiſſima ultimæ ætatis Schola, judicio ſuo nihil majus admittebat aut ſublimius. Qua de re fuſiùs diſſeruimus in *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XII. S. 1. & in *Anal. P. 1. p.* 13. Quàm vel ſola Logica, quæ ὄργανον eſſe debebat & inſtrumentum, indignè fuerit tractata, ita quidem, ut ejus ipſos etiam pudeat Pontificios, habes in iisdem noſtris *Anal.* p. 7. quibus addе *Melchiorem Canum*, Locor. Comm. lib. 8. c. 1. *Efficitur, quod ego magno cum aſſenſu omnium dicere me video, miſeram eſſe Scholæ doctrinam, quæ ſe titulis Magiſterii defendat; miſeram etiam, quæ detracta Scripturæ Sacræ authoritate Syllogiſmis contortis de rebus divinis philoſophatur, &c.* & lib. 9. c. 1. *Egit id Diabolus, quod ſine lacrymis non queo dicere, ut, quo tempore adverſùm ingruentes in Germania hæreſes oportebat Scholæ Theologos optimis eſſe armis inſtructos, nihil prorſus haberent, niſi arundines longas, levia puerorum arma.* Et paulò pòſt inquit, *ſe non intelligere, quid cauſæ fuerit, ut ſub Dialecticæ nomine exponibiles, obligationes inſolubiles, aliaq; id genus monſtra in Scholam intulerint, de uſu autem Dialecticæ non fecerint ne verbum quidem ullum; cùm tamen vel ipſi pueri intelligant, eiusmodi Sophiſmatum brevem quendam ludum eſſe oportere, & alium quendam uſum à Dialectica requirendum, Philoſophiæ & Theologiæ maximè neceſſarium.* Et *Petrus Fonſeca* Comment. ſuis ad Secun. Metaph. c. 3. q. 4. S. 3. *Inter*

alia,

alia, inquit, *quæ Logicam faciunt obſcuram & inviſam multis, id quoque eſt, quòd à plerisque nimia exercitatio Dialectica, in ipſa materia Dialectica ponatur: hinc tam multa, tamq; ſpinoſa naſcuntur Sophiſmata, ut ingenia potiùs lacerent, quàm doctrinæ fructu reddant robuſtiora, &c*, *Tertius* denique *articulus* eſt, à Reformatione ad præſens tempus, quo interſtitio multum puriori Philoſophiæ acceſſit luminis ex *Melanchtonis*, Communis Germaniæ Præceptoris, *Agricolæ*, *Rami*, *Goclenii*, *Keckermanni*, *Burgersdicii*, & aliorum ſolertia.

Saracenorum tandem Hiſtoria Philoſophica apud ipſos etiam Iudæos fuit honorata. Vnde illud. Tria commendantur תרבית ערלים חכמת ישמעאלים אמונת ישראלים *Educatio* (mores) *incircumciſorum*; *Sapientia Iſmaelitarum*; *Fides Iſraëlitarum* &c. Ea ſequentibus commodê includi poſſet ætatibus. Primâ habemus *Philoſophiam exulantem*, à Muhammede, ad Almanzoris Chalifatum, quo toto tempore nullus Philoſophiæ apud Saracenos erat locus. Quemadmodum enim Philoſophia, ne Gentilibus quidem ipſis ſemper placuit, quam proinde non ſemel proſcripſerunt, ceu videre eſt apud *Gaſſend*. de vit. Epicur. lib. 7. p. 196. & *Cœl. Rhodig*. lib. 16. c. 7. ita cumprimis apertè ei contradixerunt Muſelmanni. Vide *Anal*. P. 1. p. 248. II. *Philoſophiam emergentem*, creſcentem & florentem; ſub Almanzore & deinceps. Vide *Hiſt. Eccleſ*. Sec. 8. 9. 10. &c. de Muhammediſmo, *Anal*. P. 1. pag. 248. 307. III. *Philoſophiam flaccescentem*, Seculo, poſt Chriſtum natum, decimo adhuc quinto. Vide *Hiſt. Eccleſ*. S. XV. ſ. 3. Vtque, quo habenda ſit Arabum Philoſophia loco, conſtet, judicia etiam conquiri debent, tum *Iudæorum*, Majmonidis præſertim in *Schalſch. hakk*. p. 44. b. tum etiam *Chriſtianorum*, ex quibus alii Arabum Philoſophiam ne caſſa quidem nuce emerint: vide *Hiſt. Eccl*. Sec. XII. p. 92. alii contrà præclarè de illa ſentiunt, ut *Voſſ*. ib. p. 199. *Keckerm*. Præcog. Logic. tract. 2. p. 87. *Circa idem tempus*, inquit, *annum nimirum Chriſti* 1150.

ſloruerunt Corduba in Hiſpania duo præſtantes Logici ſimul ac Philoſophi, & Medici Arabes, Avicena & Averröes, *vel ut alii ex Arabico ſcribunt,* Aben roes, (neutri bene: vide *Analectorum* P. 1. p. 308. *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XII. p. 199.) *temporibus circiter Friderici Barbaroſſæ, fortiſſimi Imperatoris. Quid & quantùm univerſæ Philoſophiæ Averroes iſte profuerit, tum clarum perfectumq́ haberemus, ſi quem nobis Deus virum excitaret, qui Latinam eius Verſionem ab iſta, qua ſcatet, undique moleſta barbarie liberaret, & ſtylo Latino, ſaltem mediocri & intelligibili, in gratiam Philoſophiæ ſtudioſorum verteret. Aliâs certum eſt, Averroem à multis neglectum iri, à quibus legeretur diligenter, niſi tam multis locis non intelligeretur. In poſteriorib. Analyt. apparet, ſingularem operam præſtitiſſe, & immortalitate digniſſimam. Et Epitome Logicæ, quam ſcripſit, laudatiſſima eſt, ob varias cauſas, ut & Logica eius quæſita. Nemo tam interpretum Veterum videri poteſt proximus Ariſtotelis menti, atque hic Arabs. Sed de laudibus Averrois varii ſcripſerunt ex Averroiſtis, quorum cum aliis Philoſophis ante annos aliquot in Italia, & adhuc hodie magnæ ſunt contentiones.* Et in Gymnaſ. Log. lib. 1. p. 26. *Averroes Arabs, Clariſſimus Ariſtotelis interpres, inter poſteriores numerandus, ſi annos ſpectes; inter primos autem, ſi vim ingenii, ſi dexteritatem interpretandi loca obſcura, ſi denique uſum Logicæ in diſponenda Medicina & aliarum diſciplinarum accurata Methodo.*

VI. Culturæ *reſpectu Philoſophia dividi poteſt in* Exulantem, Superbientem & Ancillantem.

VII. Exulans *Philoſophia eſt, cùm vel tota, vel partes ejus proſcribuntur, eliminantur, convitiis proſcinduntur, aut contemtæ ſaltem jacent: cultores etiam ejus aqua & igni interdicuntur.*

Ita

Ita multata eſt Philoſophia 1. à *Gentilibus* ipſis, qui non modò, ut poſtea audiemus, Philoſophos ſuis limitibus proſcripſerunt; ſed & Philoſophiam damnârunt.

2. 'A *Iudæis* plerisque, qui vel ſerò admodùm animum ad literas humaniores & ſtudia Philoſophica appulerunt. Vel Philoſophiæ repudium miſerunt. Vide *Theſ. Philol.* p. 50.

3. 'A *Muhammedanis*, quibus ante Islamiſmum Philoſophia penè fuit ignota. Aſtrorum notitia, Linguæque ſuæ cultura curæ ijs erat, ואמא עלם אלפלאספה פלם ימנחהם אללה שיאמנה *verùm, quod ad Philoſophiæ ſcientiam attinet, nihil eis de ea Deus conceſſerat*, ut Gregorius *Abulfaraius Malatienſis*, de origine & moribus Arabum S. 1. ſcribit. Rationem hujus rei geminam eſſe reperio 1. quòd Mæcenates ſtudijs iſtis deeſſent, inter eos, qui armis potiùs inclyti eſſe volebant, quàm libris & literis. 2. quòd cum Islamiſmo, nova illa religione, ſobriæ Philoſophiæ parùm conveniret. Vide *Anal.* P. 1. diſſert. de uſu *Ling. Arab. in Theol. Medic. Iurisp. & Philoſoph.* pag. 247. Philoſophiam inter Arabes primus excitavit *Abu Giafar Alnianſor*, de quo videatur *Hiſt. noſt. Eccleſ.* Sec. IX. p. 644. & 654. quam gratiam hoc ſibi ſtudio conciliarit, hinc patet, quòd palàm fateantur Arabes, *Fieri non poſſe, quin Deus certas de Almamone pœnas ſumeret, quòd ſcientiis Philoſophicis introductis, Muhammedanorum pietatem interpellaverit.* Qua vero occaſione *Almanon* honorare cœperit hæc ſtudia, ex ſcriptore Arabico *Iſaacide* recenſebimus: אחד אלאסבאב פי דלך אן אלמאמון ראי פי מנאמה כאן רגלא אבין משרבא חמרה ואסע אלגבין מקרון אלחאגב אגלח אלראס אשהל אלעינין חסן אלשמאיל גאלס עלי סרירה קאל אלמאמון וכאני בין ידיה קד מלית לה היבה פקלת מן אנת קאל אנא ארסטאטלס פסררת בה וקלת אידא אלחכים אסאלך קאל סל מא

מא אלחסן קאל מא חסן פי אלעקל *Vna rei huius* (propagationis ſtudii Philoſophici inter Muſelmannos) *cauſa fuit, quòd, ſecundùm quietem, Mamoni apparuit vir albus, colorem tamen ſimul purpureum imbutus, utraque parte capitis ſupra tempora ad frontem latus, ſupercilio utrinque in longitudinem iuncto, capite calvus, oculis ſubglaucis, tenui intermixta nigredine, naturâ pulcher, lecto ſuo inſidens; dixitq́;* Mamon: *Cùm quaſi inter manus eius eſſem, terrore repletus, rogavi: Quis es? Reſpondit: ego ſum Ariſtoteles: qua re gaviſus eram. Regeſſi autem: ó ſapiens! num te quid quæram? Quare inquit: Dixi: Quodnam bonum* (internum nempe; *externum* enim כיר vocant Arabes) *eſt? Reſpondit. Id quod intellectui bonum iudicatur.* Et paulò pòſt;

פי רואידה אכרי קלרת זדני קאל מן נצחך פי
ואלדהב פליכן עברך כאלדהב ועליך באלתוחיד
וכאן הדא אלמנאם מן אוכד אלאסבאב פי
אכראג אלכתב פאן אלמאמון כאן בינה ובין
מלך אלרום מראסלאת וקד אסתטהר עליה
אלמאמון וכתב אלי מלך אלרום יסלה אלארן
פי אנפאר מא יכתאר מן אלעלום אלקדימה
אלמכרוכה בבלד אלרום פאגאב אלי דלך בעד
אמתנאע פאכרג אלמאמון לדלך גמאעה מנהם
אלחגאג בן מטר ואבן אלבטריק וסלמא צאחב
בית אלחכמה וגירהם ואכדוא ממא וגדוא
מא אכתארוא פלמא חמלוה אליה אמרהם
אנקלה ונקל וקד קיל אן יוחנא בן מאסויה ממן
נפד אלי בלאד אלרום קאל מחמד בן אסחק
ממן עני באכראג אלכתב מן בלד אלרום

מחמד

מחמד ואחמד ואלחסן בנו שאכר אלמנגם וכברהם יחי בעד דלך יברלוא אלרגאיב ואנפדוא הנין בן אסחק וגירה אלי בלד אלרום וגאוהם בטראיף אלכתב וגראיב אלמצנפאת פי אלפלאספה ואלהנדסה ואלמוסיקי ואלאתמאטיקי ואלטב וכאן קסטא בן לוקא אלבעלבכי קד חמל מעה שיא ונקלה ונקל לה קאל אבו סלימאן אלמנטקי אלסגסטאני אן בני אלמנגם כאנוא ירזקון גמאעה מן אלנקלה מנהם חנין אבן אסחק וחנין בן אלחסן ותאבת בן קרה וגירהם פי אלשהר נחו כמס מאיה דינאר ללנקל ואלמלאזמה, id eſt, *Cùm ſecundùm mihi appareret, dixi ei; perge. Reſpondit, qui auro te inhiare iubet, ſit tibi, inſtar auri, mancipium; tibi autem cura ſit fides unitatis. Atque hoc ſomnium cauſa fuit præcipua eductionis ſeu tranſlationis librorum. Cùm enim inter Mamonem, & Romanorum Regem frequentes eſſent legationes (vicerat enim hunc Mamon:* vide Hiſtor. Sarac. *Elmac.*p.137.148.) *ſcripſit ille Regi Romanorum, ut copiam obtineret petendi quidquid vellet, de ſcientiis veterum, quæ in Romanorum territorio inculta iam iacerent: quod &, poſtquam aliquandiu fuiſſet tergiverſatus, conceſſit. Et ſelegit Mamon quoſdam ad hoc, ex quorum numero erant, Haghagh, Matri filius, Ibn Batrik, Sullama, præſes Domus ſapientiæ & alij, qui, quod inventum elegerant, Mamoni attulerunt, quod etiam transferre eos iuſſit; & tranſlatum fuit, Dicitur etiam Iohannes, fil. Maſuia ex eorum cenſu fuiſſe, quos Romam ablegârit.* Ait Muhammed, filius Iſaaci: *Inter eos, qui occupati fuerant in deferendis libris ex regione Romanorum, numerantur Muhammed, & Ahmed,*

med,& Haſen,filij Schacer, Aſtrologi ; quibus poſtea ſignificavit , ut amplis aliquem muneribus inſtructum ablegarent, & miſerunt Honainum, filium Iſaaci, aliúmque inRomanorum ditionem,& obtulerunt ijs libros inſignes,& tractatus rariſſimos in Philoſophia, Geodeſia,Muſica,Arithmetica,& Medicina : cùm autem Koſta,filius Lucæ Heliopolitanus ſecum quædam attuliſſet, tranſtulit ipſe, quædam verò ei translata ſunt. Dicit Abuſoliman,Logicus,Segaſtaneus, quod filij Monaghemi (Aſtrologi) *aluerint quoſdam Interpretes,ex quibus Honain,filius Iſaaci,& Honain filius Haſeni & Tabeth, filius Korrah,& alij,quibus ſingulis menſibus impenderint quaſi* 500.*denarios,pro tranſlatione,& cæteris requiſitis.*

4. In ipſo tandem *Chriſtianiſmo* eandem Philoſophia experta fuit ſortem, apud eos primùm,qui ſpecioſo ſimplicitatis prætextu omnes à Philoſophia abſterruerunt,ut ſunt *Enthuſiaſtæ, Anabaptiſtæ*, & omnes illi qui ſe *Fratres Cruc is* nominant.Moverunt Enthuſiaſtæ quæſtionem ; *An ſit ex uſu Chriſtianiſmi,ut Bibliis exceptis,omnia Philoſophorum & Philologorum Volumina exterminentur ?* Vbi certè immane quantum inſaniunt, qui Enthuſiaſmum ſpirant, quorum ſolenne aſylum ignorantia eſt, Philoſophiæ & bonorum authorum contemtus,ut ex omnibus eorum ſcriptis patet. Prodiit hactenus *Chriſtophorus Raſelius*,qui Doctores noſtros famoſis vocat verbis *Ethnicologos, Coſmologos, Tollogos, Fabellogos,Spermologos,Lallogos, Grammatollogos, Sarcologos, Ariſtotelicos & StoicosPhyſi*(cunc)*os*,& quæ ſunt convitia alia. Eandem ſuis occinit cantilenam *Neo-politicus Iohannes Angelus VVerdenhagius* , *qui* ἐλλάμψῃ nova Politiam novam primus cælo,ut Socrates Philoſophiam,evocavit , ut in urbes Hanſcaticas collocaret, &in domus introduceret. Edidit *Medullam Politices*, quæ revera continet confuſum Paracelſiſticorum ſomniorum chaos,aliâque periſtragula ἀλλότρια,quæ ubique prominent,ut in Æſopi aſino auriculæ: quibus demtis, nihil niſi σκελετὸν ſine medulla ſupereſt. Convitijs agit

rem

rem paſſim, Philoſophos dicit *Phylloſophos*, *Mundi Phantaſtas, mundanos ſapientes*, p.438. *Habitualiſticam argutiam & literalem ſapientiam*, p.545. *Habitualiſtarum ſyllabarum capturam & literales tenebras* p.546. *Vanas ſyllogiſticationes defraudatorias, inanium terminorum ſyllabarumque habitum*, p.574. *Ethniciſmi execrabilis phraſes ac terminos, articulatas loquendi formulas diſputabiles*, p. 575. *opinabiles diſputationes ſpeculationum inanium, habituales logomachias, articulos diſputabiliter pro opinione humana confictos*, pag. 575. *Habitualiſtas, Ethnicos & Pſeudophiloſophos*, περισσῶς ἐμμαινόμενος perſtringit. Logicos ait, *garrula Logicæ vana crepitacula habitualiſtica crepitare*. Metaphyſicam, quæ Schillingijs *terminorum obſcurorum Lexicum* dicitur, inanem eſſe pronunciat; *Dietric.* Diat. de uſu, abuſu, &c. p.174. *de Iohanne Angelo VVerdenhagio*. Habet ſcriptor ille in ſuis Politicis multa non contemnenda: Iniquiorem tamen eum eſſe Philoſophiæ & Philoſophis inficiari non auſim: vel ſola dedicatio ejus in *Politicam generalem* hujus rei teſtis eſſe poteſt.

Tolerâſſent fortè alij Philoſophiam, (nam & *Ramo* hoc etiam nomine Ariſtotelica diſplicuerunt placita, quòd hominem Ethnicum authorem haberent; ipſe aliâs Philoſophiæ magnus Doctor) modò non ex Gentilium eam lacunis haurire debuiſſent. Vnde *Concil. Carthag.* IV. c. 16. *Epiſcopus Gentilium libros non legat, &c.* Et *Clem. Roman.* l. 1. conſtitut. c. 6. *Abſtine*, inquit, *ab omnibus libris Gentilium. Quid enim tibi cum alienis ſermonibus, aut legibus, aut falſis Prophetis, quæ quidem homines leves à vera fide detorquent*. Eadem opinio inſedit quorumdam mentibus ætate *Gregorij Nazianzeni*, externas nempe diſciplinas, quas exactè Gentiles tradiderant, à Deo abducere homines; quam in Deſcriptione vitæ Baſilij, quæ ſub titulo *Monodia* extat, magnus Eccleſiæ Doctor confutat. Digna ſunt verba ejus, quæ, ex verſione *Raphaëlis Volaterrani*, inſerantur: *Exiſtimo apud omnes, qui ſapiunt, iam eſſe in confeſſo, quemadmodum eruditio ſeu diſciplina primum eſt omnium*

bonorum,non ſolùm Chriſtiana,quæ non dictionum pulchritudinem,ſed rerum ſenſum & intelligentiam ſequitur: Verùm & ea,quæ extra fidem eſt,quámve Chriſtiani nonnulli velut à Deo ſeparatam (ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν καὶ θεοῦ πόῤῥω βάλλουσαν διαπλύουσιν,*ut inſidioſam ac periculoſam,ac procul à Deo avertentem*) *odio habuere,malè quidam iudicanttes. Si enim, quemadmodum quidam ex Philoſophia aliena noxam contraxerunt,ac in errores varios inciderunt,ea de cauſa deſpiciunt. Eodem modo & hi cœlum,terrámque & omnia, quæ in eis continentur, odio poterunt habere, quando plures inveniuntur, qui hæc Deos conſtituunt, aut his alioqui abutuntur. Similiter autem & ignis & elementa cætera,& cibus ipſe,quæ interitum ac perniciem malè utentibus ferunt,ab omnibus ut mala vitabuntur. Verùm, contrà conſpicimus,quòd non ſolùm ea,quæ de genere ſunt meliorum,ſed omnino peſtifera & vitanda, interdum ea probè accommodantes iuvare inveniantur, iámque ex vipera carne* (Καὶ τῶν ἑρπυστικῶν θηρίων ἐστὶν ἃ τοῖς πρὸς σωτηρίαν φαρμάκοις συνεκεράσαμεν) *ſingulare morbis remedium inventum, quod Theriacam appellamus.Sic igitur ex Græcis doctrinis,quæcunque ad naturæ cognitionem morúmve inſtitutionem* (τὸ μὲν ἐξεταστικὸν καὶ θεωρητικὸν) *ediſcamus: quæ verò ad errorem & ſuperſtitionem* (ὅσον δὲ εἰς δαίμονας φέρει, καὶ πλάνην καὶ ἀπωλείας βυθὸν) *ea vitabimus.*Sed & *Iohannes Gerſon,*Serm.de Angelis quorumdam meminit,*qui abjiciendos prorſus exiſtimant infidelium libros.* Subſidium ſententiæ ſuæ quærunt in ſomnio illo Hieronymi,de quo *Anal.*p.11.*Hier.*t.1,fol.67.a.& t.3.fol.P,1.95.Plura de hac quæſtione habet Ioh. *Conradus Diet.*peculiari Diatribe; vide p.13.17.& *Scheibl.*Tract.de Philoſ.p.98. Hoc fato agitata eſt Philoſophia in *genere,*ſingulas ejus *ſpecies* ubi percurreris,neque hic deerunt,qui vel aperto eas oppugnârunt Marte,vel contemptu ſaltem ſuo probârunt,quo ſint in artes liberales animo. *Logicam,* verbi gratiâ, è Theologiæ regno quidam planè proſcribunt, quòd *ſit Ethnicorum inventum,quòd numeretur inter*

opera

opera carnis, quòd ſit ars ſtruendi & deſtruendi verſipellis, in ſententiis coacta, in coniecturis dura, in argumentis operaria, contentione moleſta, &c. Vide Append. Clav. Theolog. *Iacobi Reneccij* Probl. 5. Claſſicum maximè noſtro ſeculo contra Logicam, tanquam ferruginem ingeniorum, peſtem Scholarum, & inimicam Theologiæ cecinerunt *Ioh. Angelus VVerdenhagius*, ut Præf. Polit. General. & *Ioh: Baptiſta Van-Helmont*, ort. Med. p. 4. S. *Logica inutilis.* Id quod acceptum ferendum magnis Philoſophiæ mironibus, qui ut nihil non à Logica expectarent, penè tanquam idolum illam adorârunt. Haud obſcurè hoc ipſum expreſſit *VVerdenhagius: Sunt*, inquit, *alij, qui nihil ſacri rectè ex verbo Dei rationis intellectui applicari poſſe aſſeverant ſtrenuè, niſi id fiat per* διαλογισμὸς, *ſive ſyllogismos Chriſto & Paulo adeò exoſos. Inde plusquam millies hi auditi ſunt per pulpita, templa, & plateas clamores; quod ſæpius non ſine horrore excepimus ipſi*: Doctiſſimi Domini, quòd ſi ſis bonus Metaphyſicus, bonus Logicus, & bonus Philoſophus, poſſis uno intuitu ea omnia facile percipere, quæcunque Scriptura proponit.

Grammaticam, tanti faciebant, ſuperioris ætatis Theologi, quanti ſtudium linguarum ipſum. Qua de re egimus *Diſſert. de Neceſſ. Reform.* S. 4. Tritum erat illud *Dullardi: Quanto eris melior Grammaticus, tantò peior Theologus.* Vnde magna illa barbaries & ignorantia ſacrificulorum, qua factum, ut ne Miſſas ſuas legere poſſent, aut cantare. Vide ὁ δεῖνα P. III. pag. 290. Huc pertinent aniles febricitantium Monachorum Etymologiæ; cujusmodi ſunt, *Ave* quaſi ſine væ Evæ, *pauper*, quaſi parum habens, *mendicus*, quaſi manu dicens; *diadema*, quaſi duo demens: *Monoſtellitæ* (pro Monotheletæ) à *monos*, unum, & *ſtelos*, voluntas. *Paphnutius*, quaſi Pannutius, quia vilibus pannis erat indutus. *Abyſſus*, à particula privativa, a, & *byſſus*, quod eſt genus candidi lini. Item *Korban*, eſſe locum ubi ponebantur pro peccato oblata Saturnalium. Vide *Archidiac.* diſt. 16. 17. 37. confer *Anal.* P. I. pag. 8. & deinc. Rati. *Dur.* p. 11.

Sed

Sed ne ipſis denique *Philoſophis* tutis eſſe licuit. Sæpe ad necem ſunt rapti ut *Xiphil.* refert in *Domit.* Quandoque in exilium Roma pulſi, ut refert *Gellius* lib. 15. c. 11. idque non tantùm à M. *Antonio Prætore*, ſed etiam, ut addit *Gellius, Domitiano imperante* ex urbe per Senatuſc. ejecti ſunt, atque urbe & Italia interdicti: qua etiam tempeſtate Epictetus agitatus, Româ Nicopolin ceſſit: *Scheibl.* de Phil. pag. 87. *Notum*, inquit *Gaſſendus*, in vita Epicuri, pag. 196. *ut omneis Antiochus è ſuis provinciis, Lyſimachus è ſuo regno, Athenienſes ex Attica publicis edictis, decretisque excedere, exularéque juſſerint, uti Athenæus & Laërtius habent. Meminit etiam Xenophon latæ à Cretiâ legis adverſus Philoſophos, & Tertullianus ejectam confirmat Philoſophiam à Thebanis, Spartiatis, Argivis.* His addit *Cœlius Rhod.* Antiq. lect. l. 16. c. 7. *Agrippinam Auguſtam*, quæ Neronem filium eo nomine à Philoſophiæ ſtudio ſevocavit, quod eam aſtrueret imperantibus inutilem. *Proinde*, pergit, *magna criminis parte abſolvitur Antiochia, felix quandoque civitas, quam prodidêre celeberrimi creditores, probroſis vocibus Romanæ Principem Julianum proſcindere non deſiiſſe, nec id alia ratione, quàm quia Philoſophus foret, ac barbam promitteret, qui ferè fuit temporum illorum inter Philoſophos mos vetus. Nec illud excidit, tyrannum quendam ingenio veſano & barbaro percitum furore, quæ Philoſophiam continerent volumina prorſus omnia cremare adortum, ni Algazeles, cujus inter eruditos non incelebre nomen eſt, commento pio, ab infando avertiſſet incepto. Hortenſius Philoſophiam vituperavit. Chryſoſtomus Dion eloquentiſſimam in Philoſophos orationem procudit. Taceo Sillorum opus abſynthio conſperſum, quod Timoni Philoſophorum expreſſit irriſio.* Ubi tamen rectè obſervant eruditi, aliquando hoc iis obtigiſſe de facto, ſolùm ex imperitia hominum, ſicut Gellius l. c. memorat, Rhetores & Philoſophos perſecutionem paſſos à Romanis, ſed rudibus & in Græcis literis nondum expolitis. Paſſos deinde Philoſophos deteriorem fortunam, non quia Philoſophi fuerunt, ſed quia

turbârunt Reſpublicas, ut eos feciſſe videre eſt apud *Athenæ*. l. 11. *Dipnoſoph*. c. 23. *Polybium* l. 2. *Tholoſſanum* l. 10. de Republ. c. 6.

VIII. Hæc de Philoſophia *Exulante: Superbiens* eſt, quæ ultra metas ſuas extenſa, ipſi Theologiæ ſacræ ſuperbè & faſtuosè inſultat, eandémque tyrannicè opprimere conatur.

Exprimitur hoc Canone manifeſta ἀμετρία τῆς αὐθολκῆς eorum, qui contrario lati & rapti errore, ſic Hagarem ancillam recipiunt, atque depereunt, ut intolerabilis inde ad ipſam heram redundet injuria. Vitium hoc altas in Eccleſia egit radices, à primis ſtatim Chriſtianiſmi incunabulis. Id quod de Philoſophia in *genere* demonſtrandum nobis erit, primùm; deinde etiam de ſingulis ejus partibus *in ſpecie*. In *genere* peccatum eſt ab iis, 1. *qui ſalutem in Philoſophia, vel quæſiverunt vel oſtenderunt*. Tales autem erant *a Ethnici*, à quibus proinde prodigioſæ confictæ ſunt Philoſophiæ definitiones: Quòd Philoſophia ſit rerum divinarum & humanarum ſcientia, & cognitio, quæ cauſa cujusque rei ſit. *Cic*. lib. 4. Tuſcul. quæſt. Scio, ſano ſenſu, hanc tolerari & defendi definitionem, dubito tamen valde, an ea authorum mens fuerit, quam apud Philoſophos Chriſtianos reperias. Vide *Scheib*. l. c. p. 8. Certum eſt, Gentilium Myſtagogos & ſibi & ſuis, Philoſophiæ beneficio, ea fuiſſe pollicitos, quæ Sp. S. in ſola nobis monſtrat Scriptura. Nota eſt illa veterum diſtinctio Theologiæ in *Poëticam*, μυθικὴν, ſeu fabuloſam: *Philoſophicam*, φυσικὴν ſeu naturalem; & *Sacerdotalem*, πολιτικὴν dictam.

b Chriſtiani, ipſique adeò, tum primitivæ Eccleſiæ Patres, de quibus conſuli poteſt, Diſſ. noſt. de abuſu Patrum S. 4. tum Doctores Scholaſtici. Vide *VValth*. Miſc. Theol. p. 552.

2. *Qui ex Gentiliſmo egreſſi, ſua in Chriſtianiſmum, mutatis tantùm perſonis, invexerunt deliria*. Talis fuit

Va-

Valentinus Platonicus, & converſus ad Chriſtianiſmum. Cogitare is (Chriſtianus factus) cœpit multitudinem Deorum, pro numero divinorum beneficiorum. Hoc igitur dogma, quia affine erat dogmatibus Platonicis, ii, qui convertebantur ex Ethniciſmo, avidè poſtea arripiebant, ut Marcus Saturninus, Baſilides, Tatianus, Harpocrates, aliique. Ab unius Platonis lectione univerſam deceptionem, tum circa eloquium, tum circa hæreſin Secundianis accidiſſe, *Epiphan.* lib. 2. t. 2. obſervat. A' Platone venenum hauſiſſe Marcionem *Clem. Alex.* Stromat. lib. 3. animadvertit. Vide plura ex *Tertull.* in *Hiſt. noſt. Eccl.* Sec. 2. p. 95. Multa etiam erronea hauſit Orig. ἐξ ἑλληνικῆς δεισιδαιμονίας καὶ κακοηθείας, *Epiphan.* p. 255. conf. p. 257. Hæc cauſa eſt, ob quam veteres ſcriptores Eccleſiaſtici, in Philoſophos & Philoſophiam tam acerbè ſunt invecti. *Tertull.* adverſ. Hermog. p. m. 339. *Philoſophos* appellat *Hæreticorum Patriarchas.* Lib. de anima: *Doleo*, inquit, *bona fide Platonem eſſe omnium hæreticorum condimentarium.* *Nazianz.* in Orat. de modo in diſputando ſervando ait, *in Eccleſiam veluti plagam quandam Ægyptiorum perniciosè irrepſiſſe Philoſophiam.* *Epiph.* cont. Hæreſes lib. 2. Hæreſi 51. ait, aliquos ex Philoſophis Porphyrium, Celſum, & Philoſobbatium, ex Iudæis oriundum, ipſis ſe audacter Evangeliſtis oppoſuiſſe. *Hieronym.* Ep. ad Cteſiph. repetit illud Tertulliani: *Philoſophos eſſe Hæreticorum Patriarchas.* Et iterum *Epiph.* lib. 1. de hæreſ. pag. 26. ἐκ γὰρ ἑλληνικῶν μύθων πᾶσαι αἱ αἱρέσεις συνάξασαι, ἑαυταῖς τὴν πλάνην κατέβαλον, μεταποιήσασαι εἰς ἄλλην διάνοιαν χείρονα. Plura id genus reperias apud *Peſant.* loc. cit. *Hyper.* de rat. ſtud. Theol. lib. 4. pag. 691. Ration. Theol. *Nicol. Vedel.* l. 3. c. 22. ad quæ tamen dicta ſolidè ſatis, in ſobriæ Philoſophiæ patrocinium, reſponderunt *Vedel.* lib. cit. *Sadeel.* præfat. Meth. Theol. diſp. *Gerard.* Meth. ſtud. Theol. *Horneius*, & alii.

3. *Qui publicarum ſuarum diſputationum, Orationum & concionum Theologicarum fundamentum quærunt in Philoſophia.* Hæc ſuperiorum ſeculorum fuit

cala-

calamitas, Scholaſticorum περιεργίαις καὶ παραδιατριβαῖς introducta, ceu diximus in *Anal.* P. I. pag. 51.52. quibus addi poſſunt alia ex *authoritatibus* illis, vulgò ſic dictis, *Ariſtotelis, Senecæ, Bœthii, Platonis, Apulei Africani, Empedoclis, Porphyrii & Gilberti Porritani,* quæ a.Ch.1493. apud *Michaelem Nigrum* in minori 8. prodierunt. *Cùm enim,* inquiunt, *Ariſtotelica tam ad populum prædicanti, quàm in artibus ſtudenti non modicum ſententiæ fulgentioris cognitionis cuiuslibet ſcientiæ præbeant robur atque fulcimen, imò in præſentiarum pro Magiſtralibus, brevibúsque ſermonum introductionibus ad populum eorundémque ſermonum ſuis certis in locis, membriſque ornatioribus relucentiis eiusdem Ariſtotelis in via naturali, fatur ut commentator ſuper libro primo Phyſicorum luminis mundi, cuius ortus primum carpſit huius vitæ auras, anno quinto decimo, qui & Artaxerxis decimi Regis Perſarum, &c. Fiunt autem thematum in ſermonem intentum introductiones modis ſequentibus, & pluribus aliis. Principio per magiſtralem ſententiam:* Verbi gratia: Sit Thema illud Lucæ 11. Beati qui audiunt verbum Dei, &c. *Introduc ſic:* Dicit Ariſtoteles primo de animalibus. Omne animal aures habet, habens eas mobiles præter homines, & hoc ratione mobilis complexionis: nam, ut dicitur ibidem, ſicut aurum excellit omne metallum, ſic homo omne animal, cùm ſit homo animal rationale mortale, diſciplinæ ſuſceptibile, manſuetum natura: Igitur cùm talis ſit, jugiter verba ſalutis intentè attendat, Domino dicente, Matth. 13. Luc. 8. Apocal. 2. & 3. *Qui habet aures audiendi audiat.* In quibus verbis prætenditur virtus ſenſibilis ſive ſenſualis audiendi, quæ & in animalibus intellectualis & affectualis, qui tamen in hominibus Pſal. 44. Ecce primum & vide, conſidera ſecundum, & inclina aurem tuam, perpende tertium. Et Auguſtinus 12. S. 51. confeſſionum: Locutus es Domine voce forti ad aurem meam. Qui igitur negligenter audit verbum Dei, tantum peccat, ac ſi Chriſti corpus acceptum expuerit in terram 1. q. 1. Interrogo vos fratres, & eſt textus Auguſtini, quem

tamen cautè lege. Hujus etiam aures creſcent in aures aſininas, id eſt, in æternam confuſionem, ut narrat Ovidius lib. 8. Metamorphoſeos, (à Metha eſt trans, & Morphoſis, id eſt mutatio) de Mida negligente auſcultatore Symphoniæ inter Phœbum, id eſt Solem, & Pan, id eſt, Deum paſtorum. Dictum eſt igitur, *Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Hanc, Midæ illi, Rhetoricam ſuis tradebant Eccleſiaſticam. Et ſanè eam concionatores Methodum fideliter fuiſſe ſecutos, praxis ſuperiorum ſeculorum, & querelæ *Rodolphi à Toſignano,* in diction. pauperum, *Codri Vrcei, Guidonis Fabricii,* Pontificiorum probant. Vide *Diet.* Diat. p. 32. 33. Anal. noſt. P. I. p. 51. & ὁδηγ. P. 1. p. 65. Vnde *Eraſmus Comment.* in Hieron. t. 3. p. 117. ad Verba: *Philoſophi Patriarchæ hæreticorum: Cur non in ius vocant Hieronymum iſti quidam Theologi, qui nihil putant intelligi in divinis literis, niſi bonam vitæ partem in Ariſtotele contriveris: impudentiſſimum eſſe concionari apud populum de Chriſto, niſi Ariſtotelis Phyſicam & Metaphyſicam ad amuſſim calleas. Indicta putant omnia, niſi centies inculcâris Philoſophum. Actum putant de Chriſtiana religione, ſi quis Ariſtotelis decreta reiecerit. Idem,* in deſcriptione vitæ Hieronymi, cùm illos refutâſſet, qui ex ſomnio Hieronymiáno omnes bonas literas deſpiciebant, ſubjungit; *Si crimen eſt habere libros ſeculares, & ſi Chriſtum negavit quisquis hos legit, cur ſolus vapulavit Hieronymus? Cur hodie in Theologorum Scholis celebrior eſt Ariſtoteles, quàm Paulus aut Petrus?* Fuit etiam ſuperiori ſeculo ἀνώνυμος quidam Pontificius, qui, referente *Cornelio Agrippa,* librum edidit *de Ariſtotelis ſalute,* in quo probare conatur, ipſum fuiſſe ſalvatum, & tandem concludit; *Sicut Iohannes Baptiſta prodromus fuerit Chriſti in gratuitis, ita Ariſtotelem eiusdem anteceſſorem appellari poſſe in Naturalibus.* Rationes, cum Elencho, habet *Michael VValther.* cent. Miſcell. Theol. p. 593.

4. *Quando dogmata falſa per ſe ex Philoſophia ſeu Gentiliſmo inferuntur, & tanquam vera & certa in*

Theologia defenduntur. Sic gaudent Pontificii à Gentilibus ſuum mutuare purgatorium (nam & *Platonicorum* & *Pythagoricorum* hoc figmentum fuit) ab *Angelicis* (de quibus Apoſtolus, *Col.* 2.v.16.) ἀγγελολατρείαν. Ab *Arabicis* Anabaptiſtæ ſuam habent ψυχοπαννυχίαν, quam doctiſſimo ſcripto refutavit *Ioh. Calvinus*. Vide plura in *Diet*. pag. 37. & deinceps.

5. *Cùm axiomata per ſe vera in Philoſophia, Philoſophicè*, blaſphemè *applicantur rebus divinis & Spiritualibus*. Hic cum primis peccant Samoſateniani, omnéſque Antitrinitarii, qui quæ de Eſſentia, & generatione humana adeóque finita, doctè Philoſophi diſſerunt, ad infinitam etiam & divinam torquent.

6. *Cùm*, ut calamiſtrata ſatis ſit & mangonio fucata, *ea vindicantur Philoſophiæ & Philoſophis, quæ aut eorum non ſunt, aut alio ſaltem ab iis ſenſu dicta. Prioris* generis ſunt. 1. *Hermes* & *Hydaſpes*, id quod fuſius probat *Caſaub.* contra Baron. Exer. 1. ad appar. annal. S. 10. pag. 70. 2. *Phocylides*, quem *Heinſius* Exercit. ſac. ad c. 10. Heb. *Chriſtianum* appellat. 3. *Sibyllæ*, quibus tantùm veteres tribuebant Chriſtiani, ut *Sibylliſtæ* propterea dicerentur; *Baron.* appar. annal. S. 19. ex *Orig.* cont. Celſ. lib. 5. *Clemens Alexand.* Stromat. lib. 7. p. m. 268. ipſum nobis introducit Paulum ad Sibyllas & Hydaſpen, gentiles rejicientem, rerum ſalutarium Doctores. Ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος, λάβετε καὶ τὰς ἑλληνικὰς βίβλους ἐπίγνωτε, σίβυλλαν ὡς δηλοῖ ἕνα θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι, καὶ τὸν ὑστάσπην λαβόντες ἀνάγνωτε, καὶ εὑρήσετε, πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. Iudicium hac de re noſtrum plenius tulimus, ſup. p. 58. &c. Compendia nunc quærimus. *Video*, inquit Iſ. *Caſaub.* cont. Bar. pag. 73. *Primis Eccleſiæ temporibus quàm plurimos extitiſſe, qui facinus palmarium iudicabant cæleſtem Veritatem figmentis ſuis, ire adiutum: quò faciliùs videlicet nova doctrina à Gentium ſapientibus admitteretur. Officioſa hæc mendacia vocabant, bono fine excogitata*. Hæc tamen fraus pia quàm malè Chriſtianiſmo ceſſerit, verba probant Socini apud *Diet*. p. 120.

quibus, ſi hoc ageretur, affinia aliunde addere poſſemus. *Poſterioris* generis exempla in Patrum ſcriptis ubique habemus obvia. Antiquiſſimi Patres, ut ad Chriſtianiſmum faciliùs Gentiles pertraherent, Platonis aliorúmque Virorum in Gentiliſmo magnorum authoritate probare ſunt conati, non novum eſſe dogma de Trinitate, Filii Deitate, & ὁμοουσίᾳ, &c. iis in medium adductis, quæ hinc inde de λόγῳ ſcriptis ille ſuis intertexuit, quæ tamen vel ipſe non intellexit aliunde mutuata, vel alio ſenſu, quàm quo debebat.

7. *Cùm ex veris Principiis ipſi naturæ à Deo inditis, inferuntur falſæ concluſiones.* Hunc apertè abuſum Apoſtolus taxat ad *Rom.* c. 1. ubi ex principiis naturâ notis, ut eſt ἀΐδιος θεοῦ δύναμις καὶ θειότης; malè intulerunt, θεὸν ἄφθαρτον ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν καὶ τετραπόδων καὶ ἑρπετῶν, repræſentandum & exprimendum.

8. *Cùm axiomata & principia Philoſophica periculosè*, novo exemplo & Methodo ſic *applicantur rebus Theologicis*, ut limites communes tranſiliantur, dogmata nonnulla conquaſſentur, atque adeò ſcepticis, Libertinis aliíſque fanaticis patrocinium præbeatur. Hanc cauſam eſſe volunt, cur Theologi Heidelbergenſes *Taurellum* Philoſophum dixerint *Atheum Medicum.* Vide Diſp. Select. *Voët.* pag. 200.

9. *Si Philoſophia cum Theologia confunditur*, quod, Samaritanorum exemplo eſt μηγνύειν ἄμικτα, & ex utraque inſipida quædam κρᾶσις conſtituitur. Hallucinati hoc loco fuerunt veteres Iudæi, ex Babylonica captivitate reduces, ceu videre licet ex Tobiæ & Macchabæorum Hiſtoria, quod cùm Haſmonæi animadvertiſſent, lege lata diris eum devoverunt, qui filium ſuum Philoſophiam doceret Græcorum. Vide *Druſ.* loc. Pentat. difficil. pag. 210. Lampadem hi deinceps tradiderunt Scholaſticis; quo etiam nomine Sorboniſtæ veteres *Thomæ* ſcripta, publicâ cenſurâ notârunt, quòd paganiſmum Ariſtotelis cum SS. literis miſcuiſſet, vel, ut ipſorum verbis utar, quòd principia Philoſophica ad con-

concluſiones Theologicas nimis applicuiſſet. *Non enim loqui taliter debent*, inquiunt, *Theologi, qualiter loquuntur Philoſophi. Sixt. Am.* Orat. de Barb. Idem in Theologia Scholaſtica obſervat *Sadeel*, de Method. Theol. Diſp. *Vrſin.* Admonit. Neoſtad. *Gerhardus* apud Vedel. Rat. Theol. p. 126.

IX. Hæc de *Philoſophia ſuperbiente* ejúsque adeò abuſu in *genere*. In *ſpecie* officii limites tranſilit

A. *Grammatica*, cùm 1. *circa apices potiùs occupatur, literas & ſyllabas, quàm ſcripturæ Phraſin, & ſenſum.* Eſt hoc cacoëthes Iudæorum potiſſimùm, qui nimium ſibi hoc loco indulgent, & ex quolibet apice, aut κεραίᾳ Myſteria exſculpunt. 2. *Cùm de ſenſu Spiritus Sancti ad plebem multa garrimus*, quem ne ſemel quidem ex contextu originali eruimus, aut eruere didicimus. Periculoſa mihi temeritas iſta videtur. Confer *Theſ. Philol.* pag. 145. quibus adde Epiſt. *Flaving.* Doctor. Sorbon. ad Ecchell. p. 176. 3. *Cùm* omiſſo & amiſſo ſenſu literali *omnia in anagogas*, tropologias, & allegorias *transferuntur*, Vide *Hiſt. Eccleſ.* Sec. 13. p. 354. 4. *Cùm plebi Eccleſiaſtica Grammatica pro concione explicatur.* Vt enim, rejecto Evangelio, pro concione Ariſtotelis Ethica enârrarunt, teſte αὐτηκόῳ *Melanchthone*, Apol. Aug. Confeſſ. ad artic. de juſtific. p. 62. Edit. Lipſ. ita & Epiſcopum quendam pro lectione Evangelica populo Grammaticam expoſuiſſe, refert & taxat *Greg.* l. 9. Ep. 4. Et poſt Italiæ vaſtitatem à Gothis Vandaliſque allatam, Religioſi fuerunt attentiores in legendis comœdiis, quàm in Evangeliis: nobiles matronæ majore cum applauſu audiverunt lyram Flacci, quàm præcepta Solomonis; exercitatiores fuerunt in artibus Naſonis, quàm in lectione Pauli. Illud *Damaſo* Pontifici conqueritur *Hieronymus*; hoc *Abbati* Salmoni *Victor* Maſſilienſis. 5. *Cùm nihil in Theologiæ ſacra adyta admittitur, quod phaleris & pigmentis* ubique Grammaticis

non ſit oneratum potiùs, quàm ornatum. Delicatulos iſtos tangit *Dominicus Nanus Mirabellius*, Præfat. ad Polyantheam a. ch. 1517. Argentinæ editam, cùm ſic ſcribit ad Guilelmum Marchionem Montisferrati: *Videbam nonnullos Scripturam ſacram irridentes* (tales *Bembus* erant, *Angelus Politianus*, & alii: Vide ὀδηγῦ P. 1. p. 68. *Hiſt.* Eccl. Sec. 15. p. 154.) *& quicquid Maroniano Ciceronianóque caret lepore ita dedignantes: ſola aurium delectatione allectos, ut etiam contra Catholicam veritatem interdum ſentirent.* Et *Laurent. Valla* ad Garſam, Epiſcopum Illerdenſem, conqueſtus fuerat, *Theologos Gentilem ſermonem magis quàm Eccleſiaſticum deamare, nec non Philoſophia multum tribuere.* Sic *Muret.* lib. 15. c. 1. var. lect. *Tibi, Dari, autor ſum, ut ne eorum ſtultitiam imiteris, qui usque eo antiquitatis ſtudioſi ſunt, ut voces quoque Chriſtianæ Religionis proprias refugiant, & in eorum locum alias ſubſtituant, quarum nonnulla etiam impietatem olent, qui non* Fidem *ſed* Perſuaſionem; *non* Sacramentum corporis Dominici; *ſed* Sacrificium cruſtulum, *non* Excommunicare, *ſed* Diis devovere; *non* Angelos, *ſed* Genios, *non* Baptizare, *ſed* Abluere *dicunt: aliáque eodem modo depravant. Qui, ut opinor, niſi ſibi metuerent, etiam pro Chriſto,* Iovem Opt. Max. *dicerent. Eſt enim magis Ciceronianum.* Eandem Ciceronianorum delicatam turbam meritò etiam perſtringit *Nicolaus Cauſinus* in Theorhetore. Vide Diat. *Diet.* pag. 189. & deinceps ad 210. fusè hac de re diſſerentem. Præ cæteris hic exorbitârunt, & Grammaticâ ſuâ Theologiam ipſam deturpârunt *Bembus* & *Caſtalio*, quibus nihil, niſi Ciceronianum placuit. Ne *Salvatorem* quidem nominari volunt, aut *Chriſtum* θεάνθρωπον, quibus *Servator* magis placet, ex Cicerone, Livio & Ovidio; aut Heros, quâ *Bembi* Nomenclaturâ graviter offenſus fuit *Iulius Scal.*

6. *Cùm, errore contrario, nihil ad Theologicam dignitatem accedere videtur, niſi quod mendis ubique ſcateat, aut Barbariſmis.* Quo ſuperiori ſeculo nomine graviter in Monachos invectus fuit Eraſmus Roterdamus, quaſi

quaſi æſtimâſſent, nihil & Theologicè & terſè ſcribi poſſe. Quibus opponuntur veteres. Vide *Diet*.p.114.

7. Cùm vocum vel ſono tremendarum torrente avidam ad varios abripimus plebem errores. Fuit hoc execrandum *μηχάνημα* Veterum hæreticorum. Vide *Anal.* P.I.pag.331.

8. Cùm in obeundis ſacris lingua peregrina adhibetur & vulgo ignota, contra mandatum Apoſtoli, & Eccleſiæ primitivæ praxin. 9. Cùm λογομαχίαι ſeu inanes rixæ & contentiones de vocibus, quæ rem non attingunt excitantur. Iidem ferè nævi deprehenduntur & reprehenduntur in *Rhetorica*, ille inprimis, *ſi eloquentia ad oſtentationem adhibeatur*; aut, ſi doctrina Chriſtiana, nullis eloquentiæ calamiſtris comta, ſordeat. Hunc abuſum ſua jam ætate viderunt Patres. Platonis facundiam, Ariſtotelis artificium, Ciceronis ornamenta, velut Ægyptiacas plagas in Eccleſiam Dei irrepſiſſe ægerrimè tulêre *Gregorius* Nazianzenus, Orat. 26.*Hier*. Proœm.l.3. in Ep. ad Gal. Conqueritur hic, ævo illo, in Eccleſiæ chorum, *omiſſa Apoſtolicorum ſimplicitate & puritate verborum, quaſi ad Athenæum convenerint, ut plauſus circumſtantium excitarentur, ut Oratio Rhetoricæ artis fucata mendacio quaſi quadam meretricula procederet in publicum, non tam eruditura populos, quàm favorem populi quæſitura*, l. cit. Et Epiſt. ad Paulin. eoſdem his exagitat verbis: *Taceo de mei ſimilibus, qui ſi fortè ad ſcripturas Sanctas poſt ſeculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſuum ſenſum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. Quaſi non legerimus Homerocentones, & Virgiliocentones: ne non ſic etiam & Maronem ſine Chriſto poſſimus dicere Chriſtianum, quod ſcripſerit,* Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna. Eſſe autem, quibus celebres *Virgilii* verſus;

Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam nova progenies cœlo demittitur alto:
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſto fave Lucina, tuus iam regnat Apollo.

hactenus oraculi divini, & vaticinii de Chriſto fuerint loco, monet *Dieter.* p.121.

Sed & *Auguſtinus* ut lib.3.c.5. Confeſſ. narrat, atque fatetur, ſe aliquando Hortenſio Ciceronis, Encomium ſapientiæ amplectente, ita fuiſſe faſcinatum, ut præ illo ſacræ quaſi literæ ſorduerint. *Sermone illo,* inquit, *excitabar, accendebar & ardebam æſtu cordis incredibili quærendæ ſapientiæ. Inſtitui ergo animam intendere in ſacram ſcripturam, ſed viſa eſt mihi indigna, quam Tullianæ dignitati compararem.* Addit alibi; ſe illo Scripturæ faſtidio incidiſſe in Manichæorum hæreſin. Vnde *Specul.peccat.c.9.*ait: *Erubeſcat ſuperbus & infelix peccator, & timeat elatione occæcatus irâ inflammatus, cui plus placet ars Ariſtotelis, quàm ſcientia de Apoſtolis, plus codex Platonis, quàm liber divinus.*

B.*Logica* ſuperbit a. Cùm axiomata Logica rebus divinis æquivocè accommodat. b. *Cùm probabilitate ſermonis ex veris principiis Sophiſta falſas concluſiones deducit.* Atque hæc cauſa eſt, quòd apud veteres peſſimè, ſæpe audierit Dialectica. Malè audiit, cùm hoc ſcriberet *Prudentius,* Poëta:

Hæc tua, Marcion, gravis & Dialectica vox eſt. Malè iterum tum apud Chriſtianos audiebat Ariſtoteles, cùm *Epiphanius* Aëtii hæretici rationes confutans ait: πέπαυσο οὖν, ὦ Ἀέτιε κενὰς ἡμῖν καὶ Ἀριστοτελικὰς λέξεις φέρων, *lib.* 3. T. 2. Item Κατὰ τε μυρία ἡμῖν πλέκεις Ἀριστοτελικὰ ζητήματα, καταλείψας τὴν ἄνωθεν ἁπλῆν τε ἁγίαν καὶ πνεύματος ἁγίου διδασκαλίαν. Vide *Dan.* de Elench. Hæret. p.10. Hæreſ. 76. appellat *doctrinam Ariſtotelis fabulamentum:* & alibi, *his qui de Deo per Syllogiſmum ratiocinantur, Deum non revelari; Peſant.* Comment. in Sum. Thom. p. 1. qui & refert dictum illud Patris cujus-

juſdam in Synodo Nicena: *Chriſtus non docuit Dialecticam, ſed fidem, quæ per charitatem operatur. Tertulliani* judicium de hac Dialectica eſt lib. de Præſc. Hæret. *quòd ſit ars ſtruendi & deſtruendi verſipellis, &c. Lactant.* Inſtit. div. lib. 3. c. 13. ait: *Dialecticam divina eruditio non deſiderat, quia non in lingua, ſed in corde ſapientia eſt.* Plura id genus Patrum dicta contra Dialecticæ abuſum reperias in Ration. Theol. *VVedel.* l. 3. c. 22. Tale eſt illud *Ambroſii:* Dialecticam divitiis verborum fluere; ſed pietatem Dei timorem ſervare: *Hieronymi:* Dialecticorum tendiculæ, quæ non tam vincula ſunt appellanda quàm phaſinata, id eſt, umbræ quædam & imagines, quæ citò pereunt, & diſſolvuntur, *Eſai.* c. 28. lib. 9. *Item:* Hæreticos in Dialectica ſibi, & Rhetorica & omnium Sophiſmatum dogmatibus applaudere: in c. 2. *Sophon.*

c. *Cùm omnis ætas teritur in terminorum explicatione, definitione, reſtrictione; vel uſus monſtratur per exempla inepta.* Hæc peſtis ſuperiora ſecula vexavit, ut diximus tum in *Anal.* noſt. P. 1. p. 6. 7. Vnde & querela, Topicæ Theologicæ *Hyperii* præfixa: *Quid dicam de tot Dialectorum libellis, qui vulgò in manibus ſunt, in quibus omnibus plus ſexcenties prædicatur,* omnem hominem eſſe animal. Omne animal eſſe corpus. Nullum hominem eſſe lapidem. Socratem eſſe hominem, eum currere, ſtare, ſedere: *Quàm verò ridicula ſunt exempla paralogiſmorum, quibus,* vel quinque eſſe paria, aut aliquem hominem cornua habere, aut crudas carnes comedere, aut ſyllabam caſeum arrodere, &c. Peccatum hoc in Italis præſertim obſervari ait *Keckerm.* Præcog. Log. tract. 1 1. p. 113. qui proinde in uſu Logices monſtrando minus ſunt felices. Aliam fuiſſe mentem *Keckermanno*, grato animo agnovit *Ravanellus* præfat. Biblioth. Sacræ. Mihi certè tædioſæ illæ circa ipſa artis principia cavillationes ſemper diſplicuerunt. Annos multi terunt multos in ſolo περὶ λέξεων, περὶ πυλαίων, arcem ipſam nunquam ingrediuntur. Eſt Logica inſtrumentum, cujus vis in uſu conſiſtit. Quid juvat, artificem

de

de circulo ſemper diſſerere, cynoſura, malleo, & nunquam operi admovere manum? Hæc certè ὀδὲν πρὸς ἔπος. Satis eſt, ſuaviludiis iſtis veteres Græcos, rei novitate attonitos, delectatos fuiſſe, alia nunc ratio obtinere debet apud Chriſtianos.

C. Ad *Ethicam* ubi deventum eſt, varios circa eam deprehendimus errores, quorum præcipuus notatur, quòd ex ipſis Ethicorum Ariſtotelicorum putidis lacunis aquam vitæ, id eſt, ſalutarem de Deo quidam expetant & expectent notitiam. Ex his enim, ut ſuprà jam monuimus, plebem Eccleſiaſticam erudierunt: nec dubitavit quidam palàm aſſerere, *amiſſis libris Propheticis & Apoſtolicis, Eccleſiam doceri poſſe ex Ethicis Ariſtotelis. Melanchth.* Erot. Dial. Plura hac de re diximus in ὁδηγῷ P. I. Qui quidem error tantò fuit pernicioſior, quantò ipſa & Ariſtotelis & aliorum Ethnicorum Ethica nævis laborant turpioribus. Sive enim *finem* ſpectes, qui tantùm eſt gloria humana, ſive *cauſam* virtutem *efficientem*, quod liberum illi arbitrium, non verò fidem, ſtatuunt; tenebræ ubique ſunt & errores. Taceo, mutilam prorſus eſſe & mancam Ariſtotelicam illam Ethicam, quæ nec virtutes omnes recenſet, nec vitiorum naturam, fontem & fomitem feliciter exprimit. Ignorat fidem, reſipiſcentiam; peccatum originale, &c.

D. *Politicam* addere poſſemus, quam *Machiavelliſtæ* Religioni & ſacris omnibus, quæ inventum iis ſunt humanum, quaſi Reginam præficiunt; ſed quia peculiaria *Machiavelli*, hominis, *Campanella* teſte, *omnium ſcientiarum, excepta ſola Hiſtoria humana*, ignari, axiomata à *Stephano Iulio Bruto, Gallo anonymo* (Innocentio Gentileto I..C.) tract. prolixo quem dedicat Duci Alenzonio, *Molano* in tract. de Fide ſervanda, *Campanella* inprimis c. 18. 19. *Conzen, Toloſano, Bodino, Althuſio, Kekermanno, Thomſono* contra Lipſium, aliiſque ſcriptoribus Politicis ſatis excuſſa ſunt, hæcque caterva ad Atheiſtas (quos egregiè depexum ivit *Gisb. Voët.* peculiari de Atheiſmo diſput.) releganda, miſsâ illâ ad cætera properabimus.

Phy-

E. *Phyſica*, officii ſui partibus neglectis, alta ſapit 1. cùm *axiomata Phyſica ad Hyperphyſica transfert:* Prodigioſi hic ſunt Sociniani & Muhammedani, cum de generatione Filii Dei diſputant. 2. *Cùm Myſteriis fidei nullum iidem locum relinquunt, quòd cum cauſis & Principiis Phyſicis componere ea non ſemper valent.* Vnde turpiſſimus de mortalitate animæ Veterum & recentiorum error. Vide Voët. l. c. p. 197. 198. de Pomponatio.

3. *Cùm in ſola rerum naturalium contemplatione ſubſiſtimus*, nec ad Creatorem ipſum aſſurgimus. Hæc ferè veterum plerorúmque Philoſophia fuit naturalis.

F. *Mathematica* porrò limites ſuos ſuperbè tranſit. 1. Cùm ab aſtris non tantùm rerum naturalium, ſed ſupernaturalium etiam eventus ſuſpenditur. *Ob hanc divinandi, nugandique temeritatem atque impudentiam, Aſtrologia artium vetuſtiſſima, pluſquam coniecturalis & commentitia à veteribus* exploſa eſt; ait *Levin. Lemnius* lib. de Aſtrol. [quem Genethliacis, & Aſtronomiæ judiciariæ oppoſuit. 2. Cùm quantitati magicæ quædam vis tribuitur, quod Iudæi facere ſolent, Papiſtæ, & infrunita Magorum fex.

G. *Metaphyſica* denique, præ cæteris Philoſophiæ partibus, criſtas erigit, 1. quando res quæ ad forum propriè ſpectant Theologicum, ſuas ſibi facit: ut ſunt capita de Deo Trino, item de Decretis Dei, operibus ejus ſupernaturalibus, quorum tractatio ad Theologos propriè ſpectat. 2. Cùm multas, vanas, inutiles, & curioſas movet quæſtiones, quibus, rerum neceſſariarum magis cognitio involvitur & impeditur. Has ſi cui volupe ſit guſtare delicias, *Binderi* adeat Theol. Schol. p. 24. *Voët.* diſp. de Theol. Schol. p. 24. *Anal.* P. I. p. 16. 3. Cùm de quavis materia Academicorum more in utramque partem diſputatur, ita ut nihil certi ſtatui poſſit. 4. Cùm frivolis, obſcuris & ab omni Latinitate alieniſſimis diſtinctiunculis, in otioſorum hominum cerebro natis, ingenia fatigantur, certiſſima ſpe ſolutionis omnium, quæ quidem occurrere poſſent, difficultatum. Hic verò Scho-

Scholaſticorum ſenticeta immane quantum luxuriant. Eraſmus teſtatur, *ſe magni nominis nôſſe Theologum, qui negitaret, novem annos barbaris Scholaſticorum terminis intelligendis ſufficere, quos ſubtilis Doctor in præfationem Magiſtri commentatus ſit.* Specimina habet *Binder*. Theol. Schol. pag.47. Quæ quidem cauſa eſt, quòd ipſi quoque Pontificii, ut videre eſt apud *Voët*. diſput. de Theol. Schol. pag. 25. & in *Anal.* noſtris P. 1. p. 14.15. hanc Theologiam acriter flagellârint; Reformati verò Chriſtianorum Collegiis eliminandam potiùs, quàm publicè tradendam voluerint. Vide *Alting*. Theol. problem. l. 1. probl. 13. *Sixtin. Amam.* Orat. de Barbar. *Voët*. diſp. cit. p. 24. *Druſ.* Præterit. N. T. 1. p. 389.

Et certè, magna ſemper Theologorum noſtrorum cura fuit & ſolicitudo, ne inſano quorundam pruritu, ſtudia hæc, cum præſentiſſimo ſimplicitatis Apoſtolicæ damno, quibus abrogandis tantam majores noſtri impenderunt operam, poſtliminio revocarentur. Vnde *VValæus*, Orat. de ſtudio Theol. inſtituendo: *Quantum damni decreta Ariſtotelis cum divinis dogmatibus conjuncta dederint Eccleſiis, Scholaſtica Theologia abundè docet, à qua primi illi Reformatores ea, cum magna laude purgârunt. Videndum itaque etiam atque etiam, ne in idem vitium denuò relabamur.* Non negamus, aliquid etiam ad ſolidioris Theologiæ notitiam conferre Scholaſticorum ſcripta, quorum lectio, ſi ordine, quem præſcribit *Binderus* l. c. c. 3. adhibitis ſubſidiis, de quibus *Voët*. Bibl. l. 2. c. 6. ſuſcipiatur, ſuum omnino etiam habet, uſum, eúmque varium, quem pleniùs oſtendere inſtituti noſtri non eſt. Videatur *Voët*. diſp. de Theol. Scholaſt. p. 26. *Keckerm.* gymn. Log. lib. 1. p. 30. & dein. præſertim p. 35. ubi & alii, qui ſuum Scholaſticæ Theologiæ deberi adhuc locum, citantur. Conſtantiſſimè tamen, contra Theologos Pontificios *Gregor. de Valent.* Diſp. 1. q. 1. Puncto. 2. *Poſſevin.* Bibl. lib. 3. c. 3. 5. *Melchior Can.* & alios tenemus, Theologiam illam nec in Scholis retinendam eſſe, nec genuinam, nec integram (vide ὀδηγȣ̃ P. III. p. 226.) eſſe Theologiam.

X. Actum

X. Actum eſt de Philoſophia *Exulante & Superbiente*, reſtat *Ancillans.*

XI. Philoſophiæ *ancillantis* nomine Syſtema intelligimus artium & diſciplinarum, à ſuperioribus facultatibus diſtinctarum, quæ vel omnes conjunctim, vel ſingulæ ſeparatim uſui Theologico variè accommodantur.

XII. Univerſa Philoſophia Theologiæ ancillatur multifariam.

1. Primùm enim *Philoſophia* ſobria, & defæcata, compendioſa eſt & neceſſaria ad altiora capeſſenda ſtudia ἐποπτικά. Qua de re doctiſſimè ſcripſit *R. Maim.* More Nev. l. 1. c. 34. toto, ubi de 5. cauſis agit propter quas in diſcendo vel docendo non ſit incipiendum à ſapientia divina. Recitabimus quædam tantùm verba ex contextu originali in φιλεβραίων gratiam. ואנת
תעלם אן הדה אלאמור מרתבטה בעצהא
בבעץ ודלך אן ליס פי אלוגוד עיר אללה תעאלי
ומצנועאתה כלהא והי כל מא אשתמל עליה
אלוגוד מן דונה וליס תם טריק לאדראכה
אלא מן מצנועאתה והי אלדאלה עלי וגודה ועלי
מא ינבעי אן יעתקד פיה אעני מא יוגב לה אן
יסלב ענה ולזם אדא צרורה אעתבאר
אלמוגודאת כלהא עלי מא הי עליה התי נתכד
מן כל פן ופן מקדמאת הקיקיה יקיניה תנפענא
פי מבאחתנא אלאלאהיה פכם מקדמה תוכד
זמ

מן טביעה אלאעראד ומן כואץ אלאשכאל
אלהנדסיה נסתדל מנהא עלי אמור ננפיהא
ענהא תעאלי וידלנא ופיהא עלי גמלה מעאני
אמא אלהיאה אלפלכיה ואלעלם אלטביעי
פמא אראה אלאמר פי דלך ישכך עליך אנהא
אמור צרוריה פי אדראך נסבה אלעאלם
לתדביר אללה כיף הי עלי אלחקיקה לא בחסב
אלכילאת ותם אמור כתירה נטרידה ואן נתכר
מנהא מקדמאת להדא אלעלם לכונהא תרוץ
אלדהן ותחצל לה מלכה אלאסתדלאל ומערפה
אלחק באלאמור אלדאתיה לה ותזיל אלתשויש
אלמוגוד באכתר אדהאן אלנאטרין מן אלתבאס
אלאמור אלערציה באלדאתיה ומא יחדת
בסבב דלך מן פסאד אלארא מצאף אוצא אלי
תצור תלך אלאמור עלי מא הי עליה ואן לם
תכן אצלא פי אלעלם אלאלאה ולא תכלוא
איצא מן מנאפע אכרי אמור מוצלה לדלך אלעלם
פלאבד צרורה למן אראד אלכמאל אלאנסאני
מן אלאתיאץ אולא פי צנאעה אלמנטק תם
פי אלריאציאת עלי תרתיב תם פי אלטביעיאת
ובעד דלך פי אלאלאהיאת, id eſt, *Noſti autem, hæc ſibi quaſi connexa (aliis alia ſubordinata) eſſe. Omnia enim quæ exiſtunt, aut Deus ſunt aut opera eius, quæ ſunt omnia ea, quæ, præter Deum, exiſtentiam eius probant. Neque enim alia via eſt cognoſcendi eum, niſi*

[illegible].

ex eius operibus, quæ monſtrant & eſſentiam eius, & quæ de eo credi, hoc eſt, vel affirmari vel negari debeant. Unde & neceſſariò ſequitur, probè exploranda eſſe & cognoſcenda Entia omnia, quomodo nempe ſe habeant, ita ut ex qualibet ſpecie deſumamus principia vera & recta, quæ inſerviant nobis in inveſtigatione rerum divinarum. Et quot principia deſumuntur ex natura Numeri (id eſt, Arithmetica) *& ex proprietatibus Figurarum Geometricarum, unde diſcamus quæ removenda ſint à Deo Opt. Max. quarum rerum notitia alia nos docet? Aſtronomiæ & Phyſicæ notitiam quod attinet, non video cauſam, cur de iis dubitare poſſis: ſunt enim res neceſſariæ, ad cognitionem conſtitutionis mundi ſecundùm Providentiam Dei, quomodo illa verè ſit, non autem φαινομένως tantùm. Sunt porrò multæ res* (Scientiæ, *ut Logica & Metaphyſica) ſpeculativæ, unde etſi non deſumamus principia ad rerum illarum notitiam, intellectum tamen exercent, & habitum ipſi comparant faciendi demonſtrationes, & cognitionem veritatis rerum Eſſentialium, & removent confuſionem, quæ occurrit in multis opinionibus Theoreticorum, ne confundantur res accidentales, cum Eſſentialibus, & quæ propterea oriuntur opiniones perverſæ aliæ. Cui accedit, quòd ad formalem rerum notitiam, prout in ſe ſunt, hominem deducant. Et quamvis hæc non ſint fundamenta ſcientiæ divinæ* (Theologiæ) *non tamen aliis ſuis utilitatibus deſtituuntur, in rebus, quæ proximè ad ſcientiam illam accedunt. Neque enim aliter fieri poteſt, quin, qui ad perfectionem aſpirat humanam, inſtituendus primò ſit in arte Logica, deinde ordine in diſciplinis Mathematicis, poſtea in Phyſicis, & tandem in Theologicis.* Et præfat. ad Rabbi Ioſephum, breviùs. לא יחצל הלך אלעלם אלאלאהי אלא בעד אלעלם אלטביעי. *Non acquiritur ſapientia divina, niſi poſt ſcientiam naturalem:* Ratio: אד אלעלם אלטביעי מתאכר ללעלם אלאלאהי ומתקדם בזמאן אלתעלים מתרתב.

quia

quia ſcientia Phyſica contigua eſt (aliud Exempl. legit: *ordinata eſt*) *ſcientiæ divinæ, eámque doctrinæ ordine præcedit.* Et quamvis Chriſtiani Patres Philoſophiæ ſubſidium in Theologo ἁπλῶς non requiſiverint, ejus tamen ἐκ περιουσίας non contemnendum agnoverunt uſum. Clem. *Alexandrinus* lib. 1. Αὐτοτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὴν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα καὶ σοφία τοῦ θεοῦ. Προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ ἑλληνικὴ οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδύνατον παρέχουσα τὴν κατ' αὐτὲς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλάς, φραγμὸς οἰκείως εἴρηται καὶ θρίγκος εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος. *In ſe ipſa igitur perfecta & nullius alterius indiga eſt Servatoris noſtri doctrina, cùm ſit virtus & ſapientia Dei. Græcanica autem Philoſophia accedens, non quidem potentiorem efficit veritatem, ſed inefficacem faciens conatum ſophiſticum adverſus illam, & repellens ſubdolas inſidias, quæ veritati tenduntur, ſepes rectè & propugnaculum vineæ dicta eſt.* Simili etiam eleganti naturam utriusq; exprimit: Καὶ ἡ μὲν, ὡς ἄρτος, ἀναγκαία πρὸς τὸ ζῆν, ἡ κατὰ τὴν πίστιν ἀλήθεια. Ἡ προπαιδεία δὲ προσοψήματι ἔοικεν καὶ τραγήματι. Δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον κατὰ τὸν Θηβαῖον Πίνδαρον, id eſt, *Fidei veritas eſt neceſſaria ad vitam ut panis: diſciplina autem præcedens obſonio ſimilis eſt & bellariis, quæ, ut Thebanus ille Pindarus ait, finiente cœna ſuavia ſunt.* Plura vide Rat. *Vedel.* l. 2. c. 15.

2. *Eſt Philoſophia quædam cos,* quæ hominis ingenium acuit & excitat, atque ad prælia Domini feliciter contra hæreticos, in Sophiſtarum ſpinetis deliteſcentes, gerenda reddit aptos. Oſtendunt Scholæ Philoſophicæ futuræ palæſtræ præludia quædam & non contemnenda progymnaſmata.

3. *Præbet Philoſophia teſtimonium conſenſus,* in ijs quæ naturæ quidem lumine nota ſunt, ſed fuſius, certius & ſalubrius in S. Scriptura proponuntur. Plenus eſt ejusmodi rerum totus Codex ſacer, Pſalterium præſertim, Iobus & Eccleſiaſtes, quorum explicationi exacta Philoſophiæ, naturalis cumprimis, notitia plurimum inſervit.

Ipſi

Ipſi certè Hebræorum Doctores,ſtudijs Philoſophicis minus aliàs addicti,ſuo ſatis probârunt exemplo,quàm ſit incerta Iobi explicatio,absque naturalis Philoſophiæ ſubſidio. Vide Comm.*R.Levi,ben Gerſon*,Aben Eſræ, &c. Confer.Logic.*Scheibl*.Tract. de Philoſ. p.89. Vnde *Origenes* ſuper Gen.c.26.p.m.23.a.*Qui tres (ut ego arbitror) imaginem totius Philoſophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes dividitur: Logicam, Phyſicam, Ethicam: id eſt, rationalem, naturalem & moralem. Rationalis eſt illa, quæ Deum Patrem omnium, confitetur, ut eſt Abimelech. Naturalis illa eſt, quæ fixa eſt & tenet omnia velut natura ipſius viribus nitens, quam profitetur Ochozah, qui dicitur tenens. Moralis eſt, quæ in ore eſt omnium, & ad omnes pertinet, & pro communi ſimilitudine præceptorum in omnium ore verſatur, quam deſignat iſte Phicol, qui os omnium interpretatur.* Hic Philoſophiæ uſus arma nobis ſuppeditat contra atheos. Ita enim pugnatum contra eos fuiſſe, & olim, & nunc, probat prolixus ille telam hanc texentium Catalogus, quam exhibet *Gisb.Voët*. diſp.de Atheiſmo pag.173. & 211. & in *Bibl*. lib.2. p. 541. *Merſennum* aliis præfert in κατασκευῇ, quæ omnibus Philoſophiæ partibus Atheiſmum validiſſimè arietat.

4. *Operam etiam ſuam locat Philoſophia Theologiæ in elencho contra hæreticos*, qui, ut antecedente diſputatione probatum eſt, Chriſtianiſmum impiis veterum Philoſophorum placitis collutulârunt. Vnde *Tertullianus* lib.de anima c.23.ait: *Cùm igitur huiusmodi argumenta inſinuentur à Platone, quæ hæretici mutuantur, ſatis hæreticos repercutiam, ſi argumenta Platonis elidam.*

5. Eſt & *medium Philoſophia, Gentilium partim convincendorum, partim etiam ad fidem Chriſti præparandorum.* Vbi tamen notandum. A. Quòd, etſi Philoſophia tum vanitatis Gentiles convincat, *Rom*. 1. v. 20.21. tum etiam ad Chriſtianiſmi ſacra facilius inſtillanda medium ſit, *Act*.c.16.v.14. 15.16. & c.17.v.22. non tamen cenſeri illa poſſit, ejusdem ingenerandi organum.

quia ſcientia Phyſica contigua eſt (aliud Exempl. legit; ordinata eſt) *ſcientia divina, eámque doctrina ordine præcedit.* Et quamvis Chriſtiani Patres Philoſophiæ ſubſidium in Theologo ἁπλῶς non requiſiverint, ejus tamen ἐκ περιουσίας non contemnendum agnoverunt uſum. Clem. *Alexandrinus* lib. 1. Αὐτοτελὴς μὲν οὖν καὶ ἀπροσδεὴς ἡ κατὰ τὴν σωτῆρα διδασκαλία, δύναμις οὖσα καὶ σοφία τοῦ θεοῦ. Προσιοῦσα δὲ φιλοσοφία ἡ ἑλληνικὴ οὐ δυνατωτέραν ποιεῖ τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἀδυνάτον, παρέχουσα τὴν κατ' αὐτοὺς σοφιστικὴν ἐπιχείρησιν, καὶ διακρουομένη τὰς δολερὰς κατὰ τῆς ἀληθείας ἐπιβουλάς, φραγμὸς οἰκείως εἴρηται καὶ θριγκὸς εἶναι τοῦ ἀμπελῶνος. *In ſe ipſa igitur perfecta & nullius alterius indiga eſt Servatoris noſtri doctrina, cùm ſit virtus & ſapientia Dei. Græcanica autem Philoſophia accedens, non quidem potentiorem efficit veritatem, ſed inefficacem faciens conatum ſophiſticum adverſus illam, & repellens ſubdolas inſidias, quæ veritati tenduntur, ſepes rectè & propugnaculum vineæ dicta eſt.* Simili etiam eleganti naturam utriusq; exprimit: Καὶ ἡ μὲν, ὡς ἄρτος, ἀναγκαία πρὸς τὸ ζῆν, ἡ κατὰ τὴν πίστιν ἀλήθεια. Ἡ προπαιδεία δὲ προσοψήματι ἔοικεν καὶ τραγήματι. Δείπνου δὲ λήγοντος γλυκὺ τρωγάλιον κατὰ τὸν Θηβαῖον Πίνδαρον, id eſt, *Fidei veritas eſt neceſſaria ad vitam ut panis: diſciplina autem præcedens obſonio ſimilis eſt & bellariis, quæ, ut Thebanus ille Pindarus ait, finiente cœna ſuavia ſunt.* Plura vide Rat. *Vedel.* l. 2. c. 15.

2. *Eſt Philoſophia quædam cos,* quæ hominis ingenium acuit & excitat, atque ad prælia Domini feliciter contra hæreticos, in Sophiſtarum ſpinetis deliteſcentes, gerenda reddit aptos. Oſtendunt Scholæ Philoſophicæ futuræ palæſtræ præludia quædam & non contemnenda progymnaſmata.

3. *Præbet Philoſophia teſtimonium conſenſus,* in ijs quæ naturæ quidem lumine nota ſunt, ſed fuſius, certius & ſalubrius in S. Scriptura proponuntur. Plenus eſt ejusmodi rerum totus Codex ſacer, Pſalterium præſertim, Iobus & Eccleſiaſtes, quorum explicationi exacta Philoſophiæ, naturalis cumprimis, notitia plurimum inſervit.

Ipſi

Ipſi certè Hebræorum Doctores,ſtudijs Philoſophicis minus aliâs addicti,ſuo ſatis probârunt exemplo,quàm ſit incerta Iobi explicatio,absque naturalis Philoſophiæ ſubſidio. Vide Comm.*R.Levi,ben Gerſon,*Aben Eſræ, &c. Confer.Logic.*Scheibl.*Tract. de Philoſ. p.89. Vnde *Origenes* ſuper Gen.c.26.p.m.23.a.*Qui tres* (*ut ego arbitror*) *imaginem totius Philoſophiæ tenent, quæ apud eos in tres partes dividitur: Logicam, Phyſicam, Ethicam: id eſt, rationalem, naturalem & moralem. Rationalis eſt illa, quæ Deum Patrem omnium, confitetur, ut eſt Abimelech. Naturalis illa eſt, quæ fixa eſt & tenet omnia velut natura ipſius viribus nitens, quam profitetur Ochozah, qui dicitur tenens. Moralis eſt, quæ in ore eſt omnium, & ad omnes pertinet, & pro communi ſimilitudine præceptorum in omnium ore verſatur, quam deſignat iſte Phicol, qui os omnium interpretatur.* Hic Philoſophiæ uſus arma nobis ſuppeditat contra atheos. Ita enim pugnatum contra eos fuiſſe, & olim, & nunc, probat prolixus ille telam hanc texentium Catalogus, quam exhibet *Gisb.Voët.* diſp.de Atheiſmo pag.173: & 211. & in *Bibl.* lib.2. p. 541. *Merſennum* aliis præfert in κατα-σκευῇ, quæ omnibus Philoſophiæ partibus Atheiſmum validiſſimè arietat.

4. *Operam etiam ſuam locat Philoſophia Theologiæ in elencho contra hæreticos,* qui, ut antecedente diſputatione probatum eſt, Chriſtianiſmum impiis veterum Philoſophorum placitis collutulârunt. Vnde *Tertullianus* lib.de anima c.23.ait: *Cùm igitur huiusmodi argumenta inſinuentur à Platone, quæ hæretici mutuantur, ſatis hæreticos repercutiam, ſi argumenta Platonis elidam.*

5. Eſt & *medium Philoſophia, Gentilium partim convincendorum, partim etiam ad fidem Chriſti præparandorum.* Vbi tamen notandum. A. Quòd, etſi Philoſophia tum vanitatis Gentiles convincat, *Rom.* 1. v. 20.21. tum etiam ad Chriſtianiſmi ſacra facilius inſtillanda medium ſit, *Act.*c.16.v.14. 15.16. & c.17. v. 22. non tamen cenſeri illa poſſit, ejusdem ingenerandi organum.

Fidei enim hoc debetur, adeóque Evangelio; non verò Philoſophiæ.

B. Non fidiculis eum extorquendum eſſe, in Chriſtianiſmi ſubſidium, Philoſophis ſenſum, de quo ipſi nunquam cogitârunt. Nævum hunc tangit *Ioh. Baptiſta Criſpius* in præfat. Oper. de Ethnicis Philoſoph. cautè legendis: *Videmus*, inquit, *Platonis verborum ac ſententiarum talem interpretandi uſum, atque ita religiosè à quibusdam fuiſſe obſervatum, ut nihil ab eo (eſto quantumvis exorbitans) dictum ſit, quod Allegoriarum machinis ad rectum ſenſum non perducatur. Et (ſi Deo placet) ad Evangelii ſententiam non pertractum fuerit. Sin verò falſa protulerit & in figmentis (ut ſolet) evanuerit. Proh pudor! quo non penetrant, quid non excogitant illi, quo, nedum Allegoricis, verùm etiam anagogicis ſenſibus, Platonis myſteria interpretentur. Si denique, vel impudenter Platonem lapſum conſpiciant, cave putes tale quidquam de Præceptore illos confiteri. Atque utinam Chriſtianorum plerique Platonem tanquam Moſen Atticum non venerarentur!* Et certè fuit hic communis veterum error. *Iuſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Euſeb.* lib. de Præp. Evangel. *Theodoretus*, & alii, Platonis, Homeri cæterorúmque virorum in Gentiliſmo magnorum authoritate probare conati ſunt, nihil, vel in ipſo Trinitatis myſterio tam eſſe abſtruſum, cui rationis dictamen, & culta Philoſophia ſuum non addat ſuffragium. Vnde factum, ut clariora Gentilium vates, quàm vel Prophetæ vel Apoſtoli de Trinitate ediderint teſtimonia. Fatemur quidem, cum Cl. *VVal.* l. comm. pag. 316. nihil facilè contrà afferri poſſe ab humana ratione, quod diſcuti nequeat, negamus tamen tantam depravatæ naturæ noſtræ lucem. Qua de re Clariſſ. *Alting*. Theol. Prob. l. 3. Problem. 27. Sed & cætera Gentilium ſacra quàm ſtudioſè οἱ ἀλληγορικευταὶ ad fontes ſacros detorſerint, habes in Quæſt. Rom. *Boxhorn*. pag. 62. & deinc. Diet. Diatr. pag. 118. & 125. Quamvis non inficier, ſtercora ſua Diabolum, veterum Iudæorum & Chriſtianorum inſtitutis condire niſum

niſum fuiſſe. Vide *Analect*. P. 1. pag. 259. Atque hæc ipſa curioſitas magnæ fuit Chriſtianiſmo fraudi. *Primò* enim Sociniani ridere cœperunt Chriſtianos,quaſi non aliud doctrinæ ſuæ de Trinitate haberent fundamentum, quàm Platonis, Iamblichi, aut aliorum Philoſophorum authoritatem. Nam in ea commentatione,quâ, à morte patrui Cœlii Socini prima errorum ſemina ſparſerat Fauſtus, aſſerere haud dubitavit,doctrinam de S. S. Trinitate è ſcriptis Platonis,Mercurii Triſmegiſti, & Iamblichi originem duxiſſe. *Eandem* (abſit blaſphemia verbis repetitis) *in miris quibusdam figmentis, lubricisque ſubtilitatibus homine Chriſtiano indigniſſimis & portentoſis opinionibus non S. literis modò adverſis, ſed etiam ſibi ipſis non conſtantibus, imò magna ex parte ridiculis longè abſurdiſſimis conſiſtere in Platonis dogmatibus, & in mirabilibus Sophismatibus unicè occupatam:* in c. 1. Ioh.

Deinde & Muhammedani, ex quo tempore Philoſophica tractare cœperunt ſtudia, ſimilia illa, & reliquas ex natura petitas,ad Trinitatis demonſtrationem,rationes, ita nonnunquam argutè impugnârunt,ut non dubitem, quin hic periculoſiſſimus ſit offenſionis lapis, qui à Chriſtianorum eos ſacris arceat. Blandiuntur ſibi, & dum Chriſtianis alia parata eſſe arma gratis fingunt, omnem in iis retundendis movent lapidem. Poſſem, ſi hoc jam ageretur, pleniùs, huic tractationi ex c. 15. & deinc. Compendii Theologici Arabici Mſc. *Pauli Antiocheni*, Epiſcopi Sidonii; & oppoſitis ei *Ahmedis Ibn Edris* contra Trinitatem rationibus, p. 158. 221. allatis inſiſtere. Quod certè illi deinceps notabunt, qui impiis planè, blaſphemis & à ſcenicis perſonis petitis larvis μυστηριωδέστατον illud μυστήριον in præſentiſſimum Sabellianiſmi inducunt diſcrimen.

6. Fideliſſimè *verò Philoſophia Theologiæ ancillatur in tractatione Quæſtionum mixtarum*, ut vocari ſolent (à *Kekermanno, Alſtedio, Meiſnero* in Ration. Theol. *Vedel*. p. 84. *Alting* Theol. Probl. l. 1. prob. 10.) quæſtiones illæ duobus conſtantes terminis, quorum

alter Philoſophicus eſt, alter Theologicus: quamvis mixtionis vocabulum non uſque adeò probet *Vedelius* loc. cit. propterea quòd termini ejusmodi Philoſophiæ non ſint proprii, ſed Theologiæ & Philoſophiæ comũnes. Mavult igitur, cum *Gerhardo*, duo genera eſſe quæſtionum: *quasdam concernere ſumma fidei myſteria, ſupra omnem captum humanæ rationis poſita, tales eſſe de Myſterio Trinitatis, Incarnationis, Reſurrectionis. Quasdam verò ita comparatas eſſe, ut ad aliqualem earum notitiam intellectus humanus aſſurgere poſſit per* κοινὰς ἐννοίας, *& diſcurſum, ex inſpectione creaturarum, deductum, utpote; Deum eſſe, eſſe ipſum bonum, iuſtum, ac ſcelerum vindicem.* A priori diviſione quæſtionum animus noſter planè non abhorret. Cur enim illi termini mixti dicendi non ſint, quorum alii, ſi materiale ſpectes, ad Phyſicam neceſſariò & primariò pertinent, Metaphyſicam, Ethicam, Mathematicam, alii ad Theologiam? Sunt quidem termini illi non rarò fidei & naturæ, communes; non tamen ſemper. Id ipſum largitur nobis Cl. *Vedelius* l.c.pag.88. *Quæſtiones aliæ conſtant ex terminis, qui tantùm ſunt Scripturæ; aliæ quæ conſtant ex uno termino Scripturæ, altero rationis ſeu naturæ. Rurſus terminus, qui aut naturæ eſt tantùm, aut naturæ & Scripturæ ſimul.* Nonne ergo quæſtio, quæ geminum habet terminum, alterum naturæ tantùm, & alterum Scripturæ tantùm, mixtionis alicujus admittat nomenclaturam?

Hinc jam emergit Quæſtio: *An ipſa etiam ratio humana Principium ſit Religionis Chriſtianæ? Sociniani* eò progrediuntur, ut audacter aſſerant: *Sola ratione diiudicari poſſibilitatem & impoſſibilitatem articulorum fidei; non eſſe credenda, quæ menti impoſſibilia videntur, ſummam religionem eſſe rationem.* Cui quidem errori monſtroſiſſimo ſe oppoſuerunt *Vedel.* Coll. *Theol.* Diſp.1.pag.6. *Voët.* l.1.diſp.Select.Diſp.1. Palmaria verò hujus loci controverſia eſt: *Nonne ipſa etiam Philoſophia Organum quoddam ſit, quo diſcernimus verum à falſo, conſequens ab inconſequente, certum ab incerto?*

Hunc

Hunc Philoſophiæ uſum tollunt I. *Pontificij*, qui non modò convitiis Reformatos ubique onerant, quaſi judicium rationi tribuerent in controverſiis fidei, vide Ration. *Vedel.* pag. 53. & deinceps; ſed & iniquè omnem conſequentiarum nexum tollunt. Contendunt à noſtris, Papiſmum expreſſis tantùm Scripturæ verbis refutari debere. Fuit hoc εὕρημα Ieſuitæ *Gunteri* in Colloquio Durlacenſi, anno Chriſti 1612. non tam habito, quàm tentato: alii *Perronio* Cardinali initium tribuunt: perfecerunt Pandoram illam Ieſuitæ in Gallia, *Verronius* præſertim, homo ad dicendum magis, quàm diſputandum natus. Vide Ration. *Vedel.* l.c.p.28.29. & *Voët.* diſp. pag. 6.

II. Reformati illi, de quibus *Vedel.* l.c.p.52.88.

III. *Photiniani*, referente *Stegmanno*, Viro doctiſſimò in Photinianiſmo diſp. 2.q.5. *Quæritur*, inquit, *an omnes articuli fidei literaliter extent in Scriptura, aut etiam aliqui eorum ſint, qui tantùm per conſequentiam deduci inde opus habeant? Prius aſſerunt Photiniani, & quidem ex ea ratione, quòd illum in finem potiſſimùm conſcripta ſint ſacra litera, ut quid neceſſarium ſit ad ſalutem omnibus & ſingulis expreſsè conſtaret, ſicut loquitur Smalcius* in refut. Diſput. Graveri de Sp. S.

IV. Veteres etiam *Ariani* aliique hæretici iisdem contra Catholicos pugnârunt armis. Rejiciebant Ariani doctrinam Catholicam de ὁμοουσίῳ, quod totidem ſyllabis & literis vox hæc in Scripturis non contineretur, teſte *Athanaſio* Epiſt. de decret. Syn. Nic. pag. 400. Διεγόγγυζον κατὰ τοὺς Ἰουδαίους λέγοντες, διὰ τί οἱ ἐν τῇ Νικαίᾳ συνελθόντες ἔγραψαν ἀγράφους λέξεις τὸ ἐκ τῆς οὐσίας, καὶ τὸ ὁμοούσιον. De *Donatiſtis*, *Apollinariſtis*, *Monophyſitis* eandem recoquentibus crambem, his præſertim, qui aſſerebant μήτε τὸ ἀκόλουθον τῶν λεγομένων σκοπεῖν; videatur Ration. *Vedel.* pag. 62.

Reformatorum ſententia eſt; *Principiis rationis, ſeu naturæ in argumentis Theologicis uti eſſe licitum.* Vt autem pleniùs & planiùs aſſequaris, quibus & quatenus Principiis naturæ in Diſputationibus Theologicis uti

 liceat,

liceat, ſciendum, I. Principiorum nomine axiomata nos intelligere, non tam Philoſophorum acumine elaborata; quàm divinitus naturæ inſculpta, ipſóque deinceps etiam Scripturæ lumine illuſtrata, quæ *Petrus* Epiſt. 2. c. 1. εἰλικρινῆ διάνοιαν appellat, quæque naturæ Principia, alio notionum ſecundarum Schemate veſtita, Philoſophus producit. Principia hæc vel *univerſalia* ſunt, ut: *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: *Non Entis nulla ſunt affectiones*, *&c.* vel *particularia*, quorum quædam rebus tantùm *corporeis* competunt, quædam *incorporeis*. *Corporeis*, ut; *una numero Eſſentia non poteſt eſſe trium*. *Incorporeis* propria, iterum ſunt duorum generum, vel enim ſunt *communia* omni omninò Spiritui tam increato, quàm creato, ut: *nullus Spiritus carnem & oſſa habet*: vel ſunt propria, eáque aut Spiritui *creato*, aut *increato*, hoc eſt Deo. *Creato*, ut; *Spiritus hominis non eſt Deus*: *Increato*, ut ſunt omnia axiomata, ſeu Principia naturæ de Deo nota: ceù; *neceſſe eſt dari Eſſentiam unam, primam, æternam*. Quod ad Principia *communiſſima* attinet, uti iis licet, imò neceſſum eſt in diſputationibus Theologicis, non ſolùm, ubi de rebus corporeis quæſtio eſt, ſed etiam incorporeis. Alia autem ratio obtinet in poſterioris generis axiomatibus. *Particularia* enim ea, quæ rebus corporeis propria ſunt, adhibere licet in confirmando & confutando, ſed tum demum, cùm quæſtio eſt de rebus corporeis. Vbi verò controverſia agitatur de incorporeis, tum illis uti non licet, niſi ſobriè valdè & cautè. Ea verò Principia, quæ ſpiritui omni communia ſunt, rectè adhibentur tam in κατασκευῇ, quàm ἀνασκευῇ, in quæſtione de quocunque ſpiritu; quæ autem propria ſunt, non adhiberi poſſunt in confirmando aut convellendo, niſi in problemate, cui propria ſunt. II. Quoties Theologicè aliquid proponitur, medius terminus ex verbo Dei, quod ſolum eſt fundamentum ac principium rerum credendarum, petendus eſt. Sit, verbi cauſa, quæſtio, *an Chriſti corpori conveniat* πολυτοπία, vel πανταχουσία. Negant illud Eccleſiæ Orthodoxæ, hoc modo, *quia habeat*

beat verum corpus naturale. Vnde talis emergit Syllogiſmus:

Qui verum corpus habet naturale, ei, ſecundùm corpus illud πολυτοπία, eodem tempore, non convenit.

Atqui Chriſtus habet verum corpus naturale.

Ergo, &c.

Quòd ſi jam adverſarius neget, rectè nos medium terminum cum minore connexuiſſe, & ſic aſſumtionem ſyllogiſmi perfecti non agnoſcat, probanda eſt iſta connexio ex Verbo Dei, ex quo proclive eſt oſtendere, *Chriſtum habere verum corpus naturale*: ſin autem neget, rectè connexum eſſe medium terminum cum majore, oſtendenda eſt veritas connexionis ex lumine naturæ, principijs rationis, & regulis conſequentiarum, de quibus poſtea. Omnino ergo Reformati, Patres ſecuti (vide Rat. *Vedel.* p.298. 367.) Principijs naturæ judicium deferunt, non quidem deciſionis; quod ſolius Sacræ Scripturæ eſt; ſed diſcretionis tantùm.

Quæritur autem porrò I. *Liceatne in tanta literarum & literatorum luce, Philoſophorúmque Chriſtianorum frequentia Philoſophiam petere ex Ethnicorum libris?* Aff. Rationes ſunt 1. ἔντεχνοι. a. Quia Philoſophia eſt donum naturale, Gentilibus & Chriſtianis non modò commune; Sed ita à Gentilibus excultum, ut ipſis etiam Chriſtianis palmam ſæpe præripuerint. Non ergo Philoſophiam magis pudebit ab Ariſtotele haurire, quàm ab Hippocrate aut Galeno Medicinam. b. Quia ipſa illa, quæ in Gentilium libris occurrunt ὑστερήματα, ut umbræ plenioris lucis, excitare in nobis debent animum Deo devotum, & ad χαριστήρια ferenda promptiorem. Vnde & *Guilielmus Fabricius*, Apoſtolicus & Archiducalis librorum cenſor, libros de Feſtis Græcorum Petri Caſtellani vel hoc fine imprimi juſſit, *ut etiam ex eiuſmodi ſuperſtitionum tenebris ſuam felicitatem pius agnoſcat, quòd ereptus de poteſtate tenebrarum tranſlatus ſit in lumen Dei.* Vide plura in Diat. *Diet.* p.200. c. Accedit *neceſſitas.* Neque enim deliria Gentilium facilè refu-

 tabis

tabis, niſi hypotheſes eorum explorate habeas perſpe-ctas. Scripturam ijs oppones? Eam ignorant. Vnde *Lactantius* lib.5.c.4. *Non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non executus eſt in ea Oratione, qua Demetrianum, ut ipſe ait, oblatrantem atque obſtrepentem veritati redarguere conatur: quæ materia non eſt uſus, ut debuit. Non enim Scripturæ teſtimonijs, quam ille ubique vanam, fictam, commentitiam putabat, ſed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cùm ageret contra hominem rationis ignarum, dilatis pauliſper divinis lectionibus formare hunc à principio tanquam rudem debuit, eiq; paulatim lucis principia monſtrare, ne toto lumine caligaret: nam ſicut infans ſolidi ac fortis cibi capere vim non poteſt ob ſtomachi teneritudinem, ſed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmitatis viribus veſci fortioribus poſſit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere divina, priùs humana teſtimonia offerri, id eſt, Philoſophorum & Hiſtoricorum, ut ſuis potiſſimùm refutaretur authoribus.* Idem *Originem* ſenſiſſe refert ex Euſeb. Diet. pag. 24. & *Auguſtinum Scheibl.* de Philoſoph. 100. pag. 2. Claſſis continet ἄπεχνα, ſeu teſtimonia Patrum, qui tum exemplis, tum rationibus probant, Gentilium ſcripta Philoſophica non eſſe propterea ſtudioſorum manibus excutienda, quòd hominum ſint Eccleſiæ cancellis non incluſorum. Vide *Scheibl.* l.cit. *Diet.* Diat.p.10.19.20. *Sicut enim*, verba ſunt Auguſtini lib.2.de doct.Chriſt.c.40. *Iſraelitæ idola & vaſa aurea & argentea Ægyptiorum auferunt, & ad iuſtos & Deo placentes uſus conferunt: Sic Chriſtiani Philoſophiam, & diſciplinas liberales, quæ in Ethnicorum literis extant, non eò prorſus relinquere debent, quòd Ethnici eis impiè abutebantur, ſed ad iuſtum prædicandi Evangelii uſum transferre debent.* Etſi autem Gentilium ſcripta Philoſophica è Chriſtianorum Regno proſcribenda non ſint, monemus tamen, Chriſtianorum ſtudio tantam his literis lucem eſſe conciliatam, ut ab horum potiùs, quàm illorum lectione Philoſophiæ ſtudioſi initium

tium faciant, non modò ob Methodi facilitatem, ſed & exemplorum uſum.

II. Quæritur: *An ſit inter Philoſophiam & Theologiam pugna?* vel; *An aliquid poſſit eſſe verum in Theologia, quod falſum ſit in Philoſophia, & contrà?* Circa hanc quæſtionem varia ſunt eruditorum judicia. Quidam enim ſimpliciter tenent *affirmativam:* Ita ex Pontificiis *Veronius*; ex Reformatis non pauci, qui Auguſtanam ſequuntur confeſſionem, quorum nomina habet *Vedel.* Rat. pag. 343. Alios *negare ſimpliciter* vult *Meiſnerus*, quod tamen ei *Vedel.* lib. cit. pag. 349. & deinceps non largitur. Hanc tribuunt *Reformatis*, quos Calvinianos vocant, *Samoſatenianis & Pontificiis.* Sunt, qui cùm ſe exiſtiment τὴν μέσην τέμνειν, primæ ſuffragantur, ſententiæ. Eo loco ponit *Vedelius Meiſnerum*, qui vult *diſtinguendum eſſe inter Philoſophiam ratione* ἐσίας, *& inter Philoſophiam ratione* ὑπάρξεως *conſideratam, priore modò ait, Philoſophiam nunquam contradicere Theologiæ; poſteriore autem modo eam ſæpe Theologiæ contradicere.* Examen harum propoſitionum inſtituit *Ved.* loc. cit. Sunt denique, qui certis ac firmis diſtinctionibus præmiſſis ſtatuunt, *Philoſophiam & Theologiam inter ſe non pugnare.* Ita ex Reformatis *Vrſinus* in proleg. Catech. *Keker m.* præcog. Logic. lib. 1. c. penult. & quæſtione peculiari de pugna Philoſophiæ & Theologiæ. *Goclen.* controverſ. Logic. Par. 2. cap. 8. 9. Accedunt *Helmſtadienſes, Calixtus & Horneius; Stegmannus* item, Rinthelenſis Profeſſor. Atqui horum, adeóque noſtra, ſententia eſt, *Philoſophiam abſtractivè, & per ſe, citra reſpectum, ſeu ad accidens ſeu ad ſubiectum illius ſumtam, Theologiæ non repugnare.* De Philoſophia, ratione corruptionis, aut concretivè conſiderata nulla eſt quæſtio. Ita enim evidens eſt res, Philoſophiam multa admittere, quæ forum Theologicum rejicit.

Ad exempla, quibus pugnam oſtendunt, reſpondet *Vedel.* l. 1. p. 371.

XIII. Hæc de Philoſophia *ancillante*

in genere: Ad ſpecies accedimus, initio facto à Grammatica, cujus in Theologia uſus eſt varius pro librorum, diverſis linguis ſcriptorum, varietate.

Sic, verbi gratia, Hebræa Grammatica inſervit 1. Contextui Hebræo ſolidè intelligendo. Hunc uſum commendant ſequentia virorum eruditorum Apophthegmata: *Homine Grammaticæ Hebrææ perito doctius nihil eſt. Optimus Grammaticus Hebræus, optimus Theologus. Scriptura non poteſt intelligi Theologicè, niſi priùs intelligatur Grammaticè.* 2. Decidendis controverſiis, Iudaicis cumprimis, Samoſatenianis, Pontificiis, & Anabaptiſticis. Specimen dedimus *in Anal.* P. 1. Diſſ. 5. Dici nequit, quantum, vocum Hebræarum Emphaſin probè noſſe, interſit. 3. Explicandis textibus, & premendis, ſive ad διδασκαλίαν, ſive ἐπανόρθωσιν, ſive ad παιδείαν verbis Emphaticis. Vide *Diſſert. eandem & Theſ. Philol.* pag. 145. 4. Conciliandis locis Scripturæ ἐναντιοφανέσι. 5. Sunt Rabbinorum ſcripta pleraque ſpineta, è quibus tamen ſubinde roſam aliquam eruas, cujus odorem, ne ipſe quidem averſetur Chriſtianiſmus. Sunt nempe regulæ illæ ab Hebræorum Grammaticis conſcriptæ, & conciliandis Sc. locis ſpecietenus adverſa fronte pugnantibus accommodatæ. Dedit hujus uſus luculenta ſpecimina *Theod. Hakſpanius* in Theologia Talmudica, confer. *Theſ. Phil.* pag. 248. 6. Legendis & intelligendis ſcriptis Patrum, Vide Anal. P. 1. p. 322.

De vario Grammaticæ *Chaldæo-Syriacæ* uſu nonnulla diximus tum in Compendio utriuſque nuper edito; tum in Anal. P. 1. *Introduct. ad Lect. Patrum*.

Arabicæ Grammaticæ, totiúſque adeò linguæ uſum peculiari diſſertatione oſtendimus: quæ in *Anal.* eſt P. I. Diſſ. 6.

Græca Grammatica Theologiæ ancillatur 1. In explicatione Sacræ Scripturæ, præſertim N. Teſtamenti, cujus tabulæ authenticæ Græcæ ſunt. Tantò hic illuſtrior

eſt

eſt uſus, quantò major eſt vocum Græcarum Emphaſis. Ipſi hoc viderunt Patres Græci, quibus proinde curæ ſemper fuit Emphaſin illam, ſive ad ἔλεγχον, ſive διδασκαλίαν, ſive ἐπανόρθωσιν urgere. *Chryſ.* Homil. 9. in 2. Tim. ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, οὐχ' ἁπλῶς μετέχων φησὶν, ἀλλὰ μετ' ἀκριβείας ἐξηρτισμένος, id eſt, *ut perfectus Dei ſit homo, ad omne opus bonum perfectè inſtructus, non ſimpliciter particeps dicit, ſed, cum accuratione, perfectè inſtructus.* Hanc preſſiſſe contra Pontificios quid juvet Emphaſin, habes apud *Rivet. Cath. Orth.* p. 141. 156. Confer *Anal.* P. 1. pag. 315. 316. 468. Vno verbo, quod Hebræi dicere ſolent de univerſo Codice ſacro אין בתורה אפילו אות אחת שאין ההרים גדולים תלוים בה *Non eſt in Scriptura vel unica litera, à qua non magni pendeant montes*, (quod ſic exprimit *Chryſoſt.* Homil. 21. in Geneſ. l. 1. οὐδὲ συλλαβὴ, οὐδὲ κεραία μία ἐγκειμένη παρὰ τῇ γραφῇ, ἣ μὴ πολὺς ἐναπόκειται θησαυρὸς ἐν τῷ βάθει, *neque vel ſyllaba, vel unicus apex in Scriptura eſt, in cujus profundo non ſit grandis quiſpiam theſaurus*) id cumprimis de Scriptura ex fontibus Græcis & Latinis hauſta haberi poteſt & debet. 2. In legendis & intelligendis Patrum ſcriptis. Hic verò utinam (de Syntaxi, altera Grammaticæ parte nihil movebimus) ordine ſingula vocabula, eorúmque Etymologiæ, quibus res ſacræ illuſtrantur, diligenter collecta excuterentur! Specimen dedimus ſatis prolixum in *Analect.* P. 1. Diſſert. 7.

De *Latina* Grammaticæ uſu in Theologia multa ſcribere quid attinet? 1. Experimento diſcimus, & quotidiana praxi, non tam peremptorium fuiſſe illud Platonis Ἀγεωμέτρητος οὐκ εἰσίτω, quàm neceſſarium ſit, βάρβαρος (Latinæ Linguæ ignarus, in Lycea Theologica, Philoſophica, Medica) οὐκ εἰσίτω. Latinè omnia in ſcholis traduntur, tractantur, & penè eduntur; ut fruſtra Theologiæ accuratam hoc ſeculo, Theologóque φερωνύμῳ dignam polliceri tibi poſſis absque Lingua Latina, notitiam. 2. Nemini, niſi qui hoſpes planè ſit in antiquitate,

tiquitate, non conſtat, Latium ſuos ſemper habuiſſe Doctores, quorum phraſes, voces, Idiotiſmum nôſſe, tum in Examine controverſiarum, tum etiam in hiſtoria Eccleſiaſtica, multum omnino refert. Operæ pretium etiam foret ſyllabum contexuiſſe earum vocum & phraſium, quæ præ aliis lucem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fœnerantur. Vide *Anal.* P.1. *Diſſ.*7.

XIV. Luculentus etiam in Theologia uſus eſt reliquarum diſciplinarum & artium,[a] Logicæ,[b] Rhetoricæ,[c] Ethicæ,[d] Phyſicæ,[e] Metaphyſicæ, &[f] Mathematicæ.

a Ancillatur Theologiæ Logica trifariam. 1. in διδασκαλίᾳ, ſeu explicatione terminorum ſimplicium. 2. Κατασκευῇ confirmatione doctrinæ veræ, ejuſdémque varia ad Eccleſiæ uſum applicatione. 3. Ἀνασκευῇ deſtructione falſorum dogmatum, diſputationibus vel ſolitariis, vel ſociis, facta. Sed quæritur: *An conſequentiarum etiam legibus in Theologia foro pugnandum ſit?* Aff. Fundamentum aſſertionis noſtræ tum Sacræ Literæ ſatis oſtendunt, tum praxis Apoſtolica, eandémque ſequentes Eccleſiæ primitivæ. *Illa*, dum voces adhibent argumentantium & per neceſſarias conſequentias poriſmata elicientium, ut ſunt λογίζεσθαι, κρίνειν, συγκρίνειν, δοκιμάζειν, λέγειν, ὀρθοτομεῖν, διαλέγεσθαι, συμβιβάζειν, ἐλέγχειν, ἐπίδειξις, ἀντιλέγειν, ἀπολογία. *Iſta*, dum Paulus, Apollo, aliique *validè evicerunt contra Iudæos, Ieſum eſſe Meſſiam*, quæ præ aliis demonſtrationes conſequentiarum regulas requirunt, ut iis conſtat, qui in controverſiis judaicis non hoſpites planè ſunt aut peregrini. Ipſe Chriſtus *Matth.* 22.44. hac diſputandi methodo probat, *ſe eſſe Dominum Davidis*; & v. 29. aſſerit *mortuorum reſurrectionem*, cámque dicit Scripturâ contineri, quamvis concluſio αὐτολεξεὶ ibi non appareat: Vide *Vedel.* Rat. l.2. c.6. *Huic* teſtimonium perhibent tot præclara Patrum teſtimonia, quæ recitat *Voët. Diſp.* de ratione

tione humana pag. 9. *Vedel.* Rat. pag. 62. & pag. 298. & deinc. Plura de hac quæſtione ſuggerit *Alting.* Theol. Probl. l. 2. Probl. 7. & 36. Clariſſ. *VVirzius* noſter diſput. de Logica ex Theologiæ regno non proſcribenda. Et ſanè, ſi, quod importunè nimis urgent οἱ ἐξ ἐναντίας Pontificii, conſequentiarum leges ſuſtuleris, quid tandem ſuperſtitionum Papatui ſupererit? Pridem queſtus eſt mundus, de ineptis illis aranearum telis, quibus inſana illa moles etiamnum innititur; & tamen Reformatis, ritè & rectè arma hæc tractantibus eripere conantur. Exempla abſurdiſſimarum conſequentiarum, quibus Canoniſtarum, Scholaſticorum, cæterorumque Theologorum ſcripta ſcatent, dedimus P. 1. ὁδηγοῦ pag. 198. & deinc.

b Hujus uſus eſt duplex 1. in evolvendis Tropis & Figuris. 2. In docenda & diſcenda oratoria Eccleſiaſtica. 3. In proponendis animi noſtri ſenſis, ad quæ ſi lumen accedat Rhetoricum, avidius illa ab auditore quocunque hauriuntur. Vnde *Berth. Caſſinenſis* Ἀντικειμ. l. 1. interrog. 31. *Humana doctrina eſt Grammatica ars, vel Rhetorica, vel Dialectica etiam, ex qua doctrina ad ſacrificium quidem, hoc eſt, in his, quæ de Deo ſentienda ſunt, nihil ſuſcipiendum eſt. Sermo verò lucidus & eloquentiæ* ſplendor, *ac diſputandi ratio ad miniſterium verbi divini decenter iubetur admitti.*

c Hæc Theologiæ inſervit 1. In explicatione legis naturæ, & cognoſcendo diſcrimine inter honeſtum & turpe. 2. In declaratione principiorum Naturæ. 3. In collatione virtutum moralium, & legum, tum divinarum, tum humanarum, naturæ inſtinctu traditarum, de his enim multa apud Philoſophos occurrere vel ſolus *Stobæus & Langii* Polyanthea fidem faciat.

d 1. Explicat hæc Theologiæ terminos quoſdam. 2. Rerum naturalium, quæ obviæ ubique ſunt in contextu ſacro, cognitionem illuſtrat. 3. Viam ſternit ad pleniorem Dei agnitionem, *Rom.* 1.

e Hanc juvat nôſſe 1. In Theologia *Exegetica*. Conſtat quippe multa in Contextu Sacro occurrere vocabula Me-

la Metaphyſica, cujusmodi ſunt, ὑπόστασις, ὄντως, τελειότης, τέλειος, τελέως, τελείωμαι, ὅλος, ὁλοτελής, ὁλοκληρεία, ὁλόκληρος, σημεῖον, &c, 2. In *Elenchtica*, quæ hoc præſertim tempore, terminis Metaphyſicis ubique eſt referta. Neque de Perſonarum Trinitate, neque Eſſentia divina ſcholaſticè quisquam diſſeret, ſubſidio hoc non adjutus. Controverſiam de Tranſubſtantiatione Pontificia, nemo ritè tractabit, niſi qui accidentium naturam exploratè habeat perſpectam. Sed de his pleniùs, σὺν Θεῷ, ſuo tempore.

f Habet & hæc inſignem uſum adtemporum locorúmque intervalla dignoſcenda, & terminos Aſtronomicos, qui non rarò in Contextu Sacro obveniunt, explicandos.

XV. Quemadmodum autem non [a] votis modò hunc multi reſtitutum petierunt Philoſophiæ uſum; ſed & [b] libris editis eundem non ſine fructu oſtenderunt: ita & nobis deinceps propius accedere, & ordine de Logicæ potiſſimùm & Metaphyſicæ uſu in Theologia agere, bono cum Deo, conſtitutum eſt.

a Nicol. *Vedel.* Præf. Rat. Theol. *Certè optandum eſſet, ut in omnibus Academiis Orthodoxis verus Philoſophiæ ac ſanæ rationis uſus in rebus fidei ex profeſſo & fundamento doceretur, ac præterea controverſiæ Philoſophicæ, quarum in controverſiis Theologicis cum quibuscunque adverſariis neceſſarius uſus eſt, traderentur. Quomodo enim, quæſo te, pede inoffenſo, & facili in Theologiæ curſu progredi mens tua poteſt, ſi neſciat, quomodo & quatenus locus ſibi in Theologia ſit, ac quod diſcrimen ſit falſæ & veræ rationis in uſu Theologico. Qua in re admirationem neſcio magis an commiſerationem meretur, quàm ingenioſa humana ratio in ſui iniuriam ſit, & quàm à ſe ipſa, hoc eſt à veritate Dei in natura diſſentiat!*

ſentiat! Clamat falſa ratio, principiis rationis utendum non eſſe in controverſiis Theologicis: eſſe pugnam inter Scripturam & Rationem, Theologiam ac Philoſophiam: poſſe absque rationis principiis diſputari: ejus principia in Scriptura non contineri: ei non deferendum eſſe judicium de rebus fidei, nec de Contradictione in Controverſiis Theologicis, inter alia ob eam cauſam, quòd contradictoria in Logicâ humanâ ſimul eſſe poſſint. Contendit judicium intellectus, nonniſi fallibile eſſe: & quod amplius eſt, ſi maximè certa & indubitata cum veritate aliquid ſuadeat, non tamen fidem ſibi habendam eſſe: ſe, hoc eſt rationem, non poſſe ſtabilire fidem: imò ſe eam non niſi dubiam reddere: ſibi in Theologiæ adytum pedem inferre non licère, quòd aliâs tranſitus fiat de genere in genus: quòd ſic fundamentum ac principium fidei ipſa conſtituatur: quòd mixtura Philoſophiæ & Theologiæ fiat; & turpi imitatione hæreticorum, Gentilium, Scholaſticorum veſtigia exprimantur; magiſterium ſibi in Theologiam tribuatur; & ſic fides oppugnetur. Addit; non immeritò ſe dudum à Patribus ex Theologia proſcriptam eſſe: nimium ſibi tribui dum pietas accendi, excitari, augeri per Philoſophiam dicitur, aut lumen Spiritus Sancti accendi: ſe denique fruſtra in rerum fidei ſtudio laborare; quicquid enim tandem fiat, certum tamen fidei ſuæ neminem eſſe poſſe, niſi omnia argumenta allata contra eam ſolvere queat, & plurimis, imò omnibus Scientiis ſit inſtructus. Quare etiam promptiſſimum adverſus ſe ipſam ſuggerit, ac tutiſſimum eſſe, ait, ut, ubi os ipſa aperire præſumat, absque ulla reſponſione ignominiosè dimittatur.

Hæc ratio contra ſe ipſam declamat, vario & ſubtili ſatis artificio, ac quàm plurimis ſophiſmatis munita. In quibus, ſi verè ſe accuſaret, humilitatis laudem mereretur: ſed quia falsò ſe ipſam (loquor de eo, quod ſanum in ea eſt) adeò vituperat, ut verè dicere poſſim, nullum ſtultum unquam ſe ipſum tantis convitiis, iniuriis & opprobriis inceſtâſſe, ac ſapientula hæc ratio in ſe publicè, & ſibi tanquam re bene geſta applaudens debacchatur:

tur: certè id ſtultitiæ ipſius enormis & ſuperbæ vanitatis e: identiſſimum argumentum eſt. Itaque hîc neceſſum eſt, ut bene inſtructus & præmunitus animus ſit, ac nôrit, quid de his omnibus ſit ſentiendum: ne in præceps cum ſtulta illa ac bruta ratione agaris. Facilis enim lapſus eſt in religionis negotio, ſi illam loquentem ſuſtineas, ac neſcias quid vera ac ſana ratio, hoc eſt, ipſa Dei veritas in natura plantata ac Verbo religiosè miniſtrans de illis ſentiat. Ita neminem non intelligere puto, quantopere neceſſarium foret in Scholis Chriſtianis hæc diligenter & fideliter tradi. At certum eſt, in Theologicis Auditoriis talia exactè doceri non poſſe: ibi enim de ipſis fidei Controverſiis eſt agendum, quarum hæc talia præludium, ac προθεωρία ſunt; (ut Clemens Alexandrinus de hac re loquitur) adeóque extra ſcholas Theologicas in philoſophiæ Palæſtris diſcenda veniunt antequam ad illas iuventus feſtinet. Ita demum verè, bene, & utiliter philoſopharemur; ita feliciter ac inoffenſo pede in Theologia progrederemur. Sed neſcio qua infelicitate fiat, ut vulgò exiſtiment, eam demum verè Philoſophandi rationem eſſe, qua iuventus bene per aliquot annos exercetur, argutiis illis, quibus de calore ignis & aëris, & frigiditate terræ & aquæ, & ſimilibus ſæpe nugis diſputatur. Et *Robert Baronius*, Præfat. Philoſ. Theologiæ ancill. *Cùm ante quadriennium eruditi aliquot & honeſto loco nati adoleſcentes, qui ex inferiori Germania ad uberiorem ingenii cultum capeſſendum, huc appulerant, à me magnopere contendiſſent, ut Philoſophiæ uſum in S. Theologia iis oſtenderem, & ex ſingulis Philoſophiæ partibus, in primis autem ex Metaphyſica ea excerperem & ſeligerem, quæ in controverſiis Theologicis diſcutiendis præcipuum uſum habere viderentur, placuit hoc honeſtæ & laudabili eorum petitioni concedere, & eiusmodi laborem ſuſcipere, qui ipſis mihique ipſi in S. Theologia adiumento foret & emolumento. Quia enim me totum dicaveram ſacris illis ſtudiis, quibus, ut par eſt, nihil antiquius habeo, nec habebo unquam, idcirco omnes meas Philoſophicas lucubratiunculas ad S. Theologiam,*

logiam, velut ultimum finem referebam, & ipſam Philoſophiam Dominæ ſuæ Theologiæ imperium agnoſcere, illique demiſsè ancillari volebam. Quamobrem ut pio iſtorum adoleſcentum deſiderio aliqua ex parte ſatisfacerem Metaphyſicorum & Sententiariorum volumina evolvere cœpi, & pro modulo meo explicare, ea Problemata Philoſophica, quæ ſubinde occurrunt in huius ſeculi controverſiis, & quibus hæretici ſimplicioribus fucum facere ſolent.

b Ad *Grammaticam*, Theologiæ ancillantem, pertinent libri, qui voces, Phraſes, loquendi genera Scripturæ Sacræ enarrant & explicant, ut ſunt 1. Glaſſius in Philologia Sacra. 2. Caſparus Waſerus, ὁ μακαρείτης, in Phoſphoro ſuo hactenus ἀνεκδότῳ. 3. Flacc. Illyricus in Clavi Scripturæ. 4. Piſcator in Indice Biblico. 5. Ravanellus Bibl. Sacra. 6. Abdias Prætorius Comment. de phraſibus Hebræis. Huc referri poſſunt Salmaſius de Ling. Helleniſt. Commentaria, & notæ Druſii, Sixtini Amamæ, Lud. de Dieu, Merceri in Vetus; Heinſii, Bezæ, in Novum Teſtamentum. Paſoris opuſcula Grammatico-Lexica.

Logicæ ancillantis varia habemus ſyſtemata, ut eſt Logica Theologica Alſtedii, Elenchus Hæreticorum Danæi, Sadeel de vera Methodo Theologicè ſimul & Scholaſticè diſputandi. Topica Theologica Andreæ Hyperii. Amandi Polani tractatus cum fructu legendi authores ſacros.

Rhetoricam ad uſum Theologicum applicuerunt Beumlerus, Glaſſius ſecunda Philologiæ parte, Carolus Regius in Oratore Chriſtiano: Guilelmus, Rhetoricâ divinâ & Eccleſiaſtica; Auguſtinus Valerius, Keckermannus, Polanus. Huc faciunt Eccleſiaſtes Eraſmi; Methodi concionandi Altingi, Hemmingii, Sculteti, Reneccii, Hyperii. Ex Pontificiis addimus Iohannem à Ieſu Maria Carmelitam, & Drexellium: Schematologiam item Sacræ Scripturæ Bedæ Anglo-Saxonis, & Tropologiam Bartholomæi Weſthemeri.

Ethicæ ancillantis Syſtemata ediderunt Danæus,

K Wolle-

Wollebius, ſecunda compendii Theologici parte.

Phyſica Theologiæ accommodatæ ſunt, Phyſica Danæi, Scripta Lemnii, &c. Appendix Theologica Thomæ Angli de origine Mundi ad Inſtitut. Peripat.

Methaphyſica uſum in Theologia oſtenderunt Maccovius, peculiari ſcripto de uſu terminorum Metaphyſicorum in Theologia. Baronius in Philoſophia ancillante. Alii paulò aliam hic obſervant Methodum. Eos primo ponunt loco, qui de Philoſophiæ uſu in Theologia agunt in genere, ut eſt Vedelius, &c. 2. Autores, qui κειμήλια diſciplinarum in Scripturis ſparſa eruerunt, & ordine explicârunt. 3. Autores, qui artificia Logica & Rhetorica oſtenderunt in integris Scripturæ libris, aut capitibus. 4. Auctores, qui Elenċticè Theologico-Philoſophica tractârunt, controverſias examinando Pontificias; Arrianas, Lutheranas, Neopelagianas, Atheo-Gentiles, Adverſantes ſectas Philoſophicas, earúmque propugnatores Theologos, & Philoſophos; Nuperrimas controverſias Metaphyſicas ſeu Pneumatologicas illas, de Deo, déque animæ immortalitate ſeu diſtinctione à corpore, & Phyſicas, quas Philoſophi Pontificii ſibi invicem movent, de quibus ſingulis videatur Biblioth. *Voët*. p. 681.

XVI. Hiſtoria Philoſophica, *temporis tandem reſpectu conſiderata, vel Veteris* [a] *eſt Teſtamenti, vel Novi.*

a Qui quidem *termini*, & perſpicuitate, & crebro uſu commendati, præ aliis nobis placent. Quemadmodum enim omnes penè gentes barbaræ, *Chataii* cumprimis, *Syro-Græci, Arabes, Perſæ, Choraſmii* ſuas habent Epochas, (quas ex traditione *Vlugbeigi*, Indiæ citra extráque Gangem Principis, Perſicè eas conſignantis, nuper demum primus publicavit, recenſuit & commentariis illuſtravit *Iohannes Gravius*, Anglus) omnium Hiſtoriarum ſuarum, ſacrarum & profanarum ſeu limites, ſeu Cynoſuras; ita quid obſtet, duobus illis Veteris & Novi Teſtamenti terminis ubique inter Chriſtianos notis,

omnia

omnia ea includi, quæ Hiſtoricè proponi iisdem debent, ſive externa illa ſint, ſive domeſtica.

XVII. Miſsâ autem Vet. Teſt. Hiſtoriâ Philoſophicâ ſecundùm ætates ſuas inſtitutâ, ex Novo telæ noſtræ dabimus ſpecimen.

XVIII. Quemadmodum verò ætate illa celeberrimæ Philoſophorum ſectæ potiſſimum fuerunt quinque, [a] Pythagorica, [b] Stoica, [c] Platonica, [d] Epicuræa & [e] Peripatetica; ita ipſa quoque Novi Teſtamenti monumenta, non modò nominibus ſuis alias quidem [f] exprimunt, alias verò tacitè vel [g] innuunt, vel diluunt; ſed etiam, quamlibet earum, aſſeclas ſuos habuiſſe & ſtudioſos, luculenter oſtendunt.

[a] Ea nomen habet à *Pythagorâ Samio*, qui, patriâ, ob Polycratis tyrannidem, relictâ, in Italiam navigavit. Filius fuit Mneſarchi annulorum ſculptoris, ut Hermippus prodidit: circa Crotonem diverſatus, novum velut ſapientiæ dogma, quod Italicum fuit dictum, inſtituit. Id illi nomen Ariſtippus inditum ait, quòd nihilominus Pythio vera loqueretur. Vide plura in *Sabell*. l. 7. Enn. 2. *Suid*. voce Pythagoras. *Clem. Alexand*. in Stromat. libris, qui de Pythagora, ejus patria, familiaribus, præceptore, dogmatibus ex Moſis & Zoroaſtris doctrina mixtis, duobus Pythagoræorum generibus, verſibus, abſtinentia à vino & carnibus, prolixè hinc inde agit: *Iuſtin. Martyr*. Paræn. ad Græc. pag. 18. & alibi, qui hoc cumprimis obſervat, ὅτι τὰ δόγματα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας διὰ συμβόλων μυστικῶς ἐξέθετο, Ægyptios ſecutus. *Epiphanius*,

Wollebius, ſecunda compendii Theologici parte.

Phyſica Theologiæ accommodatæ ſunt, Phyſica Danæi, Scripta Lemnii, &c. Appendix Theologica Thomæ Angli de origine Mundi ad Inſtitut. Peripat.

Methaphyſica uſum in Theologia oſtenderunt Maccovius, peculiari ſcripto de uſu terminorum Metaphyſicorum in Theologia. Baronius in Philoſophia ancillante. Alii paulò aliam hic obſervant Methodum. Eos primo ponunt loco, qui de Philoſophiæ uſu in Theologia agunt in genere, ut eſt Vedelius, &c. 2. Autores, qui κειμήλια diſciplinarum in Scripturis ſparſa eruerunt, & ordine explicârunt. 3. Autores, qui artificia Logica & Rhetorica oſtenderunt in integris Scripturæ libris, aut capitibus. 4. Auctores, qui Elenctice Theologico-Philoſophica tractârunt, controverſias examinando Pontificias; Arrianas, Lutheranas, Neopelagianas, Atheo-Gentiles, Adverſantes ſectas Philoſophicas, earúmque propugnatores Theologos, & Philoſophos; Nuperrimas controverſias Metaphyſicas ſeu Pneumatologicas illas, de Deo, déque animæ immortalitate ſeu diſtinctione à corpore, & Phyſicas, quas Philoſophi Pontificii ſibi invicem movent, de quibus ſingulis videatur Biblioth. *Voët*. p. 681.

XVI. Hiſtoria Philoſophica, *temporis tandem reſpectu conſiderata, vel Veteris* [a] *eſt Teſtamenti, vel Novi.*

a Qui quidem *termini*, & perſpicuitate, & crebro uſu commendati, præ aliis nobis placent. Quemadmodum enim omnes penè gentes barbaræ, *Chataii* cumprimis, *Syro-Græci*, *Arabes*, *Perſæ*, *Choraſmii* ſuas habent Epochas, (quas ex traditione *Vlugbeigi*, Indiæ citra extràque Gangem Principis, Perſicè eas conſignantis, nuper demum primus publicavit, recenſuit & commentariis illuſtravit *Iohannes Gravius*, Anglus) omnium Hiſtoriarum ſuarum, ſacrarum & profanarum ſeu limites, ſeu Cynoſuras; ita quid obſtet, duobus illis Veteris & Novi Teſtamenti terminis ubique inter Chriſtianos notis,

omnia

omnia ea includi, quæ Hiſtoricè proponi iisdem debent, ſive externa illa ſint, ſive domeſtica.

XVII. Miſsâ autem Vet. Teſt. Hiſtoriâ Philoſophicâ ſecundùm ætates ſuas inſtitutâ, ex Novo telæ noſtræ dabimus ſpecimen.

XVIII. Quemadmodum verò ætate illa celeberrimæ Philoſophorum ſectæ potiſſimum fuerunt quinque, [a] Pythagorica, [b] Stoica, [c] Platonica, [d] Epicuræa & [e] Peripatetica; ita ipſa quoque Novi Teſtamenti monumenta, non modò nominibus ſuis alias quidem [f] exprimunt, alias verò tacitè vel [g] innuunt, vel diluunt; ſed etiam, quamlibet earum, aſſeclas ſuos habuiſſe & ſtudioſos, luculenter oſtendunt.

[a] Ea nomen habet à *Pythagora Samio*, qui, patriâ, ob Polycratis tyrannidem, relictâ, in Italiam navigavit. Filius fuit Mneſarchi annulorum ſculptoris, ut Hermippus prodidit: circa Crotonem diverſatus, novum velut ſapientiæ dogma, quod Italicum fuit dictum, inſtituit. Id illi nomen Ariſtippus inditum ait, quòd nihilominus Pythio vera loqueretur. Vide plura in *Sabell*. l. 7. Enn. 2. *Suid*. voce Pythagoras. *Clem. Alexand*. in Stromat. libris, qui de Pythagora, ejus patria, familiaribus, præceptore, dogmatibus ex Moſis & Zoroaſtris doctrina mixtis, duobus Pythagoræorum generibus, verſibus, abſtinentia à vino & carnibus, prolixè hincinde agit: *Iuſtin. Martyr*. Paræn. ad Græc. pag. 18. & alibi, qui hoc cumprimis obſervat, ὅτι τὰ δόγματα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας διὰ συμβόλων μυστικῶς ἐξέθετο, Ægyptios ſecutus. *Epiphanius*,

præter cætera dogmata, τὴν ψυχῶν ἀποθανατισμὸν illi tribuit καὶ μετενσωματώσεις. *Plutarchus* etiam, tum in moralibus, tum in vitis parallelis non pauca de Pythagora ſuggerit & Pythagoræis. Summam doctrinæ Pythagoricæ decerpere licet ex carminibus ejusdem aureis, quæ Græcè extant & Arabicè.

b Græcè Στωικὴ, ἀπὸ τῆς στοᾶς, vel, ut *Epiphanius* ſcribit: στωᾶς, τῆς ἐν Ἀθήναις διατριβῆς; *Suid.* Ἔσχον δὲ, inquit *Epiphanius*, Ζήνωνα ἀρχηγὸν τῆς στωᾶς, περὶ οὗ πολὺς θρυλλεῖται λόγος· οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἔφασαν κλαυθέντα τινὸς τῶν ἀπὸ τύρου ὁρμωμένου. Ἄλλοι δὲ φάσκουσιν, αὐτὸν κιτιέα τῆς κύπρου Νησιώτην. ἐν ῥώμῃ δὲ βεβιωκέναι χρόνον, ὕστερον δὲ ἐν Ἀθήναις προεστησάμενον τοῦτο τὸ δόγμα ἐν τῇ στωᾷ οὕτω καλουμένῃ. τινὲς δὲ φασὶ δύο Ζήνωνας εἶναι, τόν τε ἐλεάτην, καὶ τὸν προειρημένον. Præter alia aſſerebant μεταγγισμοὺς τῶν ψυχῶν, καὶ μετενσωματώσεις ἀπὸ σώματος εἰς σώματα καθαιρομένας σωμάτων: Id. Plura pete ex *Iuſtino Mart.* Apol. pro Chriſt. 1. pag. 45. 46. ubi, refutatis dogmatibus, Sectæ (quæ rigida eſt, & auſtera, vitiorúmque aſperrima hoſtis, fortunæ æquè bonæ ac malæ contemptrix; *Cl. Salm.* præf. in Comment. Simplic.) mores probat. Vnde & *Hieronymus* Stoicam diſciplinam ſimillimam dicit Chriſtianæ Religioni, quod cum grano ſalis eſt accipiendum. De Capucinorum potiſſimum illud intelligit inſtituto *Ioh. Baptiſta Van. Helmont*, Ort. Medic. pag. 17. *Interim ne hora absque fruge evaneſceret, trivi. L. Annæum Senecam, qui mihi impenſe placuit, ac præſertim Epictetus. Videbar itaque in morali Philoſophia Veritatis ſuccum reperiſſe: ſtatim dein cogitavi, hanc eſſe, perquam Pythagoras, tot annorum ſtricta exigeret ſilentia, Iudicium excellens, ac propterea obedientiam inſignem. Tandem, paucis mutatis, videbam Capucinum eſſe Stoicum Chriſtianum. Arriſit quidem ſtudium pro æternitate: ſed pro tanta auſteritate obſtabat valetudo tenerior. Oravi Principem vitæ aliquoties, Vires daret, quibus nudam veritatem contemplarer, immediatéque amarem; auxit hoc mihi deſiderium Thomas à Kempis, ac deinde Taulerus. Cúmque per Stoiciſmum me proficere in perfectione Chriſtiana*

ſtiana præſumerem, & certò fiderem, tandem poſt aliqualem in iſto exercitio moram & fatigationem incidi in ſomnium. Videbar factus Bulla inanis, cuius diameter à terra in cælum usque vergeret: ſupernè enim immineret ſarcophagus, infernè verò, loco terræ, abyſſus erat obſcuritatis. Horrui immenſum, ſimúlque excidi extra omnem rerum meiq́; notitiam. Ad me verò rediens, intellexi unico conceptu. Quòd in Chriſto Ieſu vivimus, movemur & ſumus. Quòd nemo, vel nomen Ieſu, ad ſalutem dicere, ſine peculiari Dei gratia, poſſit. Quòd continuò orandum ſit; Et ne nos inducas in tentationem, &c. Datus eſt mihi nimirum intellectus, quòd ſine peculiari gratia, ad quaslibet actiones, nil niſi peccatum nos expectet. Quo conſpecto & ſaporabiliter cognito, admiratus ſum priores meas ignorantias; & cognovi, quod Stoiciſmus me inanem & tumidam Bullam inter abyſſum inferni, & mortis imminentis neceſſitatem detineret. Cognito inquam hoc ſtudio, ſpecie mediocritatis fieri me arrogantiſſimum, quaſi libertatis arbitrii fretus gratia divinæ renunciarem, ac quaſi, quæ vellemus, per nosmet ipſos efficeremus. Abſit tale nefas dixi. Quapropter iſtam blaſphemiam, Paganiſmo quidem indulgendam; at Chriſtianum dedecere cenſui, adeóque Philoſophiam Stoicam hoc titulo odibilem cenſui. Ita homo Pontificiis parentibus natus, præceptoribus Pontificiis uſus juſticiarios illos clauſtrales. Veterum Stoicorum fabulam agere, prudenter obſervavit. Veteres ſanè Stoicos ob nimium rigorem multis diſplicuiſſe author eſt, *Plutarchus* in Ag. & Cleoni p.m. 805. ὁ ςωικὸς λόγος ἔχει τι πρὸς τὰς μεγάλας φύσεις καὶ ὀξείας ἐπισφαλὲς καὶ παράβολον. βαθεῖ δὲ καὶ πράῳ κεραννύμενος ἤθει, μάλιστα εἰς τὸ οἰκεῖον ἀγαθὸν ἐπιδίδωσιν, id eſt, *Stoica diſciplina nonnihil eſt, apud magna & acria ingenia, lubrica & anceps, quæ, ſi cum gravi & manſueto temperata animo ſit, aſſurgit inprimis & reddit fructum ſuum peculiarem.* Plura *idem* ſcripſit περὶ ςωικῶν ἐναντιωμάτων, Op. t. 2. pag. 1033. Synopſin item τοῦ ὅτι παραδοξότερα οἱ ςωικοὶ τῶν ποιητῶν λέγουσιν; pag. 1057. Περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς

τὰς ϛωικὰς, pag. 1058. Cæterùm, Sectæ Stoicæ placita fusè enarrantur & explicantur in ultima illa *Epicteti* Editione cum Commentariis *Simplicii*, & Notis *Salmaſii*, Lugd.Batav. 1648. De diſcrimine verò inter Peripateticos & Stoicos, circa quæſtionem, *utrum accidant ſapienti paſſiones animi, & an ab eis ſit prorſus alienus, quodq; de verbis potiùs, quàm de rebus excitent litem*, eruditè diſputat *Auguſtinus* de Civ.Dei lib.9.c.4. Confer.lib.4.c.8. Adde vitam *Plutarchi* à *Rualdo* conſcriptam c.10.& *Cicer*.Tuſcul.lib.4.

c Author eſt *Plato*, Ariſtonis filius, ex Solonis poſteritate oriundus. Natus dicitur in Inſula Ægina, Olympiade 88. *Ariſtocles* primò appellabatur, poſtea demum ἢ διὰ Πλατὺς εἶναι τὸ ϛέρνον, ἢ Πλατὺς ἐν λόγοις *Platonis* cognomentum fuit indeptus, Poëticam aliquàndiu exercuit, qua poſtea valere juſſa; *Socrati* ſe, & Academiæ applicuit. Mortuus eſt cœlebs anno ætatis 82. Prolixam ejus deſcriptionem ſuppeditat *Suidas*, in voce Plato: *Auguſt*. lib. 8. cap. 4. de Civ.Dei; & *Ludov.Viv*. Comment. ſuis ib. Pleniorem operum Editioni Latinæ præfixit *Marſilius Ficinus*, Florentinus. De dogmatibus ejus diſſeruerunt *Suidas*, l.c. *Clem. Alexandrinus*, *Juſt. Martyr*, *Auguſtinus* libris de Civitate Dei paſſim. Lib. 8. c. 5. ait; *Platonicorum opinioni omnium Philoſophorum poſtponenda eſſe dogmata*. Cap. 11. quæſtionem ventilat, *unde Plato illam intelligentiam potuerit acquirere, quâ Chriſtiana ſcientia* (quod & *Cœl.Rhodig*. Antiq. Lect.lib.16.c.ult. & Patres cumprimis plerique aſſerunt) *propinquârit*. Negat, quod mordicùs alii contendunt, eum in Ægypto Hieremiam audire potuiſſe. Reliqui aliàs Scriptores Eccleſiaſtici, *Juſtin. Mart*. Paræn. ad Græc. *Euſeb*. præparat. Evangel. *Theodor*. de Græc. affect. Platonem ex Hebræorum libris multa in ſuos tranſtuliſſe uſus conſtanter tradunt. Hinc *Numenius* Philoſophus dicebat, τί ἐϛι Πλάτων, ἢ Μωυσῆς ἀττικίζων. Idem fatetur *Ariſtobolus*, Iudæus lib. 1. ad Philomet. teſte *Euſebio*. Confer. Bibl. *Sixt.Senenſ*. lib. 4. pag. 205. Veteres θεῖον eum vulgò, id eſt, *divinum* appellabant,

ob

ob præclaras animi dotes; ſicut Ariſtotelem δαιμόνιον: vide *Cœl. Rhodig.* lect. antiq. lib. 1. c. 23. *Lud. Viv.* Comment. in Aug. de Civit. Dei. l. 8. c. 12. Dogmata Platonica recenſentur ab *Epiph.* l. 1. pag. 12. qui μετενσωμάτωσιν ei adſcribit, πολυθεΐαν, καὶ ἄλλας εἰδωλολατρείας, καὶ δεισιδαιμονίας: *Auguſt.* de Civ. Dei lib. 8. c. 12. 13. lib. 9. c. 11. 12. 13. lib. 10. c. 29. 30. lib. 12. c. 26. *Alcinoo*, de doctrina Platonis: *Plutarcho*, tum in moralibus, ubi exhibentur πλατωνικὰ ζητήματα, Dialogus περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας, tum etiam in parallelis, ſparſim.

d Ab *Epicuro* Athenienſi, ſeptem annis poſt Platonis obitum nato, denominata. De *Epicuro* multi multa. Conſule *Suidam, Epiphanium, Clementem Alexandrinum*, qui aliquoties eum *Scriptorem impium, & Philoſophiam eius, ſinceræ Philoſophiæ prolem* vocavit *adulterinam*: *Iuſtin. Mart.* Paræn. ad Græc. *Plutarch.* Comment. ὅτι οὐδὲ ζῆν ἐστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον; item πρὸς Κολώτην. De odio Stoicorum in Epicuræos, & Epicuro inde conflata invidia, loquitur *Gaſſend.* lib. 3. de vit. & morib. Epic. Quæ de ejus dogmatibus referuntur, ut quæ ſunt circa ſublatam Providentiam, animorúmque immortalitatem, extra dubitationis aleam poſita video; de moribus verò ejus & ipſa Philoſophiæ profeſſione, multa vulgi fama jactari potiùs & dici, quàm probari, aliquot jam viri docti conqueſti ſunt. Vnde mitiora de Epicuro judicia *Franc. Philelphi* Epiſt. lib. 8. Epiſt. 7. *Alexandri ab Alexandro* in diebus genial. lib. 3. c. 11. *Cœl. Rhodig.* antiq. lect. lib. 13. c. 25. *Raph. Volater.* Anthropol. l. 15. *Franc. Pic. Mirand. Comit.* lib. 1. c. 2. *Baptiſta Guarin. Veronenſ. M. Anton. Bonciar.* Pariſienſ. Profeſſoris, *Andreæ Arnaudi*, Forcalquer. Noviſſimè verò *Petrus Gaſſendus*, Dinienſis Eccleſ. Præpoſit. octo de vita & moribus Epicuri libris id inprimis egit, ut evinceret, *Epicurum maximè ſobrium & continentem extitiſſe, nec ſectam ullam Philoſophorum illius ſecta fuiſſe ſanctiorem*. De Stoicis etiam & Epicuræis integrum ſcripſit librum *Auguſtinus*.

e Cujus familiæ author eſt *Ariſtoteles*, Nicomachi

filius. ἦρξε δὲ ἔτη ιγ, τῆς περιπατητικῆς κληθείσης Φιλοσοφί-
ας, διὰ τὸ ἐν περιπάτῳ ἤτοι κήπῳ διδάξαι, ἀναχωρήσαντος τῆς
Ἀκαδημίας, ἐν ᾗ Πλάτων ἐδίδαξεν, ſcribit *Suidas*. De hu-
jus autem Philoſophiæ origine atque progreſſu adeun-
dus & audiendus *Keckerm*. tractatu II. de præcog. Log.
Quàm verò malè conveniat Platonicis cum Peripateti-
cis, ſcribit *Plutarchus* adv. Colot. pag. 1115. cùm ta-
men Ariſtoteles magnam ſuorum dogmatum partem à
Platone mutuatus dicatur, à *Clem. Alexand*. qui de Ari-
ſtotele & Peripateticis, eorùmque origine & progreſſu
ſuis Stromat. libris multa inſperſit & inſerſit. His adde
Plutarchum, Auguſtinum de Civit. Dei lib. 8. cap. 12. &
Comment. *Lud. Vivis*.

f Vt ſunt *Epicuræi* & *Stoici*, de quibus *Act*. 17. v. 18.
τινὲς δὲ τῶν ἐπικουρείων, καὶ τῶν στοικῶν φιλοσόφων συνέβαλλον αὐ-
τῷ. *Syrus* reddit: ואף פילוסופא דמן יולפנה
דאפיקורוס ואחרנא דמתקרין אסטואיקו דרשין
הוו עמה *Etiam Philoſophi è doctrina vel ſecta Epi-
curi, & alii, qui Stoici appellantur, diſputabant cum eo.
Arabs*; annotat Clar. *Beza*, Iunium ſecutus; *Stoicos non
nominat, & totum hunc locum ſic legit*: Ἐπικούρειοι καὶ
ἄλλοι ἀκούσαντες τὰ ῥήματα αὐτοῦ, ἐμεγάλυνον αὐτὸν, ἄλλοι
δὲ ἔλεγον. Sed, quod pace tantorum virorum dictum ſit,
injuria fit Interpretis Arabici induſtriæ: κατὰ πόδα enim
contextum Syriacum, qui tabulas authenticas feliciter ſa-
tis exprimit, ſequitur. Fraudi verò magno illi Heroi, *Iu-
nio* fuit, 1. quòd pro יסמון *nominantur*, legerit, יסמעון
ἀκούσαντες; 2. vim vocis רואקין quæ τοὺς στωϊκοὺς notat,
(à Rad. רוק, unde in Conjugatione ſecunda בית מרוק
domus cum porticibus; *Gigg*. in theſ. & nomen plur.
ארוק στοαὶ *Ioh*. c. 5. v. 2.) non fuit aſſecutus. 3. Duo ver-
ba, Hebræorum גָדַל, & Arabum גּדל quæ ſignificatio-
nibus prorſus differunt, confudit. Hæc de examine vo-
cum. Quid verò eſt, quod rabida hæc Sophiſtarum po-
tiùs, quàm Philoſophorum in Paulo reprehenderit ca-
terva?

terva? Duo in eo notant paradoxa. *Primò* videbatur iis ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς, quod ἀσεβείας crimen, eorum judicio, mortis ſupplicio debebat elui. Nam & hanc unam ob cauſam Socratem capitis eſſe damnatum refert *Laërtius*: οὓς μὲν νομίζει θεοὺς ἡ πόλις, οὐ νομίζοντα, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενον, quòd non eosdem atque cives putaret Deos, & nova Numina inveheret. *Secundò* aures eorum profanas multum irritabat, ὅτι ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο, quam Epicuræi præ aliis fortiter oppugnabant, utpote quibus doctrina de immortalitate animæ non modò luſus erat; ſed & ipſa reſurrectio per viciſſitudinem illam perpetuam, ſeu reciprocum naturæ curſum tollebatur. Ἐπίκουρος, inquit *Epiphanius* p. 12. δὲ καθ' ἑξῆς ἀπρονοησίαν τῷ κόσμῳ εἰσηγήσατο, ἐξ ἀτόμων δὲ συνεστάναι τὰ πάντα, ἤδ' αὖ πάλιν εἰς ἄτομα χωρεῖν, καὶ ἐξ αὐτοματισμοῦ εἶναι τὰ ὅλα, καὶ τὸν κόσμον ὑφεστάναι ἀεὶ γεννώσης τῆς φύσεως, ἤδ' αὖ πάλιν δαπανωμένης, καὶ ἐξ αὐτῆς πάλιν ἐπιγινομένης, μηδέποτε δὲ ληγούσης ἀφ' ἑαυτῆς φυομένης, καὶ εἰς ἑαυτὴν συντριβομένης.

g A. *Platonica* ſtudia non Gentibus tantùm curæ fuerunt, ſed ipſis etiam Iudæis Helleniſtis, Alexandriæ & alibi degentibus. Pſeud-Apoſtolos, qui acerba & planè pernitioſa legis κράσει ſuaviſſimum Evangelii odorem corruperunt, ex eadem prodiiſſe Schola veriſimile eſt. Atque hi ipſi ſunt, quorum conatus tam fortiter præſentique animo, arietârunt Apoſtoli. Eminuit hac ætate *Philo* Iudæus, de quo *Suidas*: Φίλων Ἰουδαῖος τεχθεὶς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, γένους Ἱερέων· φιλοσοφήσας δὲ τὰ ἑλλήνων εἰς μέγα προὔβη παιδείας, ὡς μετελθεῖν πᾶσαν ἑλληνικὴν παίδευσιν. τήν τε τῶν ἐγκυκλίων καλουμένων καὶ τὰς λοιπὰς ἐπιστήμας σὺν ἀκριβεῖ καταλήψει, ἐπλεύτησέ τε λόγον παρόμοιον Πλάτωνι, ὡς καὶ εἰς παροιμίαν παρ' ἕλλησι τοῦτο χωρῆσαι, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει.

B. *Stoicam* Philoſophiam Phariſæi in multis ſequebantur: Vnde *Claud. Salmaſ.* Comment. in Simplic. & Epict. pag. 119. *Phariſaos cum Stoicis quo ad opinionem de moribus in plurimis conveniſſe, Ioſephus teſtatur.* De fato fortè quæri poſſit, an eadem utrorúmque mens

fuerit

Digitized by Google

fuerit & ſententia. De Phariſæis enim ipſe quoque *Ioſephus* teſtatur *Orig.* l. 18. c. 2. quod ſtatuant, πϱάσσεσϑ τῇ εἱμαρμένῃ τὰ πάντα, *fato omnia fieri:* quod ipſum etiam Stoicorum delirium eſt. *Reſp.* Non Stoico Fato ſe ſuáque ſubmiſiſſe Phariſæos, hinc luculenter patet, quòd, ut alibi ſe explicat *Ioſephus*, εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ πϱοσάπτουσι, *fortunæ & Deo omnia alligent*, *Captiv. Iud.* lib. 2. c. 12. & clariùs lib. *Orig.* 18. c. 9. οἱ μὲν Φαρισαῖοι τινὰ, καὶ οὐ πάντα εἱμαρμένης εἶναι λέγουσι, *Phariſæi quædam, non omnia fato fieri dicunt:* à qua limitatione Stoicorum inſania planè abhorruit, utpote quæ ipſos quoque Deos fati nodis innexuit. Vnde *Seneca* lib. 4. de benef. c. 7. ait; *Fatum nihil aliud eſſe, quàm ſeriem implexam cauſſarum,* Iovem *autem primam omnium cauſam, ex qua cætera pendeant* Et alibi: *Quid intelligis per fatum? Exiſtimo neceſſitatem rerum omnium actionumq; quam vis nulla rumpat.* Et lib. de provid. c. 5. *Quicquid eſt, quod nos ſic vivere iuſſit, ſic mori; eadem neceſſitate & Deos alligat.* Adi etiam Commentar. *Mureti* ad Senec. lib. de providentia. Quònam ergò fatum illud, cui tantum tribuunt Phariſæi? Chaldaicum eſt, ſeu Aſtronomicum. Vnde author lib. *Iuchaſ.* de Phariſæis: *Credunt Deum nôſſe, ſive curare omnes res, adiuvantibus aſtris.* Hinc etiam Iudæorum πολυθρύλλητον, הכל תלוי במזל *omnia pendent ab aſtris, ſeu fato;* quod Paraphr. Chald. in *Eccleſ.* cap. 9. v. 2. reddit: כלא במזלא תליא במזלא אתגזר למהוי קדמיהון; & c. 7. v. 16. *Omnia per fatum decreta ſunt, ut ſint coram eis.* Excipiunt tamen ab hoc dominio Iſraëlem, juxta illud: אין מזל לישראל *Non eſt Planeta Iſraëli,* qui eos ſcil. regat. Vnde haud obſcurum eſt colligere, cui fato fatui Iudæorum Doctores fuerint addicti.

Dubitari poteſt, *nullíne primo hoc Seculo Chriſti diſcipuli, Stoicorum placita fuerint ſecuti?* Occaſio ambigendi nata ex Apoſtolo Paulo & Seneca. *Paulum*, inquit, Cl. *Salm.* l. c. *fuiſſe ſectâ Phariſæum, ex ipſo ſcimus. Phariſæos autem cum Stoicis, quoad opinionem de mori-*

moribus, in plurimis conveniſſe Ioſephus teſtatur. Maximè illud Stoicum, quòd in καρδίᾳ διανοιαν ſtatuit, & peccata paſſionéſque animi haud ſine διανοίᾳ fieri cenſet, hoc eſt, κρίσει. Plura habet in anteced. pag. 117. 118. Pro *Seneca* Chriſtianiſmo facit, quòd 1. Tertullianus eum crebrò *noſtrum* appellavit. 2. ab Hieronymo in Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticorum refertur. 3. Nuſpiam religionem Chriſtianam lædere expreſsè affectavit, ut ſcribit *Ruald*, in vita Plut. 4. Multa Chriſtianorum menti congrua edidit. 5. Accedunt Pſeud-Epiſtolæ ejus ad Paulum, & hujus viciſſim ad illum. Verùm, non ſunt rationes iſtæ tanti momenti, ut concedamus propter eas, vel Paulum à Stoicis habuiſſe, quæ de certamine affectuum & rationis, ſeu lucta carnis & Spiritus tradit; vel Senecam Chriſtiano cœtui annumerandum eſſe.

C. Ex *Epicuræorum* lacunis Sadducæi & mortuorum Reſurrectionem negare didicerunt, & ipſam quoque tollere Providentiam divinam. Vnde apud Hebræos צדוקים & אפקורסים poni ſolent *συνωνύμως*. Vide *Theſ. Phil.* pag. 37. Confer. pag. 34. 35. cum *Gaſſendo* lib. 3. p. 91. *Hiſtor. Orient.* p. 169.

D. *Pythagoricis* proximè accedere videbantur Eſſæi. Confer, quæ *Druſius* habet de trib. Sect. lib. 4. p. 183. cum iis, qui Pythagorica deſcripſerunt inſtituta. De *μετεμψυχώσει*, quam גלגול נשמות *Animarum devolutionem* appellant Hebræi, certum eſt, ex Pythagoræ Schola eam eſſe deſumtam. Quo loco apud intermedios & recentiores illa ſit Iudæos, cognoſcere licet ex Lex. *Buxt.* Rad. גלל. Veteres, ipſo Chriſti tempore, apellas tale quid ſtatuiſſe; certò affirmare vix audemus, niſi quæ *Matth.* 14. *Marc.* 6. *Luc.* 9. de reſurrectione Iohannis ab Herode dicuntur, ad animam potiùs cum Theologis quibusdam, referenda exiſtimes, quàm ad corpus. Vide *Piſcat.* & alios.

E. *Peripatetica* hoc Seculo Romanorum, Græcorúmque Rhetoricationibus ſopita penè fuit & conculcata, niſi quòd Platonici & Stoici hanc quoque Philo-

ſophiæ

ſophiæ partem excoluerint. *Keckerm.*Gymn. Log. lib. 1. pag.19. Sed & artificium, quod in Epiſtolis ſuis ſanctus Paulus oſtendit, adeò ſublime eſt atque exactum,ut non tam λογικὸν quàm λογικώτατον dici illud mereatur.

XIX. Fuit hæc ratio *Philoſophiæ* circa ipſa Chriſtianiſmi incunabula: Uſus ejus in Eccleſia tantò fuit parcior, quantò elatiori [a] animo ſupra ipſam ancilla ſe extulit Dominam, Theologiam puta, ſeu Religionem Chriſtianam. Vnde & [b] Apoſtolorum cum Philoſophis, & perniciofis quibusdam Philoſophorum decretis frequentes fuerunt congreſſus & conflictus.

a Certum enim eſt, Veterem Platonis, Pythagoræ,&c. Philoſophiam, ipſam Gentilium fuiſſe Theologiam, ſeu notitiam de Deo, rebúſque divinis, quâ ad ſalutem ſibi patere viam quisque credidit. Non tantùm ignorabant tum, Philoſophiæ cultores, officium Hagaræ, quam deperibant,eſſe ancillari,non dominari; ſubeſſe,non præeſſe; ſed & omnibus viribus,ut radicitus teneras Chriſtianiſmi plantas evellerent, contenderunt. Vnde & Patres primitivæ Eccleſiæ Philoſophiam Chriſtianam, Gentilium Philoſophiæ extra cancellos erranti, & faſtuosè ſuperbienti oppoſuerunt, non ſubordinârunt. Debet tamen mitiùs judicari de Philoſophia Organica, quæ non res ipſas, ſed modum tantùm & Methodum tractandi ſuppeditavit.

b Cum *Epicureis & Stoicis* negotium habuit Apoſtolus, *Act.* c.17. Eosdem damnari *Col.* c. 2. v. 18.& deinceps, ſcribit *Clemens Alexandrinus*, Stromat.lib. 1. p. 295. φιλοσοφίαν μὲν οὐ πᾶσαν, ἀλλὰ τὴν ἐπικούρειον, ἧς καὶ μέμνηται ἐν ταῖς πράξεσι τῶν Ἀποστόλων ὁ Παῦλος, διαβάλλων, πρόνοιαν ἀναιροῦσαν καὶ ἡδονὴν ἐκθειάζουσαν. Alii tamen,

men,loco Pauli citato, Pythagoricos & Platonicos, potiùs perſtringi, quàm alios, ex circumſtantiis colligunt. Refert eorum ſententiam *Iamblichus*, quòd videlicet per Angelos inferiores ſuperioribus, atque ita per multos gradus ſummis illis homines commendari debere, ſtatuentes,illis ſua dent nomina, officia, & diſpenſandorum beneficiorum facultatem. Vide Explicat. Decal. *Hug. Grot.* pag. 20. & *Reuchlin.* de Kabb. pag. 70. Sed & in reliquis ejus Epiſtolis, tum ad Gentiles, tum Iudæos Platonicis dogmatibus tinctos, ſcriptis, manifeſtum deprehendimus Elenchum plerorúmque Sectæ illius dogmatum. Et quia difficulter eripi ſibi patiebantur τὸ ἐφ' ἡμῖν, καὶ αὐτεξούσιον, qui ſemel ex Platone hauſerunt ἐλευθέραν εἶναι τὴν ψυχὴν καὶ δέσποιναν τῶν παθῶν, ut habet *Suid.* voc. *Plato*, aut qui cum Sadducæis aſſerebant, καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους, ἡμᾶς γινομένους, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἀβουλίαν λαμβάνοντας, (*Ioſeph.* antiq. Iud. lib. 19. c.9. quod & Rabbinorum commune dogma eſt, *Druſ.* de trib. Sect. pag. 88.) aut, Phariſæorum opinione imbuti, converſionem noſtram, & bona opera dividebant, partem quidem unam DEO concedentes, alteram verò ſibi arrogantes; hæc, inquam, omnia, cùm altas in ipſo etiam Iudaiſmo agerent radices, id ſtrenuè magnóque conatu egit Apoſtolus, ut deforme illud ἀδιαφορίας idolum dejiceret, vires humanas deprimeret, claritatem intellectui adimeret, voluntati rectitudinem derogaret, totáque adeò hominem vita ſpirituali ſpoliaret.

Ex his autem, quæ diximus, ſequentia elicimus πορίσματα:

I. Philoſophiam huius Seculi magna ſui parte fuiſſe pernicioſam, quia excuſſo famulæ iugo, Theologiæ, ceu Hera, fronte ſe adverſa oppoſuit.

II. Cum fato Stoico Reformatorum doctrinam de Providentia Dei nihil habere commune.

III. Doctrinam Platonicam de arbitrii dominio gratuitæ hominum converſioni, & iuſtificationi eſſe inimiciſſimam.

IV. Phi-

IV. Philoſophiam Organicam & innocentiſſimam hoc Seculo fuiſſe, & Eccleſiæ Dei utiliſſimam.

V. Malè in Philoſophicis abyſſis Gentiles ſalutem ſuam extra Chriſtum quaſiviſſe.

Atque hac Methodo Philoſophiam ad noſtra uſque perductam tempora inſignem ſtudioſis ejus allaturam fructum nemo eſt qui ambigere vel poſſit, vel debeat.

IRENICUM HELVETICUM.

I.

CUm multa ſint, quæ Helvetiis, eorúmque ſecuturæ poſterітati, pacis & concordiæ ſtudium commendare queunt: tum verò & imprimis ſequentium axiomatum examen frequens & ſerium.

Ἄνευ προοιμίων ipſam rei arcem invadimus, cætera, quæ deſiderari videntur, Methodo Helveticas Hiſtoricas légendi reſervaturi.

II. *Cogitabunt ergò* A. *Fœdus hoc eſſe* perpetuum & ſempiternum.

Certum eſt Helvetios jam priùs fœderis ſibi vinculo unitos fuiſſe, quàm tertio abhinc ſeculo coirent. Vide Remp. *Siml.* pag. 15. Ab eo verò tempore, rebus ſuis melius conſulturi, arctius conſtringi voluerunt. De ſcopo & intentione horum fœderum extant formulæ ab a. Ch. 1315. quo (verba ſunt Buchholzeri) Helveticum Fœdus conſtans & ſempiternum feliciter auſpicatur, ad a. Ch. 1481. decem. Tot n. habentur documenta, quæ abſque verborum anfractibus, & phraſium amphiboliis, genti candidæ minimè conſuetis, amicitiam, ſocietatem, animorum pariter atque armorum, non niſi cum mundi machina interituram, poſcunt. Cautum ſeverè eſt, ut pa-

cis

cis publicæ turbatorem, Tros Rutulusve ruat, quem fortè ſuis coercere vinculis non poſſent, cæteri omnes aqua & igni interdicerent. Et quoniam facilè generoſa illa pectora præviderant, inter amantes etiam iras excitari poſſe, ne tam ſanctum illæ vinculum rumperent, ſed amoris potiùs redintegratio eſſent, illis, quæ ſerius Helvetico Fœderi acceſſerunt, Civitatibus injunctum eſt, ut ſi fortè primi & antiquiſſimi Cantones inter ſe committerentur, cæteri à partium ſtudio alieni Mediatores ſemper eſſent & arbitri. Forma fœderis æterni ipſa haud obſcurè poſteros, quorum expreſſa aliquoties fit mentio, officii monet, ſeverè inſtigat, urget, & hortatur, ut & ſuam tum rem actam eſſe grati agnoſcerent. Emphaſibus omnia, ut ſatis tam momentoſæ rei caveatur, plena eſſe, ex ſpeciminibus illis colligere licet, quæ author Arch.Coſm.pag.595.& deinc.ſuppeditat. Et ne cui oblivio obreperet, Fœderis literæ vertente uno quoque decennio repeti, & in conſpectu populi recitari debuerunt. *Fel.Fab.* Suev.pag.188.quæ & Fœderis verba ſunt.

B. *Eſſe Fœdus* ſacro ſanctum.

Iurisjurandi quippe ſacramento munitum. Et Scriptura, & experientia, & multorum ſeculorum Hiſtoria abundè docet, quàm non hoc impune liceat violare vinculum. Non Perſæ, non Muhammedani perjurii labe facile notantur. Eam ergò cur pro viribus non declinent Chriſtiani? Hæc cura Helvetios tantò magis occupare debet, quantò crebrius hujus ſacroſancti vinculi memoria iis refricatur. Nihil novi eſt fœdera ſancire, juramento ea confirmare; ſed ab ipſo, hoc nexu denominari, ſolis contigit Helvetiis. Illi enim ſunt, qui ſoli ex confœderatis vocantur Eidgnoſſen. Nonne hoc perpetuum calcar ſit pacis & concordiæ? Frænum quo in officio retineantur immoderati impetus?

C. *Eſſe Fœdus* neceſſarium, *tum ratione* a *originis, tum* b *continuationis.*

(a) De origine hujus fœderis varii variè ſcribunt. Nos dicimus, Majoribus noſtris hoc fœdus quaſi extor-

tum

IV. Philoſophiam Organicam & innocentiſſimam hoc Seculo fuiſſe, & Eccleſiæ Dei utiliſſimam.

V. Malè in Philoſophicis abyſſis Gentiles ſalutem ſuam extra Chriſtum quæſiviſſe.

Atque hac Methodo Philoſophiam ad noſtra uſque perductam tempora inſignem ſtudioſis ejus allaturam fructum nemo eſt qui ambigere vel poſſit, vel debeat.

IRENICUM HELVETICUM.

I.

CUm multa ſint, quæ Helvetiis, eorúmque ſecuturæ poſteritati, pacis & concordiæ ſtudium commendare queunt: tum verò & imprimis ſequentium axiomatum examen frequens & ſerium.

Ἄνευ προοιμίων ipſam rei arcem invadimus, cætera, quæ deſiderari videntur, Methodo Helveticas Hiſtoricas légendi reſervaturi.

II. *Cogitabunt ergò* A. *Fædus hoc eſſe* perpetuum & ſempiternum.

Certum eſt Helvetios jam priùs fœderis ſibi vinculo unitos fuiſſe, quàm tertio abhinc ſeculo coirent. Vide Remp. *Siml.* pag. 15. Ab eo verò tempore, rebus ſuis melius conſulturi, arctius conſtringi voluerunt. De ſcopo & intentione horum fœderum extant formulæ ab a. Ch. 1315. quo (verba ſunt Buchholzeri) Helveticum Fœdus conſtans & ſempiternum feliciter auſpicatur, ad a. Ch. 1481. decem. Tot n. habentur documenta, quæ abſque verborum anfractibus, & phraſium amphiboliis, genti candidæ minimè conſuetis, amicitiam, ſocietatem, animorum pariter atque armorum, non niſi cum mundi machina interituram, poſcunt. Cautum ſeverè eſt, ut pa-

cis

cis publicæ turbatorem, Tros Rutulusve ruat, quem forte ſuis coercere vinculis non poſſent, cæteri omnes aqua & igni interdicerent. Et quoniam facile generoſa illa pectora prævideraut, inter amantes etiam iras excitari poſſe, ne tam ſanctum illæ vinculum rumperent, ſed amoris potiùs redintegratio eſſent, illis, quæ ſerius Helvetico Fœderi acceſſerunt, Civitatibus injunctum eſt, ut ſi fortè primi & antiquiſſimi Cantones inter ſe committerentur, cæteri à partium ſtudio alieni Mediatores ſemper eſſent & arbitri. Forma fœderis æterni ipſa haud obſcurè poſteros, quorum expreſſa aliquoties fit mentio, officii monet, ſeverè inſtigat, urget, & hortatur, ut & ſuam tum rem actam eſſe grati agnoſcerent. Emphaſibus omnia, ut ſatis tam momentoſæ rei caveatur, plena eſſe, ex ſpeciminibus illis colligere licet, quæ author Arch.Coſm.pag.595.& deinc.ſuppeditat. Et ne cui oblivio obreperet, Fœderis literæ vertente uno quoque decennio repeti, & in conſpectu populi recitari debuerunt. *Fel.Fab.* Suev.pag.188.quæ & Fœderis verba ſunt.

B. *Eſſe Fœdus* ſacro ſanctum.

Iurisjurandi quippe ſacramento munitum. Et Scriptura, & experientia, & multorum ſeculorum Hiſtoria abundè docet, quàm non hoc impune liceat violare vinculum. Non Perſæ, non Muhammedani perjurii labe facile notantur. Eam ergò cur pro viribus non declinent Chriſtiani? Hæc cura Helvetios tantò magis occupare debet, quantò crebrius hujus ſacroſancti vinculi memoria iis refricatur. Nihil novi eſt fœdera ſancire, juramento ea confirmare; ſed ab ipſo, hoc nexu denominari, ſolis contigit Helvetiis. Illi enim ſunt, qui ſoli ex confœderatis vocantur Eidgnoſſen. Nonne hoc perpetuum calcar ſit pacis & concordiæ? Frænum quo in officio retineantur immoderati impetus?

C. *Eſſe Fœdus* neceſſarium, *tum ratione* a *originis, tum* b *continuationis.*

(a) De origine hujus fœderis varii variè ſcribunt. Nos dicimus, Majoribus noſtris hoc fœdus quaſi extor-

tum

tum fuiſſe. Conſtat nempe Imperii Germanici ſtatum perturbatum, Majores noſtros hæc arripere arma coëgiſſe. Mortuo n. Henrico VII. orta, ex dubia Ludovici Bavari, & Friderici Auſtriaci, Leopoldi fratris, electione, σύῤῥαξις. Cum illo faciebant omnes Rheni urbes, excepta Colonia, cum Electore, & Argentina, cum Palatino: contrà, pro Friderico omnes ſuperioris Germaniæ civitates, tota Alſatia, Sueviáque (excepta Eſlinga & paucis aliis) & Helvetia, excepta Berna, Salodoro, & tribus civitatibus, Vria, Suitia, Vnderwaldia. Secuta hinc excommunicatio à Conſtantienſi Epiſcopo, quòd raptis quibusdam ex eremo B. Virginis Monachis nobilibus, locum violâſſe viderentur: Sed reſcribit Bavarius bono eos animo eſſe jubet, ſimúlque ſignificat, excommunicationis vinculum per Archiepiſcopum Moguntinum ſolutum iri. Ex hinc diſſidia inter Helvetios & Auſtrios exarſerunt, nec ceſſatum, donec tandem prælio Morengartenſi decerneretur, quo feliciter commiſſo, trium Civitatum fœdus initium ſumſit. Vide *Caſp. Ens* Theſ. Polit. Apotel. 49. pag. 371. *Münſt.* Coſmog. pag. 510. 512. 513, *Sprech.* Pallad. Rhæt. pag. 129. *Guillim.* de rebus Helvet. l. 2. pag. 310. Hæc mihi veriſſima videtur origo, etſi multi eam graves Scriptores diſſimulârint (vide *Vitod.* pag. 136. & *Tſchacht.* pag. 13.) Fœderis Helvetici æterni. Alia cæterorum, & paucis annis limitatorum ratio eſt. Tigurinos ſociare animum & arma coëgit vicinorum Nobilium tyrannis & intolerabilis faſtus. Vnde ab anno 1260. & deinceps cruenta utrinque fuerunt bella. Anno 1265. Tigurini, auxilio Rodolphi Habſpurgii, Huldricum Regenſpergium bello perſequuntur. Anno 1267. Vzenberga arx Regenſpergii à Tigurinis deſtruitur Ann. 1268. oppidum Glantzenburg, & arces Vurtpia, Vtliberga, Balderia, Regenſpergii refugia, à Tigurinis diruuntur. Erant & alii qui ſubinde Tigurinis inſultârunt, unde vicinorum ſe fœderibus ſæpe munire ad tempus fuerunt coacti. Cæteros Helvetiæ Confœderatæ Cantones ad idem audendum excitavit inconſideratus Alberti conatus. Cæſo Adolpho Naſſovio, Imperii habe-

habenas tenuit ſolus Albertus. Is, ſive numeroſa prole, ſive inexplebili cupiditate excitatus, initio ſtatim regiminis de principatu in Helvetia & ſuperiori Germania condendo, cogitare cœpit. Et brevi etiam tempore magnum ſucceſſum vidit. Tigurini & Sangallenſes fortiter hæc everberârunt tela. Tres etiam Civitates parere juſſæ, parata facere renuunt. Ab Imperio ſe avelli poſſe negant. Si quos reditus, cenſus, tributa, vel domui Auſtriacæ, vel aliis deberent, ſe bona fide ſatisfacturos promittunt. Quo reſponſo exaſperatus Imperator duos vel ſuo, vel Imperii nomine dedit Præfectos, Gæſlerum, Suitiis & Vraniis; Silvaniis Peregrinum à Landenberg, qui tyrannide tandem ſua effecerunt, ut arcibus ſtrategemate captis, prima fœderis Helvetici fundamenta, circa an. Chr. 1306. auctoribus Vernero Stauffachero Suitio, Valtero Furſtio Vranienſi, & Arnoldo Melchthal Silvanio, jacta fuerint. Qua de re prolixè *Simler* de Rep. pag. 8. & deinc. *Guillim.* l. 2. p. 295. *Etterlin* p. 17. Suizerus Chron. *Helv.* P. 11. pag. 59. *Munſt.* Coſm. pag. 510. *Glarean.* deſcript. Helv. pag. 11. *Theſ. Polit.* Apot. 49. pag. 369. *Tſchachtl.* p. m. 13. a. qui tamen nonnihil variat. Atque hac occaſione Helvetios de abolenda tyrannide ſeriò cogitâſſe, & fœderi initium dediſſe, conſtanter tradunt authores. *Aventin.* annal. l. 7. pag. 749. *Suitones, excuſſo Auſtriacorum iugo, ob rapacitatem atq; vim & iniuſtitiam Prætorum, in libertatem ſe vendicant.* Ita *Bodin.* de Republ. l. 4. c. 1. *Populares Helvetiorum ſtatus ab arrogantia quidem & libidine Præfectorum originem habuerunt.* Conf. l. 5. c. 5. Autor *Archontol. Coſm.* pag. 595. *Ex quibus omnibus, &c.* De utriusque Fœderis occaſione & initiis non malè, meo judicio, *Cario,* lib. 5. p. 129. b. & deinc. *A civilibus diſcordiis*, inquit, *quas commemoravimus, extitit ἀφορμὴ & occaſio novorum motuum, & hos ſequutæ mutationis apud Helvetios, quos Suitenſes vel Suiceros uno nomine vocamus, ab ea urbe, quæ prima confœderationis caput fuit. Sed cauſſæ anteceſſerunt & coinciderunt aliæ, inclementiora ſcilicet & iniuſtiora imperia illorum, qui pro Imperatoribus ea*

 loca

loca adminiſtrârunt, & ὕβρεις nobilitatis. ἡ μὲν ϗ μάγνη-τας ἀπώλεσε ϗ κολοφῶνα. Exitus verò is fuit, qui olim in Veteri Græcia, cùm Civitates Regulis, qui ſuperbè & Tyrannicè imperarent, vel eiectis, vel oppreſſis, vel in ordinem redactis, paſſim in Attica, Achaia & Peloponeſo, ſeſe in libertatem vendicârunt. Regia enim poteſtate vel abrogata prorſus, ut Athenis, Thebis & alibi, vel ad eum modum acciſa ac circumſcripta, ut ſolo nomine agnoſceretur, ut Spartæ, ſummam poteſtatem, vel in populum, vel in Optimates, vel in utroſque tranſtulerunt. Fuit autem diſſimilis conditio Civitatum Helveticarum ante confœderationem. Suitenſes, Vrii, reliquiæ Tauriſcorum, Silvani ſeu Vndervvaldenſes, etſi monaſticarum familiarum Abbatibus, certis pactionibus ſubditi erant, tamen ſua quadam libertate *gaudentes, Præfectos accipiebant ab Imperio,* quos Voitos *appellamus, fortaſſe Græco nomine quaſi βοηθὸς, prorſus ut olim præfecturæ Romanorum. Horum idem munus erat, quod in his terris Burggraviorum. Penes illos enim ſumma iudiciorum publicorum & vitæ neciſque poteſtas erat. Formam gubernationis reliquam manſiſſe ex antiqua Romanorum monarchia coniicio, in qua præfecturæ ſuis non vivebant legibus, neque ex ſuorum numero creabant magiſtratus, ſed hos à Senatu aut Monarchis accipiebant, & annuatim mutabant.*

Tigurum, Solodurum, Baſilea, Schaffhuſium inter municipia Imperij & liberas Civitates *numerabantur, etſi* Schaffhuſium *paulò antè ceſſerat Auſtriacis, conceſſione Ludovici, cui eam urbem cum aliis tribus Rinfeldo, Neoburgo & Briſaco bello Civili Leopoldus Auſtriacus bello extorſerat.*

Berna & Friburgum in Nuichtonibus *Coloniæ erant, conditæ & deductæ à Berchtoldo ultimo Zaringiæ Duce. Sed illo mortuo Berna Imperatorem: Friburgum comites Kiburgios Dominos ſortita erat, à quibus deinceps vendita urbs Rodolpho Imperatori paruit Auſtriacis. Cæteras urbes vel* Auſtriaci *iam ſuis terris adiecerant,* ut Tugium, Lucernam, Glariſſam, *ubi illi iamdudum magnum Principatum animis conceperant, avita ut regna extollerent,*

lerent, rurſus atque amplificarent, vel potentes familia Monachorum, vel Comites vicini tenebant.

Nobilitas vel ſui iuris erat, vel ſuberat Auſtriacis, aut Comitibus, quorum non contemnendus numerus in ea vicinia dominabatur.

Initium confœderationis fecerunt Vrii, Sylvani & Suitenſes, in horum oppido, quo factum, ut conſuetudine, nomen Suitenſium confœderatis omnibus ſit tributum. Occaſio ut dixi, à bellis civilibus extitit Ludovici Bavari & Friderici Auſtriaci. In his enim cùm cæteri adhærerent Auſtriaco, quem tota ſequebatur nobilitas, hæ tres ſolæ adfuerunt Bavaro, odio magis vicinæ nobilitatis, & metu potentiæ Principum Auſtriæ, quæ genti naturâ horridiori & ad libertatem aſpiranti, videbatur fore intolerabilis, quàm fide & ſtudio erga Imperatorem.

Cùm autem tentata multipliciter & exagitata graviter non vellent relinquere Bavarum, & Leopoldo Auſtriaco proſperè devicto, Bavaricis rebus ea in parte plurimùm commodâſſent, Bavarus remunerationis loco αὐτονομίαν eis conceſſit, cumulatam immunitatibus plurimis, & poteſtatem fecit ſeſe perpetuò fœdere πρὸς συμμαχίαν & ἐπιμαχίαν defenſionis cauſa conjungendi. *Exemplo invitatæ paulò pòſt urbes reliquæ, cùm irritare eas ac laceſſere potentes vicini non deſinerent, idem fecerunt, & inita cum prioribus atq; inter ſeſe ſocietate, eaq; arctiſſimis fœderum legibus devincta, potentiam fecerunt vicinis facilè parem, quæ victoriis & ſociorum acceſſione adaucta, laudem etiam, formidabilis iisdem evaſit.*

Commemorantur duo inſignia exempla ὕβρεως, unum de Præfecto Suitenſi, alterum de Vndervvaldenſi. Suitenſis collocato ad ſcopum honeſti eò in loco civis filio, & ſupra caput pueri impoſito pomo, coëgit patrem ad pomum ceu metam iaculari, ut ſi pomum non collimâſſet, transfigeret filium. Sed & patrem, cùm inſigni auſu rem tantam fœliciter peregiſſet illæſo filio, inſuper vinctum ſecum abduxit, in quo itinere pater excuſſis compedibus tyrannum trucidavit. Vndervvaldenſis adulterio per vim & contumeliam oblatę coniugi cuiusdam eius oppidi civis, cau-

ſam coniurationi præbuit; Ita ἀφορμὴ mutationis proxima provenit à pœna tyrannidis & libidinum. Vides igitur, Majoribus noſtris, multis modis irritatis, neceſſitatem fœderis fuiſſe oblatam. Atque hæc ipſa ratio obtinuit tum in cæteris Helvetiæ confœderatæ Cantonibus, tum in Rhetia paulò poſt, cujus incolæ, ut ſcribit *Geneb.* a.Ch.1424. *ad ſua libertatis propugnationem primo fœdere ſeſe inter ſe coniungunt.* Qua de re copioſius *Sprech.* Pallad. Rhetica lib. VII. p.274. *Guler.* de Rhet. I. 11.

(b) Nam & nobis Sciluri tela commendata eſſe debent. Singula facilè rumpuntur, omnia difficilimè; Concordiâ Majorum noſtrorum res minimæ creverunt. Noverant illud. Vnde ſemel unitæ Helvetiæ civitates nullum avelli patiebantur corporis confœderati membrum. Nolo obductas cicatrices refricare: Meminiſſe tamen juvat, nullam priùs pacis inter Tigurinos & cæteros Helvetios ſpem, tempore exitialis illius belli, quod Tigurinum vulgò vocant, apparuiſſe, quàm Tigurini Helvetico fœderi reſtituti, Auſtriis repudium miſiſſent. Quanto ſtudio rem egerint, commemorat *Tſchachtl.* Bernas, qui eo tempore vixit, Hiſt. Mſc. p.113. 121.b.125, a.128.b.129.b.130. 150. Cùm deinceps, an. Ch.1515. Leo X. Helvetiorum amicitiam ambiret, eámque à Cantonibus XII. jam impetrâſſet, noluit quieſcere priùs, quàm Tigurium etjam accederet, ratus, tum demum Helvetiorum robur hoſtibus extimeſcendum, cùm vires conjungerent. Sæpe Majores noſtri in Gallia, Italia, Belgio, Neapoli, & alibi, magno ſuo malo, didicerunt, vix navi melius convenire illud Iuris conſulti: *Si dividas perdes*, quàm Helvetiæ confœderatæ, quæ unita & adunata eſſe amat. Vnde non malè Helvetiorum *ſubſtantiam* quidam concordiam appellat, quam etiam delenificis verbis commendat. Eſt is author lib. Gallici: *Mercure Suiſſe* p.554.

D. Eſſe Fœdus *juſtum*.

Iuſtum eſt Fœdus 1. quia *juſtis* de *cauſis* eſt initum. 2. Quia juſtitiæ defendendæ patrocinatur. Certum eſt, Majores noſtros hoc nomine potiſſimùm inclaruiſſe,

quòd

quòd oppreſſos juvarent, juſtitiam defenderent, injuriam propulſarent, tyrannidem frangerent. 3. Iuſtum etiam vocari poteſt, quia non armis modò, ſed & *iure* illud defendere Helvetii ubique parati erant. Ægrè ſanè primi illi Helvetii confœderati ad arma convolârunt. Solius libertatis, & vitæ conſervandæ deſiderium eò illos pellexit. De primo Helvetiorum contra Auſtriacos prælio conſulatur *Vitod.* noſter, qui tum temporis vixit p.m.36. & ex eo *Simlerus* de Repub. Helvet. p. 34. De Loupenſi prælio *Tſchachtl.* p.22.a.23.a.26.a. Extrema tentare malebant, quàm bello decernere. Coacti tamen, & laceſſiti, vel prædæ ſe hoſtium, quorum ſævitia jam ex tanta nobilium, innocentiſſimorum etiam, cæde (vide *Guillim.* l.2.p. 308. 309.) ſatis nota erat, ſe debuerunt exponere, vel fortiter reſiſtere, & injuriam illatam generosè ulciſci. 4. Iuſtum eſt, quia ſalvis aliorum juribus, fœdus Helveticum eſt inſtitutum. Videantur formularum fœderalium verba. Vix caſa eſt, cujus privilegiis indemnitas non præſtetur. *Simler.* de Rep. l.2.p.128.b. *Guil.* p.363.

E. Eſſe Fœdus *laudabile*, non modò [a] graviſſimis Scriptoribus, variis de cauſis celebratum, ſed etiam ab [b] Imperatoribus, Regibus, Papis, Cardinalibus, Epiſcopis vel confirmatum, vel commendatum.

(*a*) Vix certè integro trium ſeculorum ſpacio Hiſtoricus floruit, qui intactam aut inhonoratam reliquerit Helvetiorum fortitudinem vel res geſtas. Nobis quædam excerpſiſſe abundè fuerit.

1. *Rolvingus Carthuſianus* Faſcic. temp. p. 84. b. Cladis meminit Loupenſis. Et pag. 86. b. Sempachianæ verò 81. b. *Superiores Alemanni, qui Suiceri vocantur, pauci quidem numero, plures nobilium Tyrannos, qui eos iniuſtis exactionibus opprimebant, ſuffulti ſuffragio, de*

 fini-

finibus eorum patenter expugnant; & ſe deinceps fraterno fœdere conglobantes multa bella admiratione digna, Eccleſias, orphanos, ac viduas defendendo, geſſerunt, & nominati ſunt in orbe.

2. *Iohannes Vitoduranus* p.m.36. prælium Morengartenſe deſcribens inter alia ait: *Habebant quoque Suicenſes* (hinc omnino nomenclatura Suicenſium ſeu Suicerorum petenda videtur) *in manibus quadam inſtrumenta occiſionis tela, vulgari illo modo appellata* Hellenparten/ *valde terribilia, quibus adverſarios firmiſſimè armatos, quaſi cum novacula diviſerunt, & in fruſta conciderunt.*

3. *Raphael Volateranus: Helvetii, quos nunc Suiceros vocant, circa Rheni fontes habitant, agros etiam in Italia poſſident, circa montem, qui S. Gotthardi appellatur. Prodiga gens animæ, & bellaciſſima: brevi utuntur armatura, pectore tantùm verticéque à parte interiorum lacertorum contecti.* Lib.7. Geog.

4. *Philippus Comineus*, author; *Lipſii, Thuani, & Sleidani* teſtimonio; graviſſimus, cùm de Iohanne, Calabriæ Duce, loquutus eſſet; *Habebat*, inquit, *quingentos Helvetios, qui primi omnium ſua gentis noſtris temporibus in Galliam venerunt, & ſua virtute reliquis nomen & authoritatem conciliârunt.* Lib.1.p.47.ad a.Ch. 1465. Plura vide lib.7.c.2.p.327.332. 341. 344. l.3.c.8. p.651.c.9. p.656.l.4.c.9.l.5.c.3. p.739.Edit.Germ.

5. *Ioachimus Vadianus* Comment.in Pomp. Mel. p. 169. *Liberi illi hodie & ſuis iuſti legibus, armis viam faciunt, ubi aut Religioni, quàm peculiariter obſervant, aut æquitati ſuus non datur locus. Bellicoſiſſimi verò, & quod in armorum ſtudio rarò alioqui cernitur, mirè humani & manſueti: Peditatu verò validi, ut herbam vel victores præbeant. Nulla his mora, quin vel paratiſſimo ad victoriam hoſti, pugna faciant copiam. Ex æquo certatur quoties ea defenduntur, quæ publicis conſiliis decreta ſunt. Nihil autem refert pauper an dives, plebeius an imaginibus clarus quis ſit, iuxta vitæ mortiſque periculum omnibus eſt, ne queri quis poſſit eandem*

aleam

aleam fortibus viris, pari ſorte non ludi. Vtinam autem ſecura doli fiducia cautius quandoque de ſe periculum faceret!

6. *Nicolaus Gillius*, ubi de Helvetiorum primo fœdere pauca interjeciſſet: *Ab eo tempore cœperunt Helvetii ſuis Dominis iuſtè & æquiter præeſſe, multáque eximia & magna prælia fortiter pugnârunt, pro defenſione ſuarum terrarum, privilegiorum, iuris Eccleſiaſtici, viduarum, & pupillorum ſuæ ditionis: unde magnam ſunt conſequuti toto orbe famam & gloriam. Suntq́; homines bellicoſi & in armis exerciti, quorum proinde opem & auxilium exteræ nationes ſæpius quærunt.*

7. *Paulus Iovius* Hiſt. l. 11. *Populus Helvetius fide, virtute, & recenti victoriâ inclytus, ſpecioſo, decoroq́; titulo Defenſor Pontificiæ libertatis appellatus*: p. 161. vide etiam 163. ubi de prælio Novarienſi.

8. *Natalis Comes: Omnium propè militum maximè gloria, obſervantia, virtute rei militaris præſtare putandi ſunt Helvetii, quorum ordo tam facilè reſarcitur, quàm facilè reliqui milites profligati diſſipantur ac toties aciem inſtaurant, quoties labefactata hoſtium virtute fuerit.* Alio loco (*lib.* XXIV. hiſt.) *eſt ea N.N. natura, ut ſummus ſit illorum ardor, formidabiléſque ſint: præcipuè initio bellorum: Sed hæc acies facilè retunditur, ſi virtutem & conſtantiam adverſariorum inveniat. Helvetii contrà reſurgunt, ut ita dixerim, vel profligati, cùm facilè aciem inſtaurent.*

9. *Caſp. Vrſinus Velius.* Cùm de aliis nationibus carmine ceciniſſet, de Helvetiis ita pro fine ſubjungit:

Intrepido excellens animo & fulgente ſecuri
Martius his colophon additur Helvetius.

10. *Raimundus Marlianus*, Ind. in Iul. Cæſ. p. 292. b. *Noſtra demum ætate à Carolo VIII. Francorum Rege in terra Italica cogniti magnum ſibi nomen comparârunt, ut nullus peditatus melior eſſe cenſeatur. Quod ſuperiore anno XXX. eorum millibus à Venetis evocatis, id quod nunquam antè acciderat, fugatis ex Italia Gallis, multò magis comprobatum eſt. Atque hoc anno fugatis eiſdem*

ad Novaliæ per inſidias caſtra nocte aggreſſi, magnum ſibi nomen comparârunt.

11. Author *Theſauri Politici*, quem Latinè vertit *Caſp. Ens*, Apotel. 23. pag. 386. *Helvetii pacem omnes inter ſe colunt, arctiſſimi, quod inter ſingulos ac omnes intercedit, Fœderis beneficio: adeò ut ad defenſionem maximas habeant vires. Bellicoſi ſunt & natura feroces.* Et Apotel. 30. p. 11. *Helvetii ad Nanceium in Lotharingia, nec non in Italia ad Novariam, Marinianum, &c. itemq́ in Galliis ad Druydarum urbem & alibi paſſim, res valde memorabiles geſſerunt; tantáque in exiſtimatione habentur, ut etiam potentiſſimi Reges & Principes amicitiam ipſorum non expetant tantùm, verùm etiam maximo precio redimendam, eisq́ ferè in quibus volunt rebus, morem gerendum ſibi putent.* Et pag. 396. *Sunt Helvetii bellicoſi admodum, & ad quosvis perferendos labores natura quodammodo facti, utpote inter aſperrimos montes nati & educati. Militiam à teneris continuò exercent, & Romanorum more, ordines ſervare, arma tractare, & quicquid eò pertinet, condiſcunt. Statura plerumque ſunt mediocri, atque etiam infra mediocrem, ſed bene compacto & robuſto corpore.*

12. *Oſvvaldus Pergenerus*, Ep. ad Cunrad Pellican. *Nemo ignorat, præſertim in mea patria (ſum autem ex ditione Norenbergenſium) Helvetios Martigenas eſſe & bellicoſiſſimos.*

13. Autor *Archontolog. Coſmicæ pag.* 592. *Necdum hodie Helvetii degenerârunt à virtute militari proavorum ſuorum, ſed videtur illis innaſci, usque adeò ferè nullus inter ipſos, qui non indicia à teneris oſtendat bellicæ fortitudinis, atque paulatim in iuvenibus ſucreſcit, ut robur corporis, ſic arma tractandi notitia, cui per certas leges & avitas conſtitutiones aſſueſiunt. Apud alios quosdam populos armorum uſus vetatur, ſed in Helvetia contrarium apparet, ubi arma non geſtare pro lubitu ſed deponere, ſummum dedecus. Vnusquisque Pater familiâs, usque ad operarium quaſi abiectiſſimum, tenetur ex lege ſua in procinctu & ad manus domi ſuæ habere arma,*

na, quæ certo tempore etiam à publicis ad eam rem à Magiſtratu deputatis inſpectoribus domatim examinantur. Præter haſtam & bipennem hodie quoque utuntur bombardis; ad quorum promptum uſum ubivis in urbib. & vicis ſua habent quaſi Theatra Olympica, in quibus ſclopetarii iuvenes & ſenes ſtatis diebus ultro conveniunt certatum de præmiis, in gloriæ calcar, à Magiſtratu ſuſpenſis, vel aliâs expoſitus, ſeſeq; ſic armis exercitum: Præſtantiora ſua facinora effeciſſe reperiuntur pedites, operâ ſariſſæ ſuæ & Xiphomacharæ: quanquam in poſtremis illis bellis etiam in equitatu eorum turma laudem quæſierint. Addere poſſemus *Authorem* Comment. in Tacit. de populis Germ. p.m. 59. 60. *Bzov.* a. Ch. 1459. S. 14. *Cæl. Rhodig.* ant. Lect. l. 3. c. 1. *Aventinum*, Annal. Bav. l. 4. 367. *Mantuanum*, exhortat. Princip. contra Turcas. *Glarean.* deſcript. Helvet. p. 9. & 60. *Guicciard.* l. 9. pag. 196. 197. 225. 239. 251. & alibi ſæpius, *Petrum Sanchium*, *Lautrechum* apud Galeat. Capell. de bello Mediol. pag. 17. *Boter.* Coſmog. pag. 100. l. 1. *Becan.* t. 1. opuſc. pag. 477. *Cameron.* op. pag. 84. *Budæi* Epiſt. ad Vadian. pag. 57. 58. *Zuing.* in Theat. vitæ, humanæ, hinc inde, & præ cæteris authorem libri Gallici, *Mercure Suiſſe*, pag. 3. aliósque, qui quanti fecerint Fœdus Helveticum vel prolixè, vel Laconicè declarârunt: Sed chartæ anguſtia cæterorum nos rationem habere jubet. Ipſorum etiam de Helvetiis Conciliorum judicium poſtea audiemus.

(*b*) Id quod probant I. Fœdera cum illis inita. Multos ſemper Helvetia habuit procos. Scribit *Bullingerus*, init. Hiſt. Refor. circa an. Ch. 1515. & deinceps: Helvetiorum Fœdus ambiviſſe Imperatorem, Papam, Regem Galliarum, Hiſpanum, Anglum, Sabaudum, Mediolanenſes, Venetos & alios. Celebriorum Fœderum Catalogum texuit, poſt *Simlerum*, auth. *Archont. Coſm.* p. 601. & deinc. qua tamen occaſione, abuſum etiam Fœderum & militiam mercenariam, quam (ut & *Leo*, *X. Avent.* pag. 367. *Boter.* pag. 11. *Paul. Iov.* l. 11. p. 188. *Glar.* deſcript. Helv. *Zuingl. Siml.* Reſp. pag. 84. *Guic-*

ciard. pag. 215. 226. & cumprimis pag. 393. b. *Geneb.* an. Ch. 1531. aliique apud *Lans.* in conſult. pag. 926.) Helvetiis exprobrat. Fœdera celeberrima ſunt Mediolanenſia, Auſtriaca, Burgundica, Sabaudica, Gallica, de quibus ordine *Simler*. l. 1. pag. 108. & deinc. *Franciſc. Guillim.* lib. 5. *Theſaur. Pol.* Apot. 23. pag. 398. II. Variæ Legationes utrinque miſſæ & ratæ, quæ certiſſima Reipublicæ liberæ indicia ſunt. III. Privilegia, quibus non ſemel & hæc Reipublicæ forma, & libertas, & ipſa quoque regio, ſive ære redemta, ſive armis occupata Helvetiis confirmatur. Ne ipſi quidem hoc ignorârunt exteri. *Genebrar.* lib. 4. pag. 697. *Cùm bella inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Auſtriacum pro Imperio exarſiſſent, Helvetii, præſertim Urii, Sylvani & Suitenſes ſoli (nam reliqui Imperii ſubditi, Friderico ſtudebant) Bavaro adſuerunt. Quare his rebus bene geſtis remunerationis loco αὐτονομίαν ab Henrico VII. anteceſſore impetratam confirmavit, additis immunitatibus & poteſtate, ſeſe perpetuo fœdere, defenſionis cauſa coniungendi. Quoniam verò initium confœderationis factum eſt in oppido Suitenſi, Suitenſium ſive Suiſſorum nomen omnibus confœderatis eſt tributum. Hic ergò incipit Helvetiorum Reſpublica. Bullinger.* præfat. de qua pòſt, ſcribit, *Carolum IV. fœdus Helveticum (re Helvetiorum omni rectius intellecta) ſuo calculo candido adiecto approbâſſe & confirmâſſe. Extare adhuc & cuſtodiri diploma illud Imperatorium ac regium in archivis urbis Tigurinæ, a. Ch. 1362. Conſtantiæ ſcriptum. Ergò, quod* liberæ Reipublicæ fruantur Helvetii axiomate, virtuti quidem illorum debetur, ſed non invito vel Imperio univerſo, quod comiter ſemper obſervârunt, vel Imperatoribus. Alia, hac vice, documenta non tango. Recens, ſed luculentum, eſt in Inſtrumento pacis Monaſterienſis, artic. 6. quod ita habet. *Cùm item Cæſarea Maieſtas ad querelas, nomine Civitatis Baſilienſis & univerſa Helvetiæ, coram ipſius Plenipotentiariis ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas, ſuper nonnullis Proceſſibus & mandatis executivis, à Camera Imperiali*

contra

contra dictam civitatem, alióſque Helvetiorum unites Cantones, eorúmque cives & ſubditos emanatis, requiſita: ordinum Imperii, ſententia & Conſilio ſingulari Decreto die 16. Menſis Maij anno proximè præterito declaraverit; prædictam Civitatem Baſileam cæteróſque Helvetiorum Cantones, in poſſeſſione, vel quaſi, plenæ libertatis & exemptionis ab Imperio eſſe, ac nullatenus eiusdem Imperii Dicaſteriis & Iudiciis ſubiectos; placuit, hoc idem publicæ huic Pacificationis Conventioni inſerere, ratumq́ & firmum manere, atque idcircò eiusmodi proceſſus, unà cum arreſtis, eorum occaſione quandocunque decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere.

IV. Varia honoraria, mutua pacis tum teſtimonia tum alimenta, quæ proinde Fridensgeſter appellare ſolemus. V. Honor compaternitatis Helvetiis, tum omnibus, tum quibusdam Cantonibus delatus. Vnde *Belforeſtius*: Helvetios *fideles & fortes Regum Galliæ compatres* appellat, in Carol. IX. VI. Patrocinium, quod afflicti & injuria affecti Principes, Nobiles; plebeji etiam in Helvetiorum robore & integritate quæſiverunt. Exempla non pauca ſuppeditant annales domeſtici. Luculentiora ſunt, Maximilianus Sfortia, Dux Mediolanenſis, & Renatus Lotharingus, *Etter.* pag. 95. Gradleri ex Styria, & Fulachii, Mylhuſini, *Id.* p. 82. Ne privatis quidem civitatis Helveticæ jure donatis ſuum denegabant patrocinium, quod a. Ch. 1460. contra Campidonenſem Abbatem in œnopolæ cujuſdam gratiam feliciter ſuſceperunt; *Tſchach.* p. 157. Vide *Siml.* Rempub. lib. 2. pag. 129. VII. Quid? quòd Reges & Principes facti ſui rationem apud Helvetios reddere non puduerit. Memorabilis eſt Epiſtola Matthiæ Regis Hungariæ, & Bohemiæ, qua ſe Helvetiis ſolicitê purgat, ob bellum Imperatori ex inopinato illatum. Ea ita habet: *Magnificis, Nobilibus, Prudentibus & Circumſpectis, omnibus finibus, civitatibus, diſtrictibus, coniurationis antiquæ & Magni fœderis, ſuperioris Alemanniæ confœderatis, nobis dilectis.*

Matthias Dei gratia, Rex Hungariæ, Bohemiæ, &c.

Magni-

Magnifici, Nobiles, prudentes & circumſpecti, confœderati noſtri dilecti: Recordamur ſcripſiſſe prius, & vos de conventione inter nos & Imperialem Maieſtatem, habita, cum transmiſſione articuli tunc ad rem noſtram attinentis ſufficienter informâſſe, nuper, dum Imperialis maieſtas conabatur nobis aliqua imputare. Nunc verò certificati ſumus, Cæſaream Maieſtatem, novis rurſum criminationibus apud vos & ſacri Romani Imperii Principes, nos impetere, quaſi nos inſcriptionibus mutuis contraveniſſemus, & contra noſtrum feciſſemus honorem, quòd nuper oppidum Rakoſpurgam, nulla prorſus diffidatione, Maieſtati ſuæ præmiſſa, fecimus expugnari: ſuper quo tametſi non dubitemus vos, pro veſtra bonitate & prudentia, his quæ præter æquum nobis imputantur, minimè aſſentire. Tamen ut de hoc negotio, quod nobis Caſ. Mai. culpæ aſcribere, rectiùs, veriúsque informati, noſtram innocentiam, & Maieſtatis ſuæ indebitam adverſum nos querelam intelligatis: ſcire vos volumus, nihil per nos tale contra ſuam Maieſtatem admiſſum, propter quod Maieſtas ſua iuſtè & meritò de nobis queri poſſit, vel noſtro honori in aliquo derogare. Nam quæ de nobis queritur, nulla diffidatione præmiſſa per nos talia contra ſuam Maieſtatem attemptata. Reſpondemus, nobis non licuiſſe Maieſtatem ſuam diffidare: nam ſi id feciſſemus, directè contra veniſſemus inſcriptionibus mutuis, quibus cavetur, ut: Quandocunque Cæſarea Maieſtas promiſſa ſua de ſolutione nobis debita non compleret, liceret nobis noſtra quocunque modo requirere, cum omni damno & intereſſe ſine ulla inita pacis & concordiæ offenſione, & propter hoc mutua inter nos amicitia ſolvi non deberet. Cùm igitur nos frequenter & ſæpiùs Maieſtatem ſuam monuerimus de ſolutione nobis facienda, ipſa verò pertinaciter id facere neglexerit, nos poſt debitum ſolutionis terminum, ultra annum & longè ampliùs Maieſtatem ſuam exſpectantes, quando intelleximus nihil nobis promiſſorum adimpleri, fruſtráque nos verbis teneri, diffidare noluimus, ne primi daremus occaſionem amicitiæ, inter nos violandæ. Verùm denuntiavimus ſæpius

piùs per literas & nuntium Maieſtati ſuæ quòd nobis oporteret iuxtà formam inſcriptionis, noſtra quibuscunque poſſemus modis, requirere, quando intelligeremus Maieſtatem ſuam his quæ in ipſis inſcriptionibus continentur, tanta dilatione præterita, nec dum reſpondere cum effectu, & facere alind non potuimus, quod ſalva inter nos amicitia permanente, facere nobis licuit, quàm ut noſtra requireremus quibuscunque poſſemus modis, prout ſpecialem ſuper hoc in literis inſcriptionum habuimus articulum; Cuius copiam ex ipſis literis de verbo ad verbum excerptam & præſentibus incluſam pro evidentiori documento miſimus vobis, ut eo intellecto cognoſcatis, nihil eſſe quòd nobis Cæſarea maieſtas in hac parte iuſtè & meritò poſſit imputare. Et ſimul, ut comperta innocentia noſtra & rectitudine, qua freti nihil nos inſcriptioni contrariis fecimus, contrariis aſſertionibus fidem non habeatis, quin potiùs velitis contemplationem iuſtitiæ noſtræ honorem noſtrum ab indebita obloquutorum criminatione defenſare; Ex hoc enim liquido iudicare poteritis, quantum nos ſumus alieni à culpa, qui denunciatione præmiſſa ſecundùm formam inſcriptionis proceſſimus ad noſtra repetenda, literas verò inſcriptionis, non nos edidimus, nec oratores noſtri, in eam ſententiam verba addiderunt, ſed ſola Imperialis Maieſtas concepit, & ultro nobis ac ſpontaneè, ad omnia quæ in ipſis continentur ſemetipſum obligavit. Datum Budæ XIII. die menſis Aprilis Anno Domini 1480. Regnorum noſtrorum Vngariæ anno vigeſimo tertio, Bohemiæ verò undecimo. VIII. *Encomia* quibus Helvetii ab iisdem ſunt ornati. Quo eos loco *Matthias*, Hungariæ & Bohemiæ Rex, habuerit, ex inſcriptione literarum ad eos deſtinatarum patet ſuperiori, quæ tamen Germanicè reddita ἐμφατικωτέρα eſt. Den Groſsmächtigen/ Edlen/ Fürſichtigen / Ehrſamen / Weyſen/ allen Orten/ Stätten vnd Ländern der Eidtgnoſchafft / des groſſen alten Bundts oberen Teutſchlanden / vnſeren getrewen lieben Bundtsgnoſſen. *Eliſabetha*, Angliæ Regina amiciſſimis literis, quibus Helvetiam compellavit univerſam,

ſam, eandem nomine *præclaræ gentis* inſignit. *Ludovicus*, Palatinus Comes ſermone ad Fridericum Ducem habito, vocat Helvetios *acre & bellicoſum hominum genus*. *Gerard. de Ro*, Hiſt. Auſt. l.4.pag.183. Eo cumprimis tempore, quo Pontifex Romanus ſuperioribus ſeculis fidem Helvetiorum, magno ſuo commodo, fuit expertus, encomiorum nullus erat finis: Non urgebo ſpecioſum tum titulum Defenſorum Eccleſiæ, & Domitorum Principum impiorum: *Paul. Iov.* Hiſt.l.25.p.24. Nec exſcribam, quæ ad Helvetiorum famam pertinent, ex Epiſtolis *Bembi*, lib.2.Epiſt.30. lib. 3.Epiſt. 18. lib. 4. Ep.1. lib.5. Ep.23. lib.6.Ep.12.lib.7.Ep.3. lib.9.Ep.33. lib.10.Ep.14. & 56. lib.15.Epiſt.31. 42. 44. & alibi, quæ nomine Leonis X. ad Helvetios ſunt perſcriptæ. Pauca quædam attexam ἀποσπασμάτια ex Epiſtolis Pontificum ἀνεκδότοις. Primus ex iis, qui cum Helvetiis Fœdere coaluerunt, eſt *Sixtus IV. Etterlin.* pag.97. *Valer. Anſelm.* Rych.Catal.annor.& Princ.pag.87. *Simler.* de Repub. Helv. p.61. qui Epiſt. an. Ch. 1479. exarata, inter alia ſcribit: *Firma & certiſſima vobis ſpes ſit celeris victoria, ſi ſolitis viribus veſtris hoc negotium proſecuti fueritis.* Eoſdem commendat *Innocentius VIII.* literis an. Ch. 1490. datis. *Leo X.* Epiſt. an. Chr. 1521. ſcripta, Helvetios vocat *fortiſſimam & fideliſſimam nationem.* Eodem anno, die 11. Auguſti, literis XIII. compellat Cantones, eoſque iterum nuncupat *nationem invictam!* *Clemens* verò an. Ch. 1525. Epiſtolâ, Tigurinis inſcriptâ, appellat *fortiſſimam nationem.* Vtrumque Epitheton conjunxit *Adrianus VI.* rationem redditurus, cur Helvetios potiùs, quàm alios velit Fœderis ſocios. Succedunt *Cardinales & Epiſcopi. Ennius*, Epiſcopus Verulanus an. Chr. 1518. Epiſtolâ quâdam fatetur, *ſe Papæ de natione Helvetica loquenti gratiſſimum eſſe.* Refert etiam, *Puccium* Legatum, *nationem Helveticam perpetuis laudibus extollere.* Ipſe *Puccius*, Epiſcopus Piſtorienſis die 10. Mart. 1521. Catalogum pertexuit eorum, quæ in Italia Helvetii præſtiterint. Præter cætera. *Horum (2000.) Helvetiorum opera, labore, ſtrenuitate ac*

fide

ſide in quibuſcunque arduis ac difficilimis negotiis per plures menſes Epiſcopus Piſtorienſis eſt uſus. Et paulò pòſt: *Horum præſentiâ omnia in tuto ſunt poſita; de quibus forſan aliàs actum foret.* Et de expeditione contra Ducem Ferrarienſem: *Incredibile dictu eſt, quàm ſtrenuè in ea Helvetii ſe geſſerint.* Item: *Helvetii ita mirabiliter pugnaverunt, contra exercitum ipſius Ducis, ut nihil virilius ab humano homine poſſet expectari.* Ejusdem verba ſunt: *Sciant igitur Magnificæ Dominationes veſtræ, me potius mei ipſius futurum immemorem, quàm Capitaneorum & militum veſtrorum, quibus ego plurimum debeo, qui cum tanto honore adſtiterunt mihi in recuperatione civitatum.* A. Chr. 1522. οἰκείᾳ χειρὶ ſcripſit: *Quod ut omnes Helvetii cognoſcerent, non oblivioni tradita eſſe tot beneficia, quot E. R. & illuſtriſſima domus de Medicis ab iis recepit.* Verbo (ità ſcribit *Bzov.* an. Chr. 1512. S. 4.) *ut hoc frænum* (Helvetios intelligit) *quo Cæſaris & Catholici Regis ambitionem, moderari poſſet, paratum haberet, omnem induſtriam artemque ad illorum ſibi benevolentiam conciliandam adhibebat. Ideo præterquam quòd publicè Helveticæ Gentis virtutem ad ſidera usque efferebat, & res pro Pontificii Imperii ſalute geſtas extollebat; honoris gratiâ Pontificia illis ſigna dederunt, & valde illuſtri nomine decoratos, Libertatis Eccleſiæ defenſores propugnatoresq́ appellabat.*

F. Eſſe Fœdus non uno nomine *mirabile.*

Mirantur enim multi I. Hanc *tam diu ſubſiſtere* potuiſſe ſive ſocietatem, ſive Rempublicam. Vide *Simleri* Rempub. pag. 1. lib. 1. II. Helvetios *parva ſæpe manu magnos aggreſſos exercitus.* Specimen dabimus ex *Nauclero*, Generat. 50. pag. 303. *Vnde mirum videri poſſet, quòd Helvetii, angulum Alemaniæ perexiguum tenentes, toti imperio reſiſtere auderent. Sed ſi quis vires Helvetiorum & eorum ſitum perſpiciat non multùm mirabitur. Loci enim natura continentur, ut C. Iulius Cæſar*

author eſt, una ex parte Rheno, flumine altiſſimo & latiſſimo, qui agrum Helvetiorum à Germanis dividit: & huc ad Septentrionem, ad occaſum Iura mons à Sequanis, à meridie Lemannus lacus, & Rhodanus ab Oriente, clauſtra alpium ab Italis diſcernunt. Ex hoc habes, quod olim Helvetii inter Rauracos, id eſt, Baſilienſes & Conſtantienſes in linea Rheni à Septentrione, Curienſes & Sedunenſes ab ortu ad Rhodanum, ad Gebennas à meridie, ad Iuram montem ab Occidente conſiſtebant, quem circulum hodie inhabitant, nec aliquid eis detractum videtur, niſi fortè Iuram montem verſus, quod tamen non poteſt eſſe multum, quandoquidem Cæſar à Lacu Lemanno ad montem Iuram murum perduxerit ad aliquot millia paſſuum. Acceſſerunt autem hac tempeſtate illis ſocii homines de liga Griſea bellicoſi, eisq́ parent Abbacellenſes. Sunt & illis alia præcommoda, quòd veluti ex una civitate, in qua, præter cives, nemo habitat, & ut unum corpus unius animi, & voluntates exeuntes, pro libertate, ut aiunt, conſervanda pugnant, hæc illis audaciam præſtant, & quòd parati ſunt mori vel vincere. Taceo quòd terra eorum ferè montoſa eſt & aſpera: quis autem negat hominum mores & ingenia, regionum ſimilitudinem trahere, cùm & ſemina plantarum idem faciant? Adde longam eorum bellicis in rebus experientiam, cui rei aſſiduò vacant, quaſi ad id ſolùm fuerint nati: III. *Pauciſſimos* ſæpe Helvetiorum in cruentiſſimis etiam præliis *deſideratos* fuiſſe. *Verron.* Frib. Præpoſ. in Hiſt. pag. 435. *Helvetiis interceſſerunt pugnæ aliquot cum Suevis & Cæſareanis anno* 1519. (turpiter errat: nam an. Chr. 1499. hæc acciderunt) *quo ad Baſilæam* (Bruderholtz ob Baſel) *cæſi ſunt hoſtium ſexcenti, uno tantùm ex Helvetiis deſiderato; apud Conſtantiam duabus pugnis cæſi ſunt hoſtium bis mille quingenti, & ad Fraſtentiam tria millia, deſideratis Helvetiis undecim; in Malſeris campis, & ad Dornacum tribus hoſtium millibus cæſis, amiſerunt de ſuis centum: antea* (poſtea) *quoque anno* 1513. *propugnantes ducem Mediolanenſem, Novariæ à Ludovico Rege obſeſſi, facta per*

ipſos

ipſos è civitate in Gallos excurſione, per ipſa bellicarum machinarum fulmina, mille quingentos ſuorum amiſerunt, antequam ad hoſtem, ut manum conſererent, devenirent; qua ſuorum ſtrage nihil conſternati, hoſtium ſex millia ceciderunt, cæteris profligatis, civitate ab obſidione liberata: Inde eodem anno Divionem in Burgundiam expeditionem ſuſceperunt, unde pacatis à Gallo rebus reverſi ſunt. Carolus Burgundiæ Dux propè Granſonium ſexcentos amittit, confœderati tantum 25. Morati poſtea Burgundionum occiſi ſunt 30000. juxta alios 17000. *Munſt.* Coſm. pag. 195. a. alii etiam pauciores numerant: Helvetiorum 50. *Etter.* pag. 94. Abbas Campidonenſis jacturam fecit ſexcentorum; Helvetii unius, *Etter.* pag. 79. b. vel duorum juxta *Tſchacht.* Factum eſt prælium Buchbergę a. Ch. 1460. in patrocinium Georgii Beck Oenepolæ, de quo ſup. Friburgenſes Auſtriacorum ſecuti partes cadunt in prælio centenis plures. Id. 50. b. Bernenſes unicum deſiderant. Crudeliſſima ad Novariam pugna Gallis conſtitit 15000. Helvetiis 1400. *Pantal.* de vir. illuſt. p. 45. ex *Stumpf.* De Glaronenſibus ad Novalia refert *Naucl.* Gen. 49. p. 256. quòd 1200. interfecerint, ex ruſticis vix 100. cæſi ſint. In conflictu cum Alphonſo Eſtenſi Duce, Helvetii, qui intererant, præclaram redemerant victoriam, unica decade II. Victoriæ illius nuntio accepto incredibili Papam eſſe affectum lætitia, fatetur quidem *Bzov.* an. Chr. 1521. S. 28. Sed operam ab Helvetiis præſtitam ne verbo commendat. Aliter *Antonius Puccius*, Epiſcopus Piſtorienſ. Epiſtolâ ad XIII. Cantones ſcriptâ. Eam, quia ad manus eſt, opportunè hic inſerimus. Magnifici ac potentiſſimi Domini: Quamvis exiſtimem per Reverendum ac Illuſtriſſimum Principem Dominum Carolum de Medicis ad Magnificas V. V. D. D. Nuncium jam deſtinatum eſſe de victoria obtenta contra Alfonſum Eſtenſem, aſſertum Ferrariæ Ducem per noſtros Helvetios; tamen nolui omittere, quin per literas meas non tam eandem victoriam ſignificarem, quàm de ipſa Victoria ſua Magnificis D. V. congratularer. *Nam ſui Helvetii*

M *ita*

ita mirabiliter pugnârunt contra exercitum ipſius Ducis, ut nihil virilius ab humano homine poſſet expectari. Ego poſt expugnatam primam turrim, ut ſaltem victoriæ finem inſpicere poſſem, accurri ſtatim ad noſtros milites, qui me præſente eadem celeritate ceperunt Oppidum Bonderi, qua expugnaverant turrim, ac plenam victoriam de noſtris hoſtibus reportârunt, & mihi credant Magnificæ D.D.V.V. ſi Dux exercitus noſtri non habuiſſet tantum reſpectum ad præſervationem omnium militum noſtrorum tam Helvetiorum, quam Italorum, *eadem die noſtri ſtrenui & fortes Helvetii occupâſſent pontem exiſtentem ſuper flumen Padum, cepiſſent alias artiglerias, quæ erant ultra flumen, ac totum omnino Ducis exercitum occidiſſent, & usque ad portas civitatis Ferrariæ eadem die currere potuiſſemus, ſed nihilominus inſignis victoria eſt reportata, & ex noſtris Helvetiis non plures, quàm decem aut duodecim perierunt, & pauci admodùm vulnerati*, quos omnes per navim ad Mutinam deſtinavi, non minorem cujuslibet ipſorum habens curam, quàm ſi eſſent fratres mei chariſſimi. Redierunt omnes ad oppidum Finalis, prædâ onuſti; & inſuper una paga extraordinaria à me donati, quæ decem millia ducatorum importat, non minùs libenter eis donavi, quàm ipſi acceperint. Nunc autem pergimus in Romandiolam, ubi receptis oppidis noſtris, quæ Dux præfatus occupaverat, faciemus aliquid aliud, quod ſpero non minori felicitate, per Dei gratiam, terminatum iri, quàm tranſactum negotium fuerit determinatum. Multa alia particularia ſi Magnificæ D.V. voluerint intelligere, Venerabilis Dominus Gulielmus ſingula referet, cui totam rei geſtæ ſeriem perſcripſi. Alia non occurrunt, niſi quod me ſimul cùm Eccleſia Romana Magnificis D.V. commendo, ſiquidem & ſalus & honor Helvetiorum non minùs mihi cordi eſt, quàm honor & ſalus mea propria. Feliciter valete. Ex caſtro Finalis die II. Octobris MDXXI. IV. *Generoſos* & planè Heroicos veterum Helvetiorum *conatus*. Exteri ſcriptores exempli loco ponunt *Novarenum* prælium,

tum, *quo*, ut loquitur *Paul.Iov.* Hiſtor. lib. XI. pag. 170. *Helvetii triplice agmine dimicantes, ſeſqui horæ ſpatio & memorabile prælium & graviſſimum bellum confecerunt.* Adſtupuiſſe multos rebus tam præclarè geſtis, *idem* prolixè fatetur de vir. Illuſt.l.I.pag.319.& lib.III.de vita Leonis pag.69. Et fuſius adhuc *Guicciard.* lib. X I. p. 258. b. & pag. 259. Adeò hoc multis magni animi ſpecimen placet, ut ad clariſſima etiam Latinorum & Græcorum facinora aſſurgere, exiſtiment. V. *Quòd*, pro aris & focis ſuis pugnantes ſingulari Dei gratia, *victricia ſemper habuerint arma.* Id quod rectiſſimè poſt *Stumpfium* lib.4.cap.6.obſervat author *Archont.Coſm.* pag.592.

G. Eſſe Fœdus *hæreditarium.*

Hæreditarium voco, mutuato termino ex Epiſtola *Eliſabethæ*, Reginæ Angliæ ad XIII.Helvetiorum Cantones ſcripta, quâ eos monet, ut ne urbis Genevenſis patrocinium deferant, neque illecebris exterorum ineſcentur. Verba ſunt: *Iſtius beneficio multos jam annos in libertate vivitis, in quam Majores veſtri ſua virtute vindicârunt vos, quanq; vobis ſupra modum invident ſuperbi Dominatores. Ea ſi in perpetuum frui, poſterisq; veſtris, tanquam hæreditariam transmittere mavultis, quàm ſervorum more in illiberali ſervitute vivere, cavendus vobis eſt hic primus impetus, nec aures accommodandæ captioſis illecebris, memores plures vulpeculæ fraude deceptos, quàm vi Leonis devictos concidiſſe.* Ita autem meritò vocatur, quia in illo ſummo ſemper ſtudio poſteritatis tanquam hæredum habita fuit ratio. Perſpicua ſunt verba Fœderis: Zuhnd kund allen denen/ſo diſen Brief leſen/oder hören leſen/daß wir mit gutem raht/ꝛc.einer ewigen Bündtnuß vnd Freundſchafft überein kommen ſind für vns vnd alle vnſere Nachkommenden/die darzu mit nammen ewiglich verbunden vnd begriffen ſeyn ſollen/ein ewige Bündtnuß zehaben vnd zehalten/auch nun vnd hienach ohnwandelbar / vnzerbrochen/vnd aller dingen vnverſehrt/mit

guten trewen / ſiet vnd veſt ewiglich bleiben ſol. Deſumta hæc ſunt ex Fœdere an. Chr. 1351. inter VI. Cantones, Tigurum, Lucernam, Vriam, Suitiam, Vnderwaldiam, Tugium inito: quo etiam, in poſteritatis gratiam, conſtituta & decreta fuit decennalis ejus repetitio, de qua alibi. Non ergo, quod hæreditario jure poſteris noſtris debetur, dilapidari à quoquam debet, aut periculo exponi. Vnde tot Majorum noſtrorum *νυθεσίαι*. Conſtat, ut ad ipſa accedamus exempla, pacis, concordiæ & libertatis propagandæ ad ſeros nepotes ſtudium, *Nicolaum* von Flü/ Subſylvanum, Confœderatis de optima nota commendâſſe. Vide *Stettler*. lib. 7. pag. 30. an. Ch. 1487. Ex Lucernenſibus, *Pettermannus Etterlin*, in Hiſt. Helvet. deſcriptione belli Tigurini colophonem impoſiturus, addit: *Erat bellum hoc inter Helvetios hactenus, & quod ſperamus, deinceps, atrociſſimum. Luſus enim eſt & iocus, bellum quodcunque, præ inteſtinis diſſidiis.* Eo ipſo tempore 16. erant cives Tigurini, viri fortes, & militari gloria inclyti, *Stettler*. pag. 156. 170. quos Capros vulgò, die Böck/ appellant; qui, cùm vidiſſent pacem publicam periclitari, ipſi ſe Fœdere excludere, quàm cauſam communem turbare maluerunt. Vide *Stettler*. lib. 4. pag. 170. *Bulling*. de reb. Tig. lib. 11. cap. 29. Ex Tuginis placet ἐπιφώνημα *VVernheri Steineri*, Ammanni, qui ut cladi Marignanæ an. Ch. 1515. interfuit; ita ejusdem rationem reddere optimè poterat. *Attendite*, inquit, *optimi Helvetii, & memores eſtote magni illius accepti, & ex diſcordia vobis illati damni. Neque enim, ut ſpero, aliud nocebit.* Nec defuerunt, qui poſt Reformationem, arcti illius vinculi pretium & utilitatem æſtimare poterant. Scribit *Bullingerus* noſter Marpurgum Rodolpho Gualthero, literis tum ibi operam danti: *Bene inter Helvetios convenire; & mille præſidiarios, qui Schaffhuſii iam fuerint, Rotvvilanis deſtinâſſe. Tiguro unâ abiiſſe die* 24. *Novemb. Vrios, Suitios & Tugios, ſanctéq; polliticos, ſe antiqua fide & conſtantia fœdus ſervaturos, neque, religionis prætextu, divortium admiſſuros.* Circumfertur

tur etiam Poëmation, jam a. Ch. 1530. contextum, quo, exemplo Majorum, ad pacis ſtudium noſtri excitantur. Nota porrò eſt oratio Nobiliſſimi Helvetii, *Iohannis Heggenzeri*, Conſiliarii Cæſarei, quâ diſſidia ſuperiori ſeculo inter Glaronenſes excitata mitigare ſtudet. Exponit, quid interſit Helvetiæ univerſæ, pacatè vixiſſe. Id cumprimis agit, ne diverſitatem ſacrorum fraudi & detrimento eſſe patiantur patriæ dilectæ. Conſtare enim, non armis propagari religionem: (**es laſſe ſich mit der fauſt den glauben nicht auffnen**); Exemplo eſſe Carolum V. qui magnum quidem & numeroſum exercitum, hoc conſilio, eduxerit in Germaniam: ſed ſucceſſu planè irrito. Hoc enim oleo flammas ali magis, quàm ſopiri. Clauſurus ſermonem infert, Ipſi quoque Imperatori Helvetiorum gratam futuram pacem & concordiam. Addere poſſem monita, quæ noſtra ætate viris, in Helvetia magnis, pro libertatis conſervatione & propagatione, exciderunt. Conſilia item, Oratorum Regiorum, aliorúmque Gentis noſtræ amantium, quorum verba κέντρα ſunt, & παροξυσμοὶ, ad ſerium & minimè fucatum pacis ſtudium. Seriò monentur ab omnibus, ne & ipſi ſe, & poſteritatem tam pretioſo κειμηλίῳ defraudent atque ſpolient.

H. Eſſe Fœdus *fortunatum, felix & fauſtum.*

Hac enim ratione Helvetiis poſtliminio & prima rediit libertas, & veteris Helvetiæ amplitudo. De utroque paulò fuſiùs. De *priori*, quod ab ovo arceſſere placet, obſervandum eſt: Varium Reipublicæ Helveticæ fuiſſe ſtatum, periodis ſuis diſtinctum. *Prima* periodo, quæ ad Iulii Cæſaris tempora extenditur, Helvetia *merè* fuit *libera*, Ducibus quibusdam adminiſtrata. Vide annales *Bulling.* lib. 1. cap. 22. *Stumpf.* lib. 1. cap. 17. A Iulio Cæſare verò, cæſi & ad ſua Helvetii redire coacti ſunt, anno ante natum Chriſtum LXXI. Conſule *Bulling.* lib. 1. c. 23. & deinc. *Stumpf.* l. 4. c. 17. 18. *Secunda* periodo Helvetiorum ſtatus *ſecundùm quid fuit liber.* Etſi enim her-

 bam

bam Helvetii, aliquoties antè victores, Romanis porrexerint, ædes etiam ſuas, ſpe potiundæ Galliæ, & domicilia in favillas redegerint, victorum tamen tanta in victos fuit facilitas, ut non modò domum eos redire, oppidáque ex cineribus excitare juſſerint, ſed & fœdere ſibi eosdem jungi voluerint. Id quod ex Ciceronis verbis Orat. pro Cornel. Bal. *Vadian.* colligit Comment. in Pomp. Mel. p. 170. & *Stumpf.* l. cit. c. 17. Alii tamen Helvetiam poſt cladem iſtam Romanorum provinciis adjectam & adjunctam autumant. Quicquid ſit, negare non poſſumus, Helvetios, Romanorum vel auſpiciis, vel conniventia ita paulatim iterum creviſſe, ut an. Ch. 71. Aulo Vitellio Imperii tum Candidato ſe oppoſuerint, cauſamque Othonis Sylvii egerint. Stetit à Vitellio, contra Helvetios A. Cæcinna, qui, Rhætorum auxilio, victoria potitus, eos devicit, & adeò indignè tractavit, ut magnam & famæ & territorii fecerint jacturam. *Bulling.* loc. cit. cap. 30. *Stumpf.* lib. 4. cap. 20. Vniverſa enim Helvetia Majorum meritis, & rebus preclarè geſtis inclyta, non modò obſcura eſſe cœpit; ſed ipſa etiam illorum regio partim Rhætiæ, partim Sequanorum provinciæ ſupplementum & lacinia eſſe debuit. *Bulling.* lib. 1. cap. 31. *Stumpf.* lib. 4. cap. 21. Duravit hic ſtatus ad an. Ch. 177. Tunc enim *Alemanni* (Germaniæ varii populi erant, unde & Alemanni, quaſi allerley Männer) jugi Romani pertæſi vires ſuas contulerunt, initóque fœdere, variante fortuna, & Martis ἀλλοπρόσαλλε incerta alea non ſemel deluſi, Romanorum Imperium cum ipſo nomine planè excuſſerunt, Alemannorum conatus multum juvit inopinata Gothorum & Wandalorum; qui res Romanorum planè attriverunt, irruptio, facta an. Ch. 409. Alemannis igitur Helvetii illi, qui pagum incolebant Tigurinum, accenſebantur. Qui Vrbigenum, & Aventicum, Burgundis. Atque ſic univerſa Helvetia Romanorum poteſtate circa annum Chriſti 452. egreſſa, vel Alemannis (quam tamen illi, ne Romanorum præſidia deliteſcere in iis poſſent, miſerè vaſtârunt) paruit; vel Burgundis. Vnde & illa

illa Helvetiæ pars Alemanniæ,hæc Burgundiæ minoris nomen obtinuit. Sequitur *quarta* periodus, quæ Helvetiæ ſtatum ſub Francis,per annos 418.nempe ab an.Ch.499. (quo cum Alemanis,Helvetii quoque Francico, à Clodoveo, ſubjugati ſunt Imperio,) ad annum Chriſti 919.complectitur. Quo quidem interſtitio varia Helvetiorum ſors fuit. Γλυκύπικρον dixeris hunc ſtatum. *Hinc* enim magna Francorum Pipini, Caroli Magni, Ludovici, &c. in Helvetiam, pagum præſertim Tigurinum,beneficia,inſignia liberalitatis & libertatis monumenta; ſummæ poteſtatis indicia. *Illinc* nimia in Clerum indulgentia,quâ factum,ut ſumma rerum in tota propemodum Helvetia,penes ſolum fuerit Clerum. Huc acceſſit Fiſcalinorum ſeu mancipiorum conſuetudo,quæ ſola,longè tamen à rigore primo alia,veteris Imperii Francici nota,in quibusdam Helvetiæ locis remanet. Atque hinc eſt,quòd plerique Helvetiæ incolæ Monaſteriales, ut *Guillim*.l.3.p.321.vocat, fuerint homines. Ludovicus, Germaniæ Rex,Pii fil. Thuricenſi Monaſterio Abbatiſſano Vraniam, primò generatim Hildegardi filiæ; pòſt,duas apud Vranios capellas,Burglen & Sillanam, Beroldo Presbytero conceſſit: *Idem*, pag.320.321. Quæ Thuricenſis Monaſterii jura ad Ruperti villæ comites,inde ad Wettingenſes ſunt translata; & tandem ad Communitatem Vraniorum,pag.324. Suitenſium nonnulli à Lentzburgenſibus Comitibus Monaſterio Schenniſio attributi fuerunt; *Idem*, pag.331. Sic Silvaniæ Imperiales, aut Regii reditus & officia , Lucernenſi Monaſterio deſtinabantur; *Idem*, pag.334. Lucernenſes quantum ad militiam, Rempublicámque ferè liberi,cætera,Pipini donatione,Morbacenſibus debebant; *Idem*,pag.341. Tigurum Collegiis Monialium & Canonicorum ſubjectum, quibusdam, quæ à Regibus & Imperatoribus acceperat, interea privilegiis utebatur; *Idem*,p.290. *Idem* de Solodurenſibus & Schafhuſianis habet, pag.292. *Quinta* ſuccedit periodus, quæ ab an.Ch.919. (quo Conradus I. Franconiæ Dux, Germaniæ Imperator fuit creatus) incipit,& in

 Henri-

Henrico VII.nefario Monachi auſu an.Ch.1513.interfecto,deſinit. Quæ hâc temporis intercapedine fuerit facies, paucis excutiemus. Videntes Germani, Hungarorum ſævitiæ & libidini omnia eſſe expoſita,res ſuas nec Gallis,nec Italis deinceps tutò committi poſſe animadvertebant. Saluti igitur conſulturi ſuæ,Imperatorium axioma ad ſe transferunt. Quo facto magna Helvetiæ pars ad Ducatum Alemanniæ, cujus jam ante membrum fuit,redit. De pago Tigurino res eſt certiſſima, Conſule *Bulling*.lib.5.cap.2. Quo plerique Germaniæ Imperatores in Helvetiam fuerint animo, vel hinc patet,quòd non Regibus ampliùs illos,Ducibus aut Nobilibus; ſed ſoli Imperio obſequium præſtare voluerint Imperatores ipſi. Vnde, *Liberæ* Imperii *urbes* deſignatæ, quidvis potiùs, quàm hujus privilegii naufragium ſuſtinuiſſent. Luculentum nobis in urbe Tigurina exemplum exhibet *Ioh.Vitoduranus*,pag.40. *Ludovicus*,inquit,*Duci Otthoni & heredibus eius quatuor civitates Regni obligavit; ſcilicet, Nevvenburg,Rhenfelden,Schaffhuſam & Turegum. Sed Thuricenſes Duci Otthoni pro pignore traditi reſtiterunt, & ratificare contempſerunt,& propterea loco Thuregi Briſach eſt pignorata.* Salva hæc Helvetiæ manſerunt privilegia, plenioris libertatis προγόνιμα,ad Alberti usque regimen,quod cùm moleſtum nimis eſſet Genti liberæ,Fœderi illud ſempiterno,ut ſuprà monuimus, occaſionem præbuit. Atque hæc *ſexta* ſtatus Helvetici periodus eſt, quá aurea iterum,jam ante Chriſtum natum Helvetiis conſueta & uſurpata,rediit libertas. Fœdus ergò Helveticum cur non *felix* nuncupemus & *fortunatum*? Sed & priſtinos Helvetiæ,quod mirabile dictu videatur,Fœdus hoc reſtituit limites. Accuratam Helvetiæ veteris deſcriptionem ſuppeditat *Iul. Cæſar*, lib.1. Comment. *Id facilius eis Orgetorix (Stumpf.& Guillman.*ſcribunt Norbereich) *perſuaſit,quòd loci natura Helvetii continentur: Vna ex parte flumine Rheno latiſſimo atque altiſſimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit, altera ex parte monte Iura altiſſimo,qui eſt inter Sequanos*

quanos & Helvetios. Tertia lacu Leemanno, & flumine Rhodano, qui provinciam noſtram ab Helvetiis dividat. Quibus limitibus, addit *Marlian.* Not. in Cæſar. voce *Helvetii, adhuc duodecim Helvetiorum pagi, quemadmodum tempore Cæſaris conſiſtunt*, niſi quòd, ut rectè monet *Glarean. Baſilea in Sequanis iaceat, & Schaffhuſia in Germania;* quod & *Guilliman.* obſervat lib. 1. pag. 5. Ergò urbes, vici, pagi inter tot Toparchas ſub Francis, Burgundionibus, Alemannis ita diſtracti, ut Helvetiam in ipſa amiſeris Helvetia, Fœderis hujus beneficio ad Dominos ſuos redierunt.

I. Eſſe Fœdus *pretioſum.*

Non malè *Simlerus* noſter lib. 2. de Repub. Helvet. pag. 123. rationem redditurus, cur armis tractandis Helvetii à pueris aſſueſcant, ſcribit: *Cùm autem Maiorum noſtrorum libertatem vicini penè omnes, & præſertim Auſtrii Principes continuis bellis opprimere conati ſint, per annos propè ducentos, neceſſitas ipſa militiæ ſtudioſos noſtros effecit, dum pro conſervanda libertate, pro finibus tuendis, pro uxoribus & liberis, arma quotidie ſumere cogerentur.* Nonne ergò *pretioſum* dici queat, pro quo tot annis pugnatum eſt? Initio ſtatim Fœderis V. Civitatum bellum exarſit quinquennale, quo non Albertus tantùm, ſed & ipſe Carolus Imperator Tigurum duriſſimis aliquot obſidionibus cinxit. Indignabatur Imperator Tigurinos eſſe in Fœdere, quod tamen nec minis ſolvere poterat, nec promiſſionibus. Quàm enim candidè Tigurini cum Fœderatis ſuis egerint, vel ex reſponſo Imperatori exhibito, *ſe iuramenta ſemel præſtita ſervaturos*, luculenter patet. Vide *Naucl.* Gener. 46. pag. 256. *Gerard.* de Roo Hiſt. lib. 3. pag. 104. Compoſitis poſtea paulatim rebus, non diu Helvetiis reſpirare licuit; Sempachiana enim mox clades fuit ſecuta, (*Siml.* l. 1. c. 56.) quâ immortale ſibi nomen Helvetii acquiſiverant. Quod quidem diſſidium triennio elapſo, publica pace ſublatum fuit atque ſopitum. Duravit hæc pax ad annum usque Ch. 1467. quo Mylhuſinum bel-

tum contra Auſtrios non infeliciter fuit geſtum. Quâ diſpulsâ atra nube,bene ad tempus cum Auſtriis Helvetiæ convenerat,uſq; dum,cæſo primò Carolo Audace ad Nancejum an.Ch.1477.Suevica,quam vocant,Liga,an. Ch.1499. injuriis & contumeliis laceſſitos Helvetios armis iterum libertatem ſuam tueri coëgit. Hi verò communium Helveticæ libertatis adverſariorum impetus tantò fuerunt periculoſiores, quantò indignius ſpe devoratos Helvetios tractare habuerunt in animo victores. De atrociſſimis hoſtium adverſus Bernenſes, feliciter Loupæ pugnantes,minis,vid.*Etterl.*p.24.b.quę totidem verbis recitat *Tſchacht*.p.24. Cùm Leopoldus tribus initio Pagis bellum indiceret,adeò ſibi certò victoriam pollicebantur cum ſuis, ut ante eam ἐπινίκιον cecinerint. Memorabilia ſunt verba *Vitodur*.p.m.36. *Convenerunt igitur viri iſtius exercitus unanimiter, quaſi vir unus,ad perdomandos & humiliandos illos ruſticos,montibus pro muris circumdatos, & volentes eſſe certiſſimi de victoria ſua & captione illius terræ,eius direptione & deprædatione reſtes & funes ſecum tulerunt, ut mediantibus illis prædam pecudum & pecorum inde abducerent.* Conſilio adhuc mitiori,quàm in Sempachiano factum eſt prælio,quo reſtibus,ſecum ductis,gulam Helvetiis frangere conſtituerant. *Etterlin*.pag.47. *Stettl*.pag.92.l.3.de hac illorum inſolentia, & magno nocendi deſiderio fuſiùs agit. Sed aliter fuit in fatis. Specimen fidei, quâ Helvetios Burgundus tractaturus eſſet,dedit Granſonii, *ubi milites,contra datam fidem laqueo partim,partim lacu ſuſtulit;* In Suevico mox bello, quam Helvetiis victores gratiam feciſſent, tum ex Epigrammate Maximiliani colligere poterant; tum ex blaſphemis illis vocibus,quibus milites confœderatis interitum minabantur. Horret animus recenſere. Videatur *Pallas Rhætic.Sprach*.pag.157. Illud audire placet,quod *idem* refert Autor: *Contumelioſi erant in confœderatos Helvetios & Rhætos,quaſi eorum exanimem & mortuum ante aliquot annos unum magis, quàm nunc decem vivos extimuerint: In mutua propinatione vini*

ne vini uno quoque hauſtu decem quisque confœderatos interficiebat, imò Regi Romanorum, ad delendos confœderatos (mulgendis vaccis tantùm aptos) ſufficere ſolos aedituos ſuæ ditionis, qui ſono campanarum eos fugent, quidam proxeneta Auſtriacus in conventu Glorii iactabat. *Cui Conradus à Marmore Rhatus argutè reſpondit: Confœderatos eisdem ſolos paſtores Alpinum cum ſuis pedis oppoſituros.* Quàm ſuperciliofo contemptu, Helvetiis in genua provolutis, & felicem Hardenſis prælii ſucceſſum à Deo ſolicitè petentibus, inſultârunt, ſpémque ſalutis & veniæ præciderunt? Hiſtoriam habet *Stettler*.annal.l.7.p.335. Iam herbam porrigere credebant, qui, pro more Gentis, cauſam ſuam precibus Deo commendabant. Et ne cùm moderatioribus pugnâſſe videantur hoſtibus in Italia, pauca quædam addam ex literis magni cujusdam in militia Helvetica viri, ad *Iacobum Stapferum*, Tigurinum, copiarum Helveticarum tum Colonellum. Salute præmiſſa, rogat eum, ut prudenter agant. Ab amicis ſe habere, Gallos loca tutiora quæſituros, & tria latera tormentis munituros. Illis adſtituros Lancigeros, infenſiſſimos Helvetiorum hoſtes: qui, quòd nôrint, *morem eorum eſſe* (quæ etiam verba de Helvetiis habet *Galeat.Capell*.de bell.Mediolan.lib.2. pag.17.) *adverſus hoſtilia tormenta progredi*, magnam vim ſint oppoſituri. Iterum proinde hortatur, ut cauti ſint & fortes. Iuramento Lancigeros teſtatos eſſe, nihil ſibi gratius eſſe, quàm cum Helvetiis conferre pedem; certa ſpe fretos, neminem ex vobis eâ in patriam rediturum viâ, quâ ſit egreſſus. *Non obſervo*, pergit, *quenquam ex iis eſſe, qui bene nobis velit. Diu noctuq́ de cæde noſtra & internecione deliberant. Vtinam morte mea Tuam totiusq́ redimere poſſem Helvetiæ ſalutem! Iuvabit Deus bonam cauſam, quam nunquam deſeruit. Verbis exprimere non poſſum, quibus iubilis hoſtes nobis minentur interitum.* Mugitum, vocésque edendo inſulſas Helvetios ludebant, certiſſimam ſibi victoriæ ſpem facientes; *Stettler*.lib.9. an.Ch.1513. Sed aliter alea cecidit. Nam & Cremona & Ticino urbibus, primo impetu

petu captis, Gallos toto Mediol. Ducatu ejecerunt, ita ut nihil ipſis reliquum remanſerit. Ex Lancigeris deſiderabantur 600. *Stumpf.* a. Ch. 1512. quo etiam Epiſtola hæc 6. Iunii fuit ſcripta. Invehitur deniq; in Cardinalem Sedunenſem, *quòd mala fide cum Helvetiis egeret*, quam, de eodem etiam moverunt querelam Legati Helvetiorum apud Iulium II. Romæ, in quorum actis *Mſc.* non ſemel reperio, quanta exercitui Helvetico Cardinalis, ſuâ morâ, intulerit incommoda. Miles hic magis fuit, quàm Theologus, (quemadmodum etiam Iulius II. bellica gloria quàm Pontificia clarior fuit, ipſo teſte *Geneb.* an. Ch. 1509. ut qui Gallos, opera Helvetiorum è tota Italia expulit, unde à nonnullis ei tribuitur titulus liberatæ à Gallis Italiæ; *Sur.* in hiſt.) & Pontifici gratiam apud Confœderatos non contemnendam conciliavit, cujus tamen cenſuram evitare ſemper non poterat. Vide Epiſt. *Bemb.* pag. 231. 279.

K. Eſſe Fœdus *naturæ & ingenio gentis congruum.*

Certum enim eſt, Helvetios naturâ libertatem ipſi præferre vitæ. Vnde N. N. Legatus ad Helvetios miſſus hanc præter cæteras, cautelam obſervandam accepit: *Quoniam ſumma omnes Helvetii gaudent libertate, cautè cum iis agendum, neq; ulla contra ſentientis animi indicia oſtendenda.* Theſ. Polit. Apotel. 25. Confer etiam *Apotel.* 49. p. 396. ubi inter cætera: *Libertatem amant, & ſummis viribus propugnant.*

L. Eſſe Fœdus *conſideratum.*

Non ſanè præcipitabant Majores noſtri. Animadvertebant facilè, ire ſe in dubiam libertatis ſervitiiq; aleam. Magno devorabant animo moleſtias, tædia, injuriam, tyrannidem eorum, à quibus ſubſidia expectare debuerunt. Patrocinium à Patronis denegabatur: Privilegia violabantur, nec tamen vim vi, laceſſiti, ſtatim repellebant, cogitantes, vanam eſſe ſine viribus iram. Tandem verò, cùm in deterius omnia vergerent, hinc tyrannis, illinc contemptus gentem liberam vexaret, huc itum fuit.

M. Eſſe

M. Eſſe Fœdus *munitum.*

Munitum voco, quia legibus fundamentalibus ità circumſeptum eſt,ut ſalvis illis,ſobriéque intellectis,nihil inter Helvetios gliſcere poſſit,unde periculum Fœderi immineat. Omnes enim controverſiæ vel Politicæ ſunt,vel Eccleſiaſticæ. Illarum deciſionem ex ipſo Fœdere,harum verò compoſitionem ex variis,quæ religionis libertatem concedunt,habere poſſumus documentis authenticis,pactis & cõventionibus publicis.Ita *Caſp. Ens* in *Theſ.Polit.*Ap.49.p.394. *Vnde cùm ſuperioribus annis ob religionis diſſidium multa inter confœderatos exorta eſſent controverſia,adeoq́; in apertum bellum exarſiſſent,tandem conventibus aliquot habitis*,Galliæ *Regis interventu,Pax religionis conſtituta eſt,his ferè legibus,ut unicuique liceat,quam velit amplecti religionem. Ne religionis causâ cuiquam vis fiat,aut iniuria vel probrum & ludibrium inferatur: Vt antiquum Fœdus omnibus ſuis partibus integrum conſervetur.* Mirantur multi Helvetiam,ab eo tempore,quo ſacra ſua, pars ejus,mutare cœpit, ſalvam ſubſtitiſſe,ſartam & tectam. Sed mirari,(alii,qui fomitem omnium, à ſeculo & quod excurrit,in Helvetia ortarum diſcordiarum in religionis κεφάλαισιν καὶ κατόρθωσιν rejiciunt,calumniari) deſinent, ubi diligenter expenderint, non adeò rerum ſuarum ignaros eſſe Helvetios,quin didicerint

I. Helvetiam inteſtinis crebrò bellis implicitam iam tum fuiſſe,cùm uni adhuc parerent Pontifici Romano pariter omnes. Nota ſunt bella Tigurinorum & Suitenſium; Bernenſium & Valleſianorum; Friburgenſium & Bernenſium; Glaronenſium & Vraniorum,&c.ejuſdem utique fidei conſectaneorum.

II. Nunquam Helvetiam pacatiorem fuiſſe & tranquilliorem, quàm ab ipſa illa ætate,qua religionis divortium fuit introductum. Vt unda undam, ſic bellum antea truſit bellum. Trecentorum jam annorum fœdus Helveticum; ducentis penè continuis pugnandum erat pro ejus libertate. Vno hoc ultimo Helvetiæ patrocinium

nium contra hoſtem communem,ne una quidem,ſingulari & ineffabili Dei gratiâ,ſanguinis conſtitit guttâ. Id quod poſteritatis fidem ſuperare facilè queat. Omnes excute Europę angulos,& vel unum oſtende,quem ſeculi decurſu belli flammæ vel non conſumſerint,vel ſaltem non allamberint. Hanc ſoli,clementiſſimus DEUS, Helvetiæ gratiam fecit.

III. Helvetios pluribus convitiis, dicteriis,& ſcommatibus nunquam fuiſſe laceratos & obrutos,quàm cùm eadem omnium eſſent ſacra. Nolò in apricum proferre, quæ amicis amici de Helvetia noſtra ſcripſerunt. Nec Oratorum Archiva excutiam,quæ aculeatis & *ςηλιτδυλικοῖς* in Majores noſtros ſcriptis ubique ſcatent. Apographum habeo,vetuſtum ſatis,*memorialis*,quod vocat author,*rerum omnium pro parte* N.N.*in curia Romana exponendarũ,* ubi ad calcem appellantur *homines parvi reſpectus,& ſine legibus,& ſine fide.* Aperta,obvia pandam. Conſtat, Raperſchuilæ, antequam Helvetiæ quibusdam Cantonibus pareret, in factiones fuiſſe itum; aliis Auſtrios, cæteris Helvetios præferentibus. Vnde illi *Chriſtiani* dicebantur, hi *Turcæ: Stettler*.l.4.p.179. Quid? quòd Turcas ſævitia, & crudelitate Helvetios anteire multi impunè ſcriberent? Non Monachis, non Sacerdotibus parcebatur. Atheiſmi ſæpe,profanæ mentis,feritatis, immanitatis belluinæ, & ab ipſo Pontifice accuſabantur, & ab iis,quibus per Fœdus an.Ch.1499. Baſileæ inter Maximilianum & Helvetios initum, tot eructare calumnias non licuit. Publica enim tum authoritate effrænis illis linguis ſilentium fuit imperatum. Sed nihil proficiebatur apud illos, quibus convitiandi cacoëthes εἰς ἕξιν μετέβη. Non extra chorum ſaltarem, ſi aſſertioni huic pleniorem facerem fidem, ex *Aenea Sylvio*,poſteà Pio II.dicto,Epiſt.94.Deſcript.Europ.c.4. *VVimphelingio*,cujus Soliloquium Helvetiis turpiſſimè denigrandis totum eſt deſtinatum: *Bebelij* Facetiis; Cohortatione Helvetiorum ad obedientiam Imperii; Lib. de laude veterum Germanorum,&c. qui haud obſcurè explicant,quo loco rem & Eccleſiaſticam Helvetiorum

habeant

habeant & Politicam: Sed calamum præcipitem chartæ anguſtia reprimit. Graviſſimam calumniam maſculè pridem profligavit *Oſvvald.Molit.*Lucern. comment. in deſcript.Helvet.Glarean.p.10.qui leges militares publica Helvetiorum authoritate, & *Benedict.Tſchachr.* αὐτοψία (p.165.a.) ſtabilitas, famæ de truculentia Helvetiorum falſæ opponit. Sed inſtat *VVimpheling.*c.10. *Fama quidem eſt,cùm plerique ex huiusmodi militibus ad bella perrecturi ſunt,iureiurando ſingulos aſtringi,ut à templis & ab aris abſtineant; ſacerdotibus deferant; ſexui,ſenio,parvulis,puerperis, & imbellibus manum non inferant: Si contra hoc publicum iuramentum impii ſtipendiarii apud Britannos, Sicilienſes, Latinos,& nuper apud Suevos nunquam exorbitârint ita; nôſti optime Deus,& lugubris Epiſtola nuper ab Alexandro VI. Romano Pontifice ad Carolum VIII. Galliæ Regem transmiſſa,manifeſtè declarat.* Reſp. I. Veritas eſt,non fama ἄδηλον ἢ ἀδέσποτον. Obviæ hæ leges unicuique ſunt in *Archontol.Coſmica* p.592. Vnde & *Camerarius*, Oper.Subc.P.1.p.52. *Qua in parte Helvetii adhuc in retinenda diſciplina militari noſtratibus militib.mercenariis longè excellunt.* II. Quid ſi contra leges militares graviſſimè peccatum ſit ab immorigeris, num fraudi hoc eſſe debeat aut opprobrio Legislatori? Poſſem, ſi hoc jam ageretur, prolixè probare,variè quidem in bellis Helveticis pro patria ſuſceptis peccatum eſſe,ſed vix impune. Aut enim rigidâ ſatis cenſurâ in delinquentes fuit animadverſum,aut ſi contra torrentem niti non licuit, prudentiâ & manſuetudine exorbitantes ad officium fuerunt revocati. III. Alexandri ſexti Epiſtolam non legi. Hoc tamen Hiſtoriæ Helveticæ teſtantur,neminem eſſe, cujus gratiâ ſanguis Helveticus largius ſit & crebrius effuſus,quàm ipſum Pontificem Romanum. Teſtis eſt Italia,quæ,ut non nemo ſupputavit, ab anno Chriſti 1494.ad 1523.ex ſola Helvetia & confœderatis vicinis, milites habuit ſubſidiarios 137000. Quorum non pauci fame,ferro,peſte interierunt.Quàm ſplendidis verbis Majores noſtros Romani Pontifices

pelle-

pellexerint, animum ad hoſtem invadendum, cædendum, vincendum addiderint; tot eorum ad eos ſcriptæ loquuntur Epiſtolæ. Nemo, ubi pro ejus pugnatum fuit ſalute, virtutem Helveticam majoris fecit; ubi verò arma vel in ipſum, vel ſocios ejus fuerunt converſa, ſtylum & ipſe vertit, & qui Domitores injuſtorum Principum dici merebantur, jam feri ſunt & ferrei, omnisque juſtitiæ contemptores. Habeo Epiſtolam Innocentii VIII. qui Abbatiscellanos non tantùm vocat *homines pernicioſos*; ſed & Helvetios dehortatur, ne, *etſi confœderationi eorum ſint incorporati*, auxilio & favore eos contra Abbatem Sangallenſem juvent: iisdem verò poſtea in æternum Fœdus Helveticum receptis, & ad defenſionem ſedis Romanæ paratis, quàm mellitis & blandis gratulatur verbis? Vide Epiſt. *Bembi*, pag. 149. ubi tamen vitiosè pro *Abbatiscella* ponitur *Brenſella*. Ipſa verò Innocentii Epiſtola, d. 27. Ianuarii an. Ch. 1490. ſcripta, verbotim ita habet: *Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Magna cum diſplicentia audivimus, quòd oppidani oppidi S. Galli ac Territoriani Abbatis Cellani & alii eorum complices Conſtantienſis Diooec. iure proprietario, & Dominio Monaſterii S. Galli dicti oppidi ab illius fundatione ſubiecti adiuncta ſecum numeroſa multitudine improborum, ſtructuras Monaſterii prope ipſum oppidum funditus evertere temerario auſu non formidârint, in divina Maieſtatis, & huius ſancta Sedis, cui Monaſterium ipſum immediatè ſubiicitur, gravem offenſam, dicti Monaſterii intolerabile detrimentum, pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum, idq; eò petulantiùs feciſſe dicuntur, quia cùm veſtra Confœderationi incorporati ſunt, confidunt auxilio & favore veſtro tanti exceſſus pœnam facilè evitare. Dolemus, quòd tam pernicioſi homines vobiſcum confœderati ſub veſtra confœderatione tam grandes exceſſus & crimina perpetrare præſumant: Cùm vos aliâs pro veſtra ſinceritate fidei in magnis neceſſitatibus huius ſancta Sedis honorem tutri & defendere ſemper conſueveritis. Quare cùm noſtra intentionis ſit diſcordiarum*

omnium

omnium inter eos & Abbatem cauſas intelligere, & veritate maturè intellecta, opportunè providere, hortamur devotionem veſtram in Domino, quacunque pro noſtra & eiusdem ſedis reverentia & honore, eisdem Oppidanis & ſuos recognoſcant errores, & noſtris, ut decet, ſtudeant obtemperare mandatis, nec in veſtris auxilio & favore in re tam perverſa & damnabili confidant, perſuadeatis, ac Venerandi fratris Epiſcopi Auguſtenſis, cui ſuper hoc ſcribimus, in executione ſibi facta commiſſionis opportunis favoribus, cùm id petierit, ac Abbati, & pro illius reſtitutione, & ſatisfactione tanti exceſſus & iniuriam aſſiſtatis. Sic enim faciendo, ut ſperamus, confœderationem veſtram ad vindictam & punitionem malorum, ac tutelam & defenſionem iniuſtè oppreſſorum ordinatam iamdudum, nil de iis, quæ ſibi incumbunt, præſertim pro ipſius ſanctæ Sedis honore omittere videbimini: Noſq; & ipſam Sedem Apoſtolicam ad iuſta veſtra deſideria promptiores reddetis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 27. Ianuarii, An. M CCCC LXXXX. Pontific. noſtri Anno VI. Evocavit hoc Claſſico contra Sangallenſes & Abbatiscellanos Roſacenum cœnobium deſtruentes, Papa cæteros Helvesios, IV. præſertim pagos, fœdere arctiori Vlrico Abbati unitos, qui, ut loquitur *Simler*. Abbatis jura fortiter aſſeruerunt, & adverſarios multârunt. Interim non negamus, diſciplinam Helvetiorum militarem nunquam ſtrictiorem fuiſſe, quàm eo tempore, quo contra communem decertandum fuit hoſtem, ab anno videlicet 1351. ad 1474. Exinde verò, tot victoriis elati, non æquo pariter animo hanc fortunam ferre omnes poterant. Illa enim; cùm iis ita arrideret, ut (utor verbis celeb. *Vadiani* in Mel. p. m. 179.) *nulla tum civitas fuerit ſuis inſtitutis vivens & legibus in orbe Chriſtiano, ad quam crebriores maximorum Principum legationes viſerentur, neque gens ulla, quæ gravioribus ſtipendiis foveretur, maiori Principum cura ambiretur, pluribus Fœderum conditionibus invitaretur, partim quidem ut proſint, partim ne noceant: adeò magnis Regibus non*

N pollici-

pollicitationibus tantùm, ſed Græca etiam, quod dici ſolet, fide in eos munificis; usque adeò, ut ipſe etiam Imperator Otthomanicus rerum per Helvetios geſtarum non fuerit ignarus, *Stettler*.lib.9.pag.468. &, ex opinione multorum, felicitatis ἀκμὴν conſecuti Helvetii viderentur: cùm, inquam, fortunæ aura iis tam benignè aſpiráſſet, miremur hominibus humani quid accidiſſe? Dicerem, coronidis loco, aliquid de familiaribus longóque uſu receptis & probatis Fœderis Helvetici alimentis, poſteritati diligenter obſervandis; ſed portum quæro. Certum interim eſt, multum potuiſſe I. *Repetitionem Fœderis, decimo quoque anno inſtitutam*. Ita enim nulla fuit ætas, cui oblivio ante actorum potuerit obrepere. Monet *Lavaterus* in Enchiridio Hiſtorico Mſc. adhuc an.Chr.1521. Baſileæ tredecim Cantones fœdus juramento confirmâſſe. Ab aliquo tempore tamen repetitio ſuſpenſa fuit. Tentabatur illa quidem an. Ch.1543. *Stettler*.annal. An.Ch.1545. *Idem*, pag.141. 142. Et mox iterum an.Chr.1551. *Idem*, pag.169. An. Ch.1558.& 1573. Glaronenſium & Abbatiscellanorum Legati eam valdè urgebant; *Idem*, pag.197.241. Friburgenſes item, an.Ch.1580.pag.271.tandemque Tigurini, an.Ch.1605. *Idem*, pag.421.ſed nihil obtinebatur; tum quòd fœdus æternum his fulcris non indigeret; *Epiſt.Bulling.ad Blaurerum*, tum etiam, quòd à Formula jurandi, per Sanctos concepta, quidam Cantones nec recedere, nec immutari ab aliis illam vellent. Cùm tamen ipſe quoque Carolus V. Vlmenſibus eandem gratiam fecerit. Ita enim Frechtus ad Vadianum. *Die 20.Iulii Pomeridiana ſeptima, noſtri concives Maieſtati Cæſaris ante curiam Senatoriam homagium, quod dicitur, præſtitere fidelitatis. Formam iuramenti permiſit noſtris concipere & præſcribere omiſſa fomula de invocandis Sanctis*. Triſtes ſanè temporum noſtrorum motus abundè ſatis docuerunt, non de nihilo fuiſſe Majorum modò memoratam conſuetudinem.

II. *Diligentem & accuratam Fœderis obſervationem*. Vbi temerè in deciſione Controverſiarum ab ea

fuit

fuit diſceſſum, ipſa ſtatim ſalus patriæ cœpit periclitari. Litigantes vel amicè componendi erant, vel in jus Helveticum vocandi. Si qui alia quæſiverunt Compendia, non rarò malè rebus Helveticis conſultum fuiſſe, eventu didicerunt. Orta hinc vult *Etterlinus*, Lucernas, pag. 72.b.73. bella, Tigurinum & Abbatiscellanum. Memorabilia ſunt ejus verba: Ja nach langem handel/da doch jetwedere parthey vermeint recht zuhaben/ritten der Eydgnoſſen Botten darzwüſchen: Alſo ward menger tag darvon gehalten vnd verſucht/ob man die zwey Ort möcht gerichten/vnd ab einanderen bringen. Aber es war alles vmbſonſt vnd vergeben: dann jetwederer theil wolte nicht nachlaſſen: Inſonderheit alß man redt/ſo wolten die von Zürich keins Recht eyngehen gegen denen von Schwytz/biß daß nach herwertz ein tödtlicher Krieg darauß war. Aber alß ich die ſach von meinen Elteren han vernommen/vnd ſonſt auch gehört ſagen/hetten dazemalen gemein Eydgnoſſen/ſo darzwüſchen rittend/jeglichem Ort geſeit/was darauff oder daran gelegen were/vnd wem ſie nach herwertz/wann es an die noht gienge/hülffen vnd beratten ſeyn müßten; es were villicht zu einem ſömlichen tödtlichen Krieg nie kommen/dann es wurden beyden partheyen gute wort gegeben/vnd vermeint jegliche parthey/ſie wurde von den Eydgnoſſen nit verlaſſen/damit ſo ward nüt guts darauß/ꝛc. Der ſolches in dem nechſt vergangnen Sangallen vnd Appenzeller Krieg auch than hett/es were villicht auch nit zu einem Krieg kommen.

III. *Aluerunt etiam Helvetiorum amicitiam mutuæ viſitationes, & amici congreſſus. Clariſſ. vir,* (ſcribit *Ioh. Iac. Friſ.* orat. de Concord. Miniſt. Eccleſ. p. 9. b.) *noſtri temporis I. B. omnium Hiſtoriarum atque antiquitatum peritiſſimus cauſam inquirens, ob quam Reſpublicæ Helvetiorum tot annos firmæ ſteterint, & in Democratia tanta pax ſit atque unitas, inter alia crebras contribulium congreſſiones producit: quibus amor mutuus, & familiaritas concilietur, conſerveturq́ꝫ, ex ſermocinatione nimirum, quæ fiat inter eos, ex invitatione.*

Tribuat huic ſingularum civitatum philtro ſobriè ſumto & uſurpato quantum quisque volet; hoc Majores noſtri non ſemel experti ſunt, ſolennes communis Helveticæ civitatis congreſſus non malè ceſsiſſe, ſclopetariorum præſertim, alibi aliâs, per Helvetiam, pro depoſitis brabejis decertantium. Teſtem habemus omni exceptione majorem, *Henricum Bullingerum*, cujus ad Ambroſium Blaurerum verba, an. Chr. 1549. ſcripta hæc ſunt: Der Schieſſet (malumus candidè & ſincerè loquentem ipſum audire authorem, quàm, verſione, verborum Emphaſin obſcurare) laßt ſich gar wol an. Es iſt ein ſehr redliche ſchöne geſellſchafft von mehrtheils orten der Eydgnoſchafft. Bern hat ſehr villeuth. Lucern in 35. Schwytz ein gute anzahl. Zug vil. Glarus vil. Basel vil. Solothurn 15. Schaffhauſen vil. Diſe alle haben ihre Rahts-botten zugeben/ ihre eigne Spilleuth/mit der Stätten vnd Länderen ſilbernen ſchilten/ſehr ſchön zugerüſt. Sie zeigen auch/daß ſie mehr vmb freundſchafft zumachen/dann anderer ſachen kommen ſeyen. Deren von Vri vnd Vnderwalden wartet man/ dann man ſagt/ihro kommen auch etlich. Geſter ſind in 300. Burger mit geſchütz vnd ſpieſſen den Frömbden zu ehren vmbzogen. Ich hoff vil guts. Gott verleihe ſein gnad. Es iſt jederman mit einanderen freundtlich.

Cætera jam mitto; & ad Methodum legendi Hiſtorias Helveticas feſtino.

Metho-

METHODVS LEGENDI HISTORIAS HELVETICAS.

COnſtitueram equidem בעון אללה ותופיקה Muſagetem dare Theologicum tripartitum, in eorum potiſſimùm gratiam, qui exteras ſalutaturi ſunt Academias. Prima pars, παρασκευαστικὴ, ſalutaria ſuppeditare poterat conſilia feliciter peregrinaturo: Secunda peregrinanti: Tertia ad functionem publicam vel apud ſuos, vel alios ſuſtinendam reverſuro. Illius, præter cætera, erat ſuadere, ne quis de exteris prius viſitandis oris eſſet ſolicitus, quàm ſuam ipſius penitius nôſſet patriam. Nata hinc & orta ſeria cogitatio non modò de Speculo Helvetico Helvetiis, ſed & Tigurino Tigurinis, ſtudioſis potiſſimùm ordinando. Quia verò alię me occupationes aliò nunc invitant, vel aliqua ſaltem de Helvetiis ingenere, & dilecta mea patria in ſpecie, oſtendiſſe, gratum erit. Proponam, primùm de univerſa Helvetia Canones in lectione Hiſtoriæ domeſticæ obſervatos: Vrbis deinde noſtræ qualemcunque, ex vetuſtis fideque dignis erutam monumentis exhibebit σκιαγραφίαν Oratio, publica authoritate, anno ſuperiori, recitata. Si qua fortè indulgentior videar patriæ alumnus, & afflicto, quo hæc ſcribebam ejus ſtatu; quo dejectis ubique animis medicina erat quærenda, & ipſi quoque στοργὴ, de qua poëta;

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui,

tribuatur. Præteritorum recordatione in ſpem futuri auxilii divini eramus erigendi. Ingrati profectò hominis eſt, ne dicam impii, ea velle ignorare, aut non ſatis inculcare, quæ benigniſſimus Deus tam larga conceſſit manu. Non ideò beneficia ſua Deus elocat, ut ruſticus ea pudor ſupprimat, ſed ut, nihil nobis tribuendo, omnem gratiæ ejus acceptam feramus felicitatem. Hoc Chriſtiani eſt, illud ne hominis quidem.

I. Celebre eſt, & decantatum ſatis apud Veteres, [a] Græcos pariter atque [b] Latinos, adde [c] Hebræos, & [d] Arabes, Helvetiorum nomen, origine tamen ſua minus [e] perſpicuum.

(*a*) I. *Plutarch.* Oper. Tom. 1. p. 716. in Cæſ. Ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν πρῶτος αὐτῷ τῶν κελτικῶν πολέμων, πρὸς Ἐλβηττίους συνέστη καὶ Τιγυρίνους, οἳ τὰς αὐτῶν δώδεκα πόλεις, καὶ κώμας τετρακοσίας ἐμπρήσαντες, ἐχώρουν πρόσω διὰ τῆς ὑπὸ Ῥωμαίους Γαλατίας, ὥσπερ πάλαι Κίμβροι, καὶ Τεύτονες· οὔτε τόλμαν ἐκείνων ὑποδεέστεροι δοκοῦντες εἶναι, καὶ πλῆθος ὁμαλῶς, τριάκοντα μὲν αἱ πᾶσαι μυριάδες ὄντες, εἴκοσι δὲ αἱ μαχόμεναι, μιᾶς δέουσαι. τούτων Τιγυρίνους μὲν οὐκ αὐτὸς, ἀλλὰ Λαβιηνὸς πεμφθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ, περὶ τὸν Ἄραρα ποταμὸν συνέτριψεν. Ἐλβηττίων δὲ αὐτῷ πρός τινα πόλιν φίλην ἄγοντι τὴν στρατιὰν, καθ᾽ ὁδὸν ἀπροσδοκήτως ἐπιθεμένων, φθάσας ἐπὶ χωρίον καρτερὸν κατέφυγεν. κἀκεῖ συναγαγὼν καὶ παρατάξας τὴν δύναμιν, ὡς ἵππος αὐτῷ προσήχθη. τούτῳ μὲν (ἔφη) νικήσας χρήσομαι πρὸς τὴν δίωξιν. νῦν δὲ ἴωμεν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, καὶ πεζὸς ὁρμήσας ἐνέβαλεν. χρόνῳ δὲ καὶ χαλεπῶς ὠσάμενος τὸν μάχιμον, περὶ ταῖς ἁμάξαις, καὶ τῷ χάρακι τὸν πλεῖστον ἔσχεν πόνον, οὐκ αὐτῶν μόνον ὑφισταμένων ἐκεῖ καὶ μαχομένων, ἀλλὰ καὶ παῖδες αὐτῶν καὶ γυναῖκες ἀμυνόμεναι μέχρι θανάτου, συγκατεκόπησαν, ὥστε τὴν μάχην μόλις εἰς μέσας νύκτας τελευτῆσαι. i. e. *Porrò bellorum Gallicorum primum cum Helvetiis & Tigurinis geſſit. Hi oppidis ſuis duodecim & quadringentis vicis incenſis, iter capiebant per Romanorum Galliam, ſicut olim Cimbri & Teutones; quibus nec cedere animo videbantur, utpote qui numero erant CCCM. ex quibus arma ferebant centum nonaginta millia. Horum Tigurinos non ipſe, ſed legatus eius Labienus ad Ararim amnem oppreſſit. Quum Helvetii ad oppidum quoddam ſocium exercitum admoventem repentè ex itinere adorirentur, occupavit ad locum munitum ſe recipere, quo loco contractis, inſtructiq; copiis, ubi fuit ei equus admotus, hoc poſt obtentam*

tentam victoriam inquit, ad conſectandos hoſtes utar: nunc in illos pergamus. Et pedibus profectus incurrit in eos. Poſtquam pepulit longinqua & acri pugna armatos, plurimum laboris habuit ad plauſtra & vallum: ubi non viri modò eum ſubſiſtere præliatiq; ſunt, ſed & pueri fœminæq;, uſque ad mortem defendentes ſe, conciſi ſunt. Protracta eſt in mediam noctem pugna.

II. Strabo, Geograph. lib. 7. pag. 202. *Ad eum lacum Rhæti paululum adſunt, ampliùs Helvetii, &c.* Et pag. 203. de Cimbris loquens ait: *Cumq; conflatâ latrociniis opes longè ſuis ampliores eſſe viderent, in Helvetios ſe contuliſſe, & præcipuè ex iis Tigurinos & Toygenos* (Tuginos, ut rectè habet *Glarean.* in Panegyr. Helvet. p. 67.) *ſolicitâſſe. Vniverſos verò delevêre Romani.*

(*b*) I. Agmen ducat *Cicero*, cujus Epiſt. ad Attic. l. 1. Epiſt. 14. hæc ſunt verba: *Atque in Repub. nunc quidem maximè Gallici belli verſatur metus. Helvetici, ſine dubio, ſunt in armis, excurſionésque in provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut Conſules duas Gallias ſortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, Legati cum authoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentq; operam, ne hæ cum Helvetiis ſe iungerent.* Et Orat. de provinci. Conſularibus: *C. Cæſaris longè aliam video fuiſſe rationem, non enim ſibi ſolùm cum iis, quos iam armatos contra populum Romanum videbat, bellandum eſſe dixit; ſed totam Galliam in noſtram ditionem eſſe redigendam; itaque cum acerrimis nationibus & maximis, Germanorum & Helvetiorum, præliis feliciſſimè decertavit.*

II. Succedat ipſe *Iulius Cæſar*, qui Helvetiorum vires omnium optimè fuit expertus. *Helvetii*, ſcribit Comment. lib. 1. pag. 16. *reliquos Gallos virtute præcedunt, quòd ferè quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cùm aut ſuis finibus eos prohibent: aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt.* Paginâ eâdem, & ſuperiùs, pag. 4. Helvetios vocat *homines bellandi cupidos, quiq; pro multitudine hominum, & pro gloria belli atq; fortitudine anguſtos ſe habere fines arbitrabantur.* P. 3.

Lucius Caſſius Conſul occiſus, exercitusq́; eius ab Helvetiis pulſus & ſub iugum miſſus.

III. Sed & *Cornelius Tacitus*, gravis Hiſtoriæ Romanæ conditor, lib. 1. pag. 563. *Irritaverant turbidum ingenium Helvetii, Gallica gens, olim armis virisq́;, mox memoria nominis, clara.*

IV. *L. Iulius Florus*, lib. 3. cap. 10. *Primus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit, qui Rhodanum inter & Rhenum ſibi, non ſufficientibus terris, venere ſedes petitum, incenſis mœnibus ſuis. Hoc ſacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, cùm inter moras Cæſar, Rhodani ponte reſciſſo, abſtuliſſet fugam, ſtatim bellicoſiſſimam ſic in ſuas ſedes, quaſi greges in ſtabula paſtor, deduxit.*

V. Qui in Tacitum de Popul. Germ. Comment. dedit, p. m. 61. exiſtimat, *Paulum Aemilium* Transjuranorum vocabulo ſignificare Helvetios, cùm inquit lib. 1. *Transiurani ferox genus hominum Burgundionibus, ante rerum potientibus attributi, & tunc ſui propè iuris effecti.*

VI. Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſeu Chriſtianis Helveticorum meminerunt.

A. *Oroſius* lib. 6. c. 7. *Helvetiorum animos (fortiſſimæ omnium Gallorum gentis ea vel maximè cauſa, quòd perpetuò penè cum Germanis altercabantur, à quibus Rheno tantùm flumine dirimuntur.) Orgetorix quidam princeps gentis ſpe totius invadendi Galliæ in arma incenderat.*

B. *Eutropius Presbyter*, Hiſt. Rom. lib. 6. *Caius Iulius Cæſar primò vicit Helvetios, qui nunc Sequani appellantur.* Id quod demum à Cæſaris tempore in uſu eſſe cœpit. Antea enim Gallis annumerabantur; poſtea Belgis, qui & Celtobelgæ dicuntur. Vide *Stumpf.* lib. 4. cap. 1.

(c) Sed poſteriorum tantùm confœderatorum. R. *David Gans*, Zem. Dav. an. Chr. 1414. Helvetiæ meminit: בימים ההם הסכימו האפיפיור ההגמונים ושאר

ושאר דוכסי אשכנז ועשו קונציליום פי׳ יום
ועד בעיר קאשטניץ אשר במדינת שוויץ *Diebus illis convenerunt Papa, Cardinales, & cæteri Duces Gemaniæ, ut convocarent Concilium Conſtantiæ, in ditione Suitenſium.* Et an. Chr. 1477. אחר זה עשרה
מלחמה גדולה נגד השויצר ונגד הצרפתים
אשר במלחמה ההיא דוכס קראלוס נהרג
נהרג עם יז׳ אלפים אנשי חיל *Poſtea magna geſſit bella cum Schvvizeris & Gallis, & occiſus eſt bello illo Dux Carolus cum 17000. viris ſtrenuis.*

(*d*) Helvetię tamen, aut Synonymorum ei quàm Helvetiorum vox illis eſt notior; Vide *Georg. Nub.* Part. II. clim. 5. pag. 221. Vocatur quidem Burgundia Alemannorum: at noſtros etiam Scriptores eos Burgundiones appellâſſe, quia videlicet Burgundiones parti Helvetiæ imperitârunt, fatetur *Stumpf.* annal. Helvet. lib. 4. cap. 2. Genevæ, Luſannæ, Rhodani, montis Iuraſſis, ſeu Iuræ, Baſileæ, expreſſam author Arabicus loc. cit. facit mentionem.

(*e*) Nec enim ſatis conſtat, unde Helvetii ſic dicantur. *Glareanus* exiſtimat, Helvetios nuncupatos quaſi Hell vetter/*cognatos Plutonis*, Idoli ſatis apud Gentiles famigerati. Non abnuo; Dubito tamen, utrum vox Vetter/Helvetiis iam tùm, cùm Helvetiorum antiquiſſimi Scriptores meminerunt, hoc ſenſu fuerit uſitata. Neque ſine exemplo à Numine aliquo veteres denominari volebant Helvetii. Conſtat enim Chaldæos, aliósq; apud priſcos Reges nominibus fuiſſe gaviſos ejusmodi compoſitis, quorum alterum Deaſtri alicujus fuerit, aut Idoli. Talia ſunt Nebucadnezar, Beltſchazar. Idem obtinuiſſe apud Arabes Muhammedanos, diximus *Hiſt. Orient.* pag. 277. Imò & Saracenos, teſte *Edvvard. Pocok.* ſpecim. Hiſt. Arab. pag. 95. & 101. *Datur enim*, ut ille ait, hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis primordia *ſua anguſtiora faciat*. Vnde & *Cæſar*

Comment.lib.7. *Galli ſe omnes ab Dite Patre prognatos prædicant*. Non deſunt tamen, qui Helvetios, ſeu, (ut *Glareanus* ſcribit) Helveteros dictos putant, quaſi Heldvätter/Heroum patres, vel ἥρωες ἄνδρες. Et quanquam non negemus, fuiſſe aliquos in Helvetia ὑπερφυοῦς μεγέθους viros, id quod varia eruditorum monumenta probant; certum tamen eſt, de plerisq; judicium *Caſp. Ens*, (de quo ſuprà) non longè aberrare à vero. A rebus itaque geſtis & magnis conatibus, quàm ſtatura corporis ita Helvetios denominatos veriſimilius eſt. Suo videbimus loco, cum maximis Romanorum & Græcorum Heroibus Helvetios ſæpe noſtros certâſſe.

II. De his autem Helvetiis, (qui [a] Burgundiones etiam deinceps vocati fuerunt & [b] Alemanni) libertati ſemper [c] aſſuetis, à [d] fortitudine, agrorum [e] fertilitate, munitæ [f] regionis commoditate commendatis, & in quatuor [g] pagos diſtributis, etſi multa dici poſſent; Contractis tamen & in compendium redactis meditationibus noſtris, Helvetiorum potiſſimùm confœderatorum, quos [h] Suizeros exteri vulgò, ſeu Suitenſes, à [i] Suitia dictos, appellant, rationem habebimus.

(*a*) Vt diximus ſuprá.

(*b*) Ab Alemannis trans-Rhenanis, qui ſedem in Helvetia quæſiverunt. Vide *Stumpf*. lib. 4. cap 2. *Beat. Rhen*. Rer. Germ. lib. 1. pag. 64.

(*c*) De qua re *Ioachim. Vadian*. Coment. in Pomp. Mel. pag. 170. *Illud non præterierim Helvetios Romanis iamolim fœderatos fuiſſe, ea tantùm conditione adiecta, ne in cives reciperentur, ne quis hodiernum libertatis*

tatis ſtudium novum eſſe his gentibus, aut prorſus tale quid permitti eis non debeat, occlamet. Meminit eius fœderis pro Cornelio Balbo M.T.Cicero. Vnde non malè *Caſp.Ens*, Theſ.Polit.Apotel.25. *Summa omnes Helvetii gaudent libertate.* Hinc maſcula illa Diviconis Helvetiorum Ducis reſponſio. Obſides enim dare à Cæſare rogatus dixit: *Ita Helvetios à maioribus ſuis inſtitutos eſſe, uti obſides accipere, non dare conſueverint: eius rei populum Romanum eſſe teſtem.* Comment. lib.1.pag.5.

(*d*) Confer quæ modò Aphor.1. attulimus cum Chronic.*Stumpf.*lib.4. *Franciſc. Guillim.*de reb.Helv. lib.1.Bull.de rebus Tigur.lib.1.

(*e*) *Iul.Cæſar.*Comment.lib.1 pag.10. Helvetiæ tribuit *bonitatem agrorum.* Sic *Rain.Marlian.* in Indice ſuo ſuper Comment.Cæſ. *Helvetii inter Celtas populi ſunt, bonitatem agri habentes.*

(*f*) *Iul.Cæſar* Comẽnt.lib.1. pag.1. *Id faciliùs eis Orgetorix* (Norbereich *Stumpfius* & *Guillimanus* reddiderunt) *perſuaſit, quòd undique loci natura Helvetii continteantur: una ex parte flumine Rheno latiſſimo atque altiſſimo, qui agrum Helvetium à Germanis dividit: altera ex parte monte Iura altiſſimo, qui eſt inter Sequanos & Helvetios: tertia lacu Lemanno & flumine Rhodano, qui provinciam noſtram ab Helvetiis dividit.* Conſule Indic. Rain. *Marlian.* in Comment. Cæſ.voc. *Helvetii*; ubi, poſitis Helvetiæ limitibus, addit; *Quibus limitibus adhuc duodecim Helvetiorum pagi, quemadmodum tempore Cæſaris, conſiſtunt.* Aliter tamen *Henricus Glareanus. Vndecim duntaxat*; ſcribit; *intra veros regionis Helvetiæ limites concluduntur. Baſilea enim non in Helvetiis, ſed in Sequanis iacet, & Schaffhuſia in Germania.* Idem reperias apud *Guillim.*lib.1.pag.5. Et *Caſp.Ens*, Theſaur.Polit.Apotel.49.pag.363. *Helvetiorum regio, quæ Germaniæ hodie magna ex parte annumeratur, quaſi dorſo Mundi impoſita videtur, ut quæ tota ferè præ cæteris Europæ partibus in altiſſimos montes attollatur.* Et pag.365.

Eſt

Eſt verò omnis Helvetiorum regio altiſſimis & præruptis montibus & ſaxis aſpera, & multis lacubus ac ſtagnis interſecta Natura, & ſitu, undique munitiſſima eſt, quum anguſti admodum per clauſtra & invias penè vias pateant ad eam aditus. Confer pag. 371.

(g) Duorum tantùm meminit *Cæſar*, Verbigeni & Tigurini. *Glareanus* quatuor pagos reſpondere putat quatuor fluviis Helvetiæ celebrioribus, *Tauro, Limago, Vrſæ* & *Ammæ*. Idem vult ejus Commentator, *Oſvvaldus Molitor*, Lucerinus. *Aegidius Tſchudius*, eúmque ſecutus *Guill.* in *Tigurinum, Vrbigenum, Aventicenſem* & *Antuatem dividit. Cluverius* Introd. Geog. l. 2. p. 79. *Hinc Helvetii in quatuor pagos diſtincti. Pagorum nomina, Tigurinus, Tugenus, Ambronicus,* & *Vrbigenus.* Tigurinus *nomen habuit ab oppido antiquiſſimo Tiguro, ſive, quod rectiùs ſcribitur, Turigo, nunc* Zürich. Tugenus *ab oppido Tugio, nunc* Zug. Ambrones *nomen habuêre à flumine quod accoluêre Amma, nunc* Emme: Vrbigeni *dicti ſunt ab oppido Vrba, nunc Orbe.* Ratio, quam ſententiæ ſuæ fulciendæ ſubſternit *Guillim.* p. 15. non videtur contemnenda.

(h) *Caſp. Ens*, Theſ. Polit. pag. 385. *Ex univerſa eorum regione aiunt circa quinquaginta peditum millia conſcribi poſſe. Horum 35. illi, qui propriè* Swizzeri *dicuntur.*

Hos autem origine Suecos eſſe poſt Ægidium Tſchudium optimi quique tradunt Hiſtorici. Vide *Stumpf.* lib. 4. cap. 12. Et *Oſvvald. Molitor*. pag. 60. *Ducunt autem Suiti (ut vulgi opinio eſt, quam hic Poëta ſequitur) originem à Suedis, qui in extrema, Septentrionem verſus Europa ſunt (alio nomine Gothi appellantur) cuius rei teſtimonium non modò noſtræ Hiſtoriæ adferunt, ſed & ii, qui vel hodie Suediam inhabitant. Ex quibus ſæpe quæſitum à Mercatoribus noſtris, quicquam ne haberent in annalibus, quod argueret expulſos ſanè ex ſua patria in noſtras, uti apud nos creditur, ſedes deveniſſe. De conformitate regionum, morum, naturæ, aliarúmque rerum, ut ſolet, nihil miniùs inquiſitum. Aſſeverârunt omnia,*

illud

illud adjicientes, miris ſe gloriari modis, tam laudatum, apud omnes gentes populum originem ſibi ferre acceptam. Certum eſt, magnam utriusque non modò gentis, ſed & quorundam Dialecti Idiotiſmorum eſſe γειτνίασιν. Obſervavit Clariſs. D. Ericus Odhelius, Gothus, digniſſimus in Vbſalienſi regia Profeſſor, meus per aliquot menſes hoſpes gratiſſimus, multas apud nos loquendi voces & formulas, per univerſam Germaniam ignotas, Suecis tamen familiares. Quid? quòd Suetiam cum Suitia ſenſu generali pro univerſa Helvetia ſumta exteri authores confundant. Vide *Anal.* P.I. pag. 167.

(*i*) *Felix Faber*, Monach. Vlm. lib. 1. pag. 191. *Omnes enim communitates iuncta Suitzeris cum eis nomen communicant, & Suitzeri à Villa Suitz nominantur. Sicut totum regnum Bohemia & Marchionatus Moravia ab una ſola perſona Huſs Huſſita dicuntur per univerſum mundum; ita adhærentes Suitenſibus Suizeri dicuntur. Oſvvald. Molit.* in Panegyr. Glareani, pag. 60. *Suicia ſequitur, unde omnes confœderati commune apud vulgos hodie tenent nomen Suitenſes, vel Suiceri.* Ratio hujus denominationis redditur varia. *Simler.* lib. 1. p. 23. b. *Hæc victoria ad Morengarten fundamenta firmavit Helvetici fœderis: Itaq; tum primum tres Pagi Fœdus, quod antea ad decennium fecerant, in perpetuum pepigerunt, & id in literas retulerunt. Ab hoc Fœdere Helvetii nomen acceperunt, ut dicantur* Eidgnoſſen/ *q. d. iuris iurandi participes, aut eodem iuramento devinctos; Exteri Suitzeros vocāt à Suitio pago, fortè quod primum pro libertate in eorum agro pugnatum ſit; aut quia diutiſſimè cum Eremitanis contenderunt, & primi omnium ex Pagis tribus, Auſtriorum irruptioni expoſiti fuerunt, & inter tres Pagos maxima eorum fuit potentia, nomine eorum, ut celebriori, reliqui etiam pagi ſunt comprehenſi, & ab his deinde nomen ad omnes Confœderatos dimanavit.* Prima Etymologiæ ratio etiam *Genebrardo* probatur, lib. 4. pag. 697. & extat apud *Guillim.* l. 2. p. 311. *Nec ceſſatum donec prælio Morengartenſi decerneretur, quo prælio, feliciter XVI. Novembris, depugnato, tres Civitates*

vitates Fœdus, quod inter ſe habebant certi temporis, in omnem perpetuitatem extendere placuit, perpetuumq́ factum die Martis, poſt Feſtum Nicolai, ſive IX. *Decembris, Brunnæ Suitiorum. Indéque & poſtea Suitiorum, apud quos primò pugnatum fuit, nomine, & fama apud nationes Helvetii omnes in celebritatem abierunt, Suitzeriq́ gens univerſa appellati.* Vunde verò Suitia? A Suito; *Guillim.*lib.3. pag.329. vel Suiterno, *Oſvvald. Molit.*vel Suitero, populi Duce, de quo prolixè *Stumpf.* l.4.c.12. plerique deducunt. Cæteri in nominis Etymo ridiculi ſunt. *Fel.Faber* Hiſt.Suev.pag.126. *Anno Domini* (inquit) 806. *cùm magnificus Carolus Saxones vi belli ad Chriſti fidem induxiſſet, illi Saxones Transalpini, qui in Cherſoneo Cimbrico reſidebant, reiecta fide poſt abſceſſum Caroli in priſtinos relapſi ſunt errores, quos dum piiſſimus Imperator ſemel, bis, ter, quater reduxiſſet, & ſemper recidivarent, omnem gentem illam cum uxoribus & parvulis per diverſas Germaniæ & Galliæ partes in exilium miſit, de quibus grandem accepit numerum, eosq́ trans Rhenum ad montana duxit, & inter Alpes in vallem, quæ Arta dicitur, à villa Arta in faucibus vallis ſita, collocavit, ut eam vallem, quæ adhuc deſerta erat, colerent, & meabilem faceret, quatenus viſitare Romam volentes, aut Italiam, vel Lombardiam, per vallem illam tranſire poſſent. Exigente autem Imperatore ab eis iuramentum de fidelitate & conſtantia in fide & in Imperii ſervitute, reſponderunt: Servi tui ſumus, ô Imperator, & Maieſtati tuæ ſerviemus, & in hac valle mundanda laborabimus, uſque ad ſudorem ſanguineum. Hoc ſic præſtito iuramento dixit Imperator; Ecce, tria iuramentum veſtrum implicat vel includit: Primum, quòd Imperio ſervabitis ſtabilem ſervitutem: Secundum, quòd in valle hac mundanda in labore ſudabitis: Tertium, quòd ſanguinem ſudabitis. Vt ergò memores illius iuramenti in perpetuum ſitis, do vobis in præſentiarum ſingularia præ cunctis gentibus. Pro primo articulo iuramenti veſtri do vobis, ut nuncupemini Confœderati, ſcil. Imperio, ut in ipſo veſtro nomine Sponſionis*

ſionis veſtra memores ſitis,ideo etiam in Theutonico nominatur Eidtgnoſſen. *Pro ſecundo articulo aliud impertior vobis nomen: quia eum promiſiſtis in labore deſudationem, hinc nomen veſtrum erit, & dicemini* Schwitzer/ *id eſt, ſudantes, quos Latini nominant Suitenſes, Italici Svviceros, Theutonici* Schwitzer. *Vnde ſtatim villam in valle ædificantes ipſam* Schwitz *nominaverunt. Pro tertio articulo, quia pro intenſo labore iurâſtis,vos ſudare ſanguinem,do vobis vexillum ſanguineum,nullo alio ſigno vel colore ornatum.* Nec felicior eſt in his originibus Helveticis & ἀνώνυμος ille, cujus meminit *Nauclerus*,Generat.44.pag.242. & *Nauclerus* ipſe. Recitabo verba ejus. *Circa annum Domini* 1300.*Suitenſes famari cœperunt, licèt origo Gentis multò ſit vetuſtior,de qua ſcribit quidam inveniſſe ſe Chronicon,in urbe Romana,quod referat,quòd tempore Sigeberti Suedorum Regis,& Chriſtophori Comitis Auſtrofriſonum fame compulſi fuerint aliqui eas regiones exire, & alias ſedes quærere per ſortem. Quòd exiverint ex Suedis ſex millia hominum,ex Friſonibus mille ducenti,præter mulieres & pueros,perveneríntq; adRhenum,ubi Priamo & Petro de Paludibus Francorum Ducibus impediti,vi & armis ſibi viam faciunt multis occiſis. Deinde ſpoliis diviſis per ripas Rheni aſcendentes, parúmque declinantes inter alpes,colles & lacus,ad locum Fracti montis Ducatus Auſtriæ diverterint,deſerta ibi ex licentia Comitis de Habſpurg eligunt,ſpinas evellunt,lapidibus purgant,terram ad culturam redigentes. Habebant autem tres Duces Suicerum,Remum & Vuadislaum. Suicerus cum Remo terras montis fracti,& alpes Longobardiam aſpicientes ſuſcipiunt. Vuadislaus vallem prope Ararim fluvium occupat. Factum eſt autem,quod tum Arcadio,Honorio,Imperatoribus,Nicolao, & poſt ipſum ZoſimoRomanis Pontificibus,Romani auxilio cuiusdam Eugenij Apoſtata rebellabant. His Alaricus,Rex Gothorum,cum Imperatoribus & Papa reſiſtere volentes, prædictos Duces Suicerum, Remum & Vuadislaum,iam bellicis rebus inſtructos,bellicoſos & feroces*

roces homines auxilii gratia invitaverunt, ſtipendia promittentes. Confeſtim Duces ii cum copiis arma ſumunt, & ſignati cruce cum Alarico Rege Romam perveniunt. Obſidetur urbs, Suicerusq; & ſui Civitatem Leoninam expugnant, caſis innumeris paganis. Eugenius poſtea cum maxima Romanorum multitudine obtritus eſt. Victoria itaque de inimicis obtenta, Papa Imperatoréſque Romani, volentes Suicerum ac ſocios remunerare ſtipendiis; id recuſabant, dicentes, pro Deo & fide tutanda ſe veniſſe, nihilq; aliud petere, quàm terram, quam occupaverunt, habitabilemq; fecerunt, retinere, & quòd immunes deinceps à tributo, nulliq; præter Imperatorem ſubiecti eſſent, daretur eis quoque vexillum rubeum, Chriſti ſtigmate ſignatum, quæ omnia obtinuerunt, & cum benedictione Papali ad propria reverſi ſunt, nihilominus auro & argento donati. Hæc & multò plura refert quidam Eulogius ſe in eodem Chronico inveniſſe, Plinium atque Franciſcum Petrarcham allegans, quæ brevitatis cauſa omitto, relatu enim digna non ſunt, cùm colorem veritatis non habeant: Quis enim mihi crederet, ſi diceremus, ſub Arcadio & Honorio Ducatum Auſtriæ fuiſſe, & quòd Alaricus, Gothorum Rex, Honorio & Arcadio Imperatoribus, Zoſimo Papa auxilia contra Romanos Apoſtatas & rebelles præſtiterit, cùm Alaricus Imperatoribus & Papa renitentibus urbem ingreſſus ſit atque ceperit, hoſtis quoque & adverſarius fuerit, nec ante Zoſimum aliquis Nicolaus Papa invenitur? Ex quibus convincitur Scriptor iſte Hiſtorias iſtas minimè intellexiſſe, ſed prorſus aberrare. Vnde veriùs videntur ſentire qui ſcribunt, Carolum Magnum an. D. 806. devictis Saxonibus ferociores ex eis, ad 10000. virorum cum uxoribus & liberis deportâſſe, & per diverſas Galliæ ac Germaniæ provincias relegâſſe. Cauſa huius fuit, quòd Gens iſta ſæpe ad fidem Chriſtianam converſa, toties apoſtatavit, & in vicinos crudeliter ſæviit, unde maximam ipſorum partem in Hungariam ſeptem Caſtrorum, ubi modò degunt, deſtinaverit: aliquos verò ad Comitatum Valeſiæ Sedunenſis Diœceſis

colloca-

collocavit; aliquos ultra montem Iovis in Longobardia, propè Auguſtam Taurinorum, Dominio nunc Ducis Mediolani, habentes adhuc linguam Teuthonicam, ut & Septem Caſtrenſes in Hungaria: Alios tranſtulit ad vallem Vrania, & arctam, ubi villa eſt eiusdem nominis (Art) *Conſtantienſ. Dioeceſ. montibus altiſſimis & lacubus munita, ut ibidem ſederent pro cuſtodibus, & dum ipſe Carolus in Italiam iturus eſſet, liberum haberet ingreſſum, fertur obligâſſe. Qui ubi conſederant Saxonica lingua feruntur dixiſſe:* Hie wollen wir Schwitten/ i.e. *hic volumus in ſudore terminos conſtituere, à quo verbo* Schwitten/ *Suitzer dicti ſunt. Et quia pro hac cuſtodia ſanguineum ſudorem emiſſuros ſe profeſſi ſunt, arma acceperunt pro ſigno aut vexillo penitus ſanguinei coloris nullo colore alio admixto. Inveniuntur autem Suitenſes controverſiam habuiſſe cum Comitibus de Kiburg, poſtea cum Comitibus de Habſpurg, ultimo cum Ducibus Auſtria.* Suitenſes Saxoniæ Colonias eſſe etiam alii, cætera doctiſſimi, hariolati. *Beatus Rhenanus* Vitos, Saxoniæ populum, qui reliquis Saxoniam occupantibus ad hæc devenerint loca, Suitiæ nomen dediſſe exiſtimat. Ita & *Alciatus* Mediolanenſis Annot. in Tacitum: *Eutropius*, inquit, *Helvetiorum ſedes à Quadis occupatas ſatis oſtendit, ut ſuſpicer omnes deletos, cùm Quadi, Marcomanniq́; ſub Aureliano in Italiam prorupere. Extat adhuc in eis vallis Marcomanna nomine: Periere & illi, atque ab Alemannis* (colluvies Germanorum erat) *ſuperati, in eorum nomen conceſſere: à Theodorico, deinde Gotho victi, Francis ex fœdere dediti ſunt; aucti demum Saxonum acceſſione, quos ob violatam plus ei fidem ſedibus eiectos Carolus Magnus, in alpes coniecit, Suitenſes cœpere dici: Paruere deinde regibus Germanorum. Centum ferè anni ſunt, cùm ſe cæſis præfectis in libertatem aſſeruerunt, cum cæde repreſſis Cæſaribus.* Atque ſic Helvetii Suitenſium nomine venerint ante fœdus? Cedò monumenta. Ridicula pleraque ſunt, & longiori examine vix digna. Propius ad veritatem accedit & mentem annalium do-

meſticorum auth. *Theſ.Polit. Apotel.*49. p.366.quanquam &illorum meminerit, qui Vittos Saxonum, Suitzeros eſſe volunt.

III. Methodum nempe dabimus cum fructu legendi Hiſtorias Helveticas, tum omnibus illis, quos cura aliqua tangit, aut deſiderium rerum Helveticarum, tum verò & cumprimis illis, quorum nôſſe eas refert.

IV. Id verò antequam fiat, Catalogum præmittemus eorum,qui animum ad origines & res geſtas Helvetiorum contexendas appulerunt.

Indignum profectò eſt patriam incolere incognitam,aut, ne ſatis quidem familiariter ſalutatam, relinquere,& exteras oras viſitare. Vnde ſæpe fit,ut hoſpes domi & peregrinus, foris de alliis interrogatus, ineptè reſpondeat de cœpis.Suam quisque patriam percurrat, ſi non corpore,ànimo ſaltem, quàm de aliis peragrandis regionibus & perluſtrandis ſit ſolicitus.Si patritio,& nobili, & cauſas oranti, jus,in quo verſaretur, ignorare turpe ſit.lib.2.ſſ.43.ff. de *Orig. Iur.* quid ni, & quemvis bonum civem ac Helvetici Fœderis germen nativæ telluris omina & nomina neſcire indecens eſſet?

V. Etſi enim Majoribus noſtris,[a] perpetuis bellis implicitis, magna inſuper cum [b] barbarie, exemplo reliquorum Europæ populorum colluctantibus, monumentis ſuas mandare res geſtas non licuerit: Illis verò, quibus, in [c] Monaſteriis quietè viventibus, otium non defuit,

defuit, fabulis, quàm Hiſtoriis, plebis aures demulcere volupe magis fuerit; ſingulari tamen DEI providentia accidit, ut & domeſticis & exteris authoribus, vel aliud agentibus, non pauca exciderint, ex quibus deinde pleniora contexi potuerint Commentaria.

(*a*) Quemadmodum enim Helvetiorum veterum nomen, & mentio ex quo ab A. Cæcinna, Vitellii Imperatoris Duce, cæſi ad Thermas fuerunt, paulatim Hiſtoricis fuit excuſſa. (Vide *Rhæt. Guler.* pag. 26.) Ita deinceps, poſtquam armis iterum, fœdere conglutinati, inclareſcere cæpiſſent, bipennem feliciùs quàm pennam verſare, pilum quâm ſtylum frequentiùs vibrare didicerunt. Vnde tot ſuperioris Seculi virorum magnorum hac de re vel querelæ, vel exprobrationes. *Oſvvaldus Molitor*, Lucer. Comment. in Carm. Glarean. de Helvetia, pag. 7. *Quàm difficilem rem ſit Poëta noſter aggreſſus in deſcribenda Helvetia, vel hinc manifeſtum, quòd ducem, cuius veſtigia notavit, habuerit neminem. Hactenus enim (ut verum fateamur) parùm apud noſtros tributum eſt literis, quocirca qui illis dederint operam fuerunt pauciſſimi. Eo modo res omnes, quas & regio ipſa laudabiles continet, & quæ à viris Helvetiis tum prudentiâ, tum fortitudine, non abſque ingenti gloria ſunt geſta, uſque adhuc iacuerunt.* Ipſe *Glareanus* p. 3. ait, oblationem ſcripti rem ea tempeſtate mirabilem, quando nemo antea apud noſtrates quicquam tale tentaverit, imò fortaſſis ne cogitârit quidem, niſi cantilenas vulgo decantatas commemorare libeat. Id ipſum de Rhætia etiam, & Rhætis cōmemorat *Guler. & Sprech.* Præfat. in Annal. Vnde & *Hildeb. de Riedmat*, Epiſt. ad Simlerum noſtrum: *Vtinam multi ex noſtratibus priſcis temporibus eo animo fuiſſent præditi, quo Tua humanitas eſt, in conſcribendis rebus geſtis! Quæ re effectum*

O 2 *fuiſſet,*

fuiſſet, ut multa egregia geſta memoratu aut memoria digniſſima, poſteritati tradenda, ab interitu vindicâſſent: & nunc cum magno ſolatio patria extarent: quæ alioquin oblivioni tradita ſunt. Licèt non dubitem plurima injuria bellorum atque incendiis olim periiſſe: ſed fortaſſis longè plura incuria conſcribendi ac poſteritati tradendi; perpenſa antiquitate huius regionis; cùm plus mille annis iam in Chriſtianiſmo extitiſſe Stumpfius, Munſterus & tua Scripta teſtentur. Vnde illud *Eraſmi: Helvetia nobilior armis, quàm literis.* Et *Caſp. Ens*, Theſaur. Apotel. xxx. p. m. 11. *Helvetiorum etiam exemplo probat, literarum ſtudia militiam enervare.*

(*b*) Quæ quidem cauſa eſt, cur tam paucis ſuam literis operam addixerint. Neque enim (quod in Gentis opprobrium confinxiſſe videtur autor *Theſauri Politici*) adeò ſterilis eſt Helvetia bonorum ingeniorum, quin literis exculta ad frugem perveniant. Docuit hoc poſteriorum temporum eventus.

(*c*) Rem ſuo loco exemplis manifeſtam reddemus: Specimina quædam dedimus in Præfat. Par. III. Hiſt. Eccleſ. Memorabilia ſunt verba magni illius Helvetiæ Polyhiſtoris Ægidii Tſchudii, Glaronenſis, ad Ioſiam Simlerum. Petiit hic ab illo, ut in cœnobio N. inquireret in veterum Helvetiorum monumenta; ſed quàm exiguam Mſc. illa ſpem fecerint, ipſius autoris exprimam verbis: Der büchern/ ſo in N. Gottshauß ob etliche Scribenten allda werind/ſo wyrdig an tag zegeben/ꝛc. Iſt warlich/meines wüſſens/nichts namhaffts. Es ſind etliche/ die ich geleſen Walafridi, Raperti, Noggeri, Eckhardi, barbariſch ding/ darinn nichts Hiſtoriſches einicher ordnung geſtellt: denn ſälten etwas angerührt wyrd ſo den Hiſtorien dienſtlich; das überig alles verdroſſen ding.

(*d*) De quibus diſtinctè agemus ratione primò habita *locorum*, deinde *materiæ*.

A. Inter Scriptores rerum Helveticarum TIGURINOS referuntur

a. Iohannes, Franciſcanus S. Montis, propè Vitodurum.

rum. Civis fuit Vitoduranus, qui eo ipſo vixit tempore, quo Helveticum Fœdus habuit initium. Autori huic plurimum tribuo, utpote qui pleriſque vel interfuit ipſe, vel ab iis cognovit, qui αὐτόπται erant & αὐτήκοοι. Ejusdem & Stumpfius ſæpe meminit, & Bullingerus & Simlerus. Αὐτόγραφον ipſius aſſervatur ἀνέκδοτον

b. Iohannes Kriegius de Bellickon, vulgò Johann Krieg zu dem Adler/ ex primis illis Reipublicæ Tigurinæ per Brunium reformatæ Senatoribus. Ejus meminit Bulling. Hiſt. Tigur. l. 8. c. 13.

c. Eberhardus Myllerus, vel *Myllnerus*, miles & Scultetus Tigurinus. Hic, Stumpfii teſtimonio, primus & antiquiſſimus eſt Helveticarum Hiſtoriarum conditor. Mentionem ejus crebrò injicit *Naucl.* Gen. 46. p. 256. & Gen. 47. p. 268. b. *Gerardus de Roo*, Veteraquinas, Hiſt. Auſt. lib. 4. pag. 122. 123. & alibi. Sunt & in Bibliotheca noſtra Civica annalium Helveticorum Tomi aliquot manuſcripti, in quibus non pauca ex Myllero reperias fragmenta. Ipſum verò Myllerum videre mihi hactenus non contigit.

d. Felix Malleolus, Canoniſta, Scriptis ſuis multa aſperſit, quæ lucem Hiſtoriæ Helveticæ afferunt. Vixit tempore Concilii Baſileenſis.

e. Felix Schmid, natione Tigurinus, profeſſione Monachus Vlmenſis, ſuperioris σύγχρονος, Annalibus Sueviæ Helvetiorum res geſtas intertexuit, ſed minus ἀκριβῶς.

f. Caſparus Frey, Reipublicæ Tigurinæ quondam à Secretis, cujus Situm Helvetiæ habemus ἀνέκδοτον.

g. Geroldus Edlibachius, Reipublicæ Tigurinæ Senator & Quæſtor, diligentiſſimè conſcripſit bella Tigurina, Lombardica, Burgundica. Habetur exemplar Mſc. in Bibliotheca Civica.

h. Henricus Brenvvaldius, prolixa poſteritati reliquit rerum Helveticarum, tam Politicarum quàm Eccleſiaſticarum, Commentaria, ex quibus multa Stumpfius in ſuos annales retulit. *Geſsner.* Biblioth. Fuit Stumpfius D. Breenwaldii gener, cujus exemplo ad re-

rum Helveticarum indaginem fuit excitatus; quam ei laudem tribuit *Præfat.Concil.Conſtant.* à ſe editi.

i Henricus Bullingerus, qui 40.annis in examine Hiſtoriæ patriæ inſumtis,res Helvetiorum libris 18.præter negotia concatenata intra unius penè anni decurſum, ita complexus eſt,ut vel χαλκέντερον aliquem Originem labor delaſſare potuiſſet. Eidem accuratam Reformationis Hiſtoriam debemus. Non infelicites ſæpe Bullingeri vitulâ arârunt *Scultet.*in Hiſt.Refor. & *Stettler.* Hiſt.Nuichtlan. Obtulit Scriptum Collegis ſuis die 21. Decembr.an.1574. Habet etiam Bullingerum authorem *Proſopopæia*,quâ DEUS beneficia ſua Helvetiæ collata recenſet,eidémq; ingratitudinem exprobrat. Conſcripſit librum Capellæ Ludi Magiſter,primúmque prodiit an.Ch.1528.ut ipſe fatetur, in vita ἰδιοχείρως ſcripta. Poſtea verò aliquoties ſub incudem revocatus,adeò placuit ſuperioris Seculi eruditis,ut ex eo potiſſimûm,dum pleniora expectârunt, Hiſtoriarum Helveticarum notitiam hauſerint. Vide *Paral.Vrſp.* pag367. Eodem pertinet præfatio ejusdem in lib.*Ioſ.Simleri*,de æterno Dei Filio, quâ à calumniis Helveticæ Genti per ἀνώνυμον (ſcribit tamen Bullingerus in vita ſua,ſe comperiſſe,famoſi illius libelli authorem fuiſſe Cardinalem Hoſium, Polonum) impactis, præſertim quòd indignè Nobiles tractarent,conterraneos ſuos purgat. Certum eſt 1. Multa Majoribus noſtris contra Nobilitatem Auſtriacam fuiſſe bella. 2. Omnes illos,qui libertati Helveticæ inſidias ſtruxerunt,aut Monarchiæ viam quæſiverunt,patriæ legibus fuiſſe aſtrictos,aut abire juſſos: quam felilicitatem ſuis etiam optat Germanis *Boëmus Aubanus*, de Europ.lib.3.p.248. Atque hoc nobilitatis odium rectè etiam limitat *Caſp.Ens*, Theſ. Polit.p.396.Apot.49. *Helvetii libertatem amant, ac ſummis viribus propugnant, imò omnem Nobilitatem odio habent, libertati ſcilicet infeſtam.* Atque hinc *vel maximè diſſidia illa orta, quòd Nobiles Auſtrii odio Vatiniano. Maiores noſtros preſſerunt & urſerunt.* Non diſſimulat hoc *Felix Fab.*lib.1.pag.190. *Tanto erant odio Suizeri Nobilibus, ut dedi-*

ut dedignarentur partem cum eis in aliqua re habere. Hinc demum (ut idem pergit) *vice verſa Suizeri adeò amaricati erant contra Nobiles, ut non potuerint vel nomina eorum audire.* Dixeris: *Cruda ſatis eſſe, quæ ſequuntur de magna Helvetiorum in Nobiles inſolentia.* Quæ illa? *Vnde,* inquit, *ſi quis in illo tempore in aliquo loco Suizerorum bona locutus fuiſſet de Ducibus & Nobilibus, vel aliquo verbo, aut ſigno oſtendiſſet, ſe de parte vel favore eorum, fuiſſet ſine indicio occiſus. Et tantum erat odium, ut in tota terra Suizerorum nullum ſuſtinerent pavonem, pro eo, quòd Duces Auſtriæ in galea habeant Pavonis caudam. Et ſi quis in pileo geſtâſſet pavonis penam, ſine interrogatione fuiſſet interfectus à proximo Suizero ſibi obviante. Audivi ſæpe, quòd quidam Suicerus, ſedens inter ſocios, ad menſam ante ſe habuit vitrum vino plenum: Sol autem ſplendens ad vitrum reſplendentiam facit ab alia parte in modum pennæ pavonis, præſertim ſi eſt puſtulis reſperſum. Quidam de aſſidentibus cernens reſplendentiam, dixit, ſine præmeditatione: Ecce bene formata & pulchra penna pavonis! quod cernens Svvizerus exemit gladium, & vitrum cum blaſphemiis, maledictionibus cadens in multas comminuit particulas. Sed & arma Ducum Auſtriæ depicta in parietibus abraſerunt in Eccleſiis & hoſpitiis.* Fuerunt hæc, fateor, animi abalienati haud obſcura olim indicia, à nonnullis, in quibus, pro more, patientia læſa migravit in furorem, exercita. Sed nonne ipſi quidam infortunii hujus Nobiles erant fabri? Quæ enim primi libertatis vindices & ſequentes propagatores convitia ludibria & ſannas devorârint à Nobilitate, quæ exercitus ut plurimum in Helvetios ducebat, vel ex iis judica, quæ obiter delibavimus *ſuprà,* pag. 186. Vnde, ut gratia gratiam, invidia invidiam, ſic odium peperit odium. 3. Multos in Helvetia adhuc eſſe Nobiles, qui vel ipſi ad Reipublicæ gubernacula ſedentes Helveticæ libertatis fortiſſimi ſunt hyperaſpiſtæ; vel à Magiſtratibus defenduntur, ſalvis ubique eorum privilegiis, juribus, arcibus, dominiis. 4. Nobilitatem domeſticam ma-

ximam cladem ab ipſa paſſam Nobilitate. *Prodiit*, ſcribit *Balling*. præf. cit. *ſcriptum, contra Helvetios editum ante annos plurimos, in quo longus contexitur Catalogus familiarum nobiliſſimarum à gente noſtra exciſarum. Sed quibus cognita eſt Hiſtoria, nôrunt præcipuas illas familias, quas Scriptum illud recenſet, à poſteris filiisve Alberti Principis Habſpurgici Auſtriaciq; & Imperatoris eius nomine primi, eſſe deletas. Dum enim Albertus non procul à Vindoniſſa, & propè traiectum Vrſa amnis, in ipſis campis (ut ſic per anticipationem vocem) regiis, conſilio vel conſpiratione & opera quorundam harum regionum Nobilium, à Iohanne Comite Habſpurgico, nepote Alberti ex fratre Rodolpho, Duce Suevorum iam defuncto, confoſſus interiiſſet, & eius uxor Elizabetha Carinthia, liberi item regii, Leopoldus Dux Auſtriæ, & Agnes Regis Pannonum Andreæ relicta vidua, bellum univerſa propemodum harum regionum nobilitati, ut patricidij conſcia, intuliſſet cruentum, tunc quidem bona pars nobilium iſtarum familiarum ſublata & exciſa eſt. Equidem illo bello Auſtriaco, plurima nobilium arces everſa, & multa ſolo ſunt æquata, magna item nobilium turba, quæ ſe conſtanter patricidii inſontem eſſe, reiectâ in alios culpâ, affirmabat, caſa, pars quoque gladio eſt conciſa, quidam rota ſunt implicati & affixi, multi fuga ſibi conſulentes in exilium ſunt acti*. Hæc πιερέγως.

k *Theodorus Bibliander*, cujus non pauca apud noſtros extant tum conſilia Irenica, tum threnodiæ, quibus Hiſtoriæ Helveticæ nucleus continetur & medulla.

l *Iohannes Stumpfius*. De quo *Geſnerus* in Bibliotheca. *Iohannes Stumpf Verbi Miniſter in agro Tigurino, Germanico ſermone deſcripſit univerſale Concilium Conſtantienſe, excuſum Tiguri apud Froſchoverum*, 1541. *Scripſit etiam Helvetiæ Hiſtoriam Germanicam, cum tabulis locorum exquiſitiſſimè pictis. Deſcribit autem obiter etiam Germaniam, Galliam & Italiam, opus duobus tomis excuſum Tiguri.* Idem edidit Epitomen Hiſtoriæ Helveticæ excuſam ibidem, anno

Domini

Domini 1554. De hoc Scriptore non eſt, ut multa dicamus. Quanto ſtudio hanc Spartam exornârit, patet ex adverſariis ipſius, quæ longè ſunt & plura, & fuſiora, quàm vel ex duobus editis tomis, vel ex Compendio colligere poſſimus. Ea interim, quæ edita ſunt, & authoritate publica promovebantur, ut videre licet ex Dedicat. Compendii, a. Ch. 1554. typis excuſi, & in Helvetia univerſa, cui Editionis patrocinium deferebatur, magni æſtimabatur; & à Zoilis, qui tantos nonnunquam rodebant conatus, (quos inter etiam eſt *Gérard. de Roo.* loco ſuprà citato) maſculè & fortiter vindicabatur. Vnde *Ioſ. Simler.* ad Epiſcopum Sedunenſem, præfat. deſcript. Valeſ. *Ceterùm, inquit, in meis commentariis conſcribendis Stumpfium laudatiſſimum rerum Helveticarum Scriptorem in pleriſque ſecutus ſum. Is namque ſingulas Helvetiæ regiones, lacus, flumina, eorúmque fontes, decurſus, montium iuga, vallium anfractus, oppida, arces, pagos, familias illuſtres, hominum ingenia & mores, Reipublicæ rationem, res denique domi forisq; bello & pace præclarè geſtas, ſingulari, fide diligentia penè infinita perſequitur, ita ut illi hoc nomine multum debeat univerſa Helvetia. Iniquiſſimè autem faciunt moroſuli quidam homines, qui, cùm ipſi nihil in lucem proferre audeant, interim graviſſimos diligentiſſimi viri labores carpunt, neque cogitant, ipſorum reprehendendo ſimul quoque à ſe damnari multos clariſſimos viros, & lumina Helvetiæ noſtræ, quorum conſilio & ope uſus eſt in ſuis Chronicis, quos omnes hic nominare non [illegible].* Quam honorata ejus fuerit in Helvetia ipſa opera, diximus in Hiſt. Eccleſ. Secul. IX. pag. 623. Ipſe quoque Sedunenſis Epiſcopus, *Hildebrandus à Riedmatten*, ſuâ ad Simlerum noſtrum, Epiſtolâ, haud obſcu[illegible] Stumpfio diligentiæ perhibet teſtimonium. Nec ex aliis Scriptoribus viri induſtria ignota fuit. Vnde & apud *Vſſerium*, in Antiquit. Britannicis, & apud *Alſtedium* in Encyclopædia, & in plurimorum aliorum Scriptis crebra Stumpfii noſtri mentio. Quod cur moneamus hoc loco, in-

de Lector conjiciat, quæ Hiſtoriæ noſtræ Sec.IX.p.623. aſpergere fuimus coacti.

m Ioſias Simlerus; cujus habemus I. *Rempublicam*, quæ in varias converſa linguas, omnium pene manibus teritur. Quantum lucubrationi huic tribuatur, non ſemel ab iis didici, quibus per ſtudiorum progreſſus, de laboribus ejusmodi judicare licet. Crebrò citatur à *Calviſio*, & aliis magni nominis Hiſtoricis. II. *Prodromum* Hiſtoriæ Helvetiæ, deſcriptionem nempe Valeſiæ. Quæ ad Helvetiorum laudem & æternitatem ab illo contexta fuerint alia, præfatione libri jam citati ipſe monuit. *Cùm*, ſcribit, *proximis aliquot ætatibus clarum & celebre fuerit nomen fœderatorum populorum, qui hodie omnes à Latinè loquentibus Helvetii, veteri unius populi nomine, vocantur, ſæpe admiratus ſum; neminem hactenus extitiſſe, qui ipſorum res bello & pace præclarè geſtas, ad hæc regionis ſitum, & hominum mores, Latina lingua deſcriberet, quo noſtra etiam ab exteris & remotis gentibus cognoſci poſſent. Præſertim cùm non defuerint homines docti & eruditi, quibus hoc præſtare non fuiſſet difficile, maximè, cùm privatim extent non pauci vernacula lingua conſcripti commentarii rerum Helveticarum, & præſertim in publicum dudum prodierint Chronica Ioha. Stumpfii, quibus Helvetiorum & reliquarum Confœderatarum gentium plena & accurata deſcriptio continetur. Sæpe etiam interfui exterorum hominum ſermonibus, Italorum, Gallorum atque Germanorum, quibus ſe ſe Latinam Helvetiæ deſcriptionem valde expetere oſtendebant: ac illi quidem linguæ noſtræ prorſus ignari, Scriptis vernacula lingua editis ſe nihil iuvari dicebant: alii verò non ita aſſueti noſtræ dialecto, maluiſſent etiam ipſi eadem Latinè cognoſcere. Horum igitur ſermonibus commotus & amicorum adhortationibus impulſus, Helvetiorum res Latino ſermone mandare cœpi: non quòd me tantarum rerum deſcriptioni parem eſſe exiſtimem, ſed ne tam pertinaci noſtrorum hominum ſilentio (ut hactenus factum eſt) Maiorum noſtrorum præclarè facta ignorantia & oblivione ſepulta*

ſepulta maneant. Caterùm, ut huius noſtri conatus & inſtituti guſtum aliquem noſtris hominibus præberem, libros duos de Valleſia hoc tempore in publicum edidi, &c. Conſtituerat (ut ex Epiſtola Tſchudii ad eum ſcripta, colligo) opus ſeptem diſtinguere libris: Partibus duabus majoribus, quarum primæ aſſignavit res geſtas Helvetiorum à prima Gentis claritate ad an. Ch. 1519. Alteram eſſe voluit Chorographiam, Topographiam, & Genealogiam. Hac enim urbes, vicos, villas, caſtella, fluvios, aquas; ſtemmata item & natales patritiorum & Nobilium Helveticorum exhibere ſtatuit. Libri hujus Epitomen autor communicaverat per literas, *Ambroſio Puntinero*, Pro-Ammano Vrienſi.

n Rodolphus Simlerus, M.D. Ioſiæ filius. Hic non modò paternis ſubſidiis adjutus, ſed naturali impetu ad patrias Hiſtorias cognoſcendas excitatus, interruptam Patris, & Ægidii Tſchudii defuncti, telam pertexturus, non Latino, quod Patris erat cæptum, ſed Germanico ſtylo Tſchudii affectos labores perficere, & duobus libris univerſam Helvetiæ hiſtoriam enarrare conſtituerat. Primò libro Chorographiam; ſecundo Hiſtoriam conſecrat. Sed Germanicis ipſius conatus exprimam verbis, *αὐτογράφως* opportunè, dum hæc meditarer, mihi oblatis: Jch hab mir genommen, nach fleiſſiger bedaurung des gantzen Werks/die vngleichen materien von einanderen zeſönderen/was vnvollkommen auß vnſeren Hiſtoricis, fürauß aber auß den hinderlaßnen Manuſcriptis meines Vatters/auf das beſte zuerſetzen/vnd alles endlich in hochteutſch nachfolgender ordnung in zwey bücher verfaſſen. Das erſt begreifft die beſchreibung des lands/das ander ein beſchreibung des ſtandts. Durch die Landbeſchreibung verſtehe ich ein grundtliche verzeichnuß vnd abmeſſung der landen Galliæ, Alemanniæ, vnd fürauß Helvetiæ, ihrer landmarken/gelegenheiten/flüſſen/ſtätten/flecken; ſamt einer fleiſſigen erforſchung des vrſprungs/fortpflantzung vnd vilfaltiger änderung der land nammen/in welchen Tſchudt für andere auß glückhafftig geübt wär: vnd wird diſer

theil

theil vil liechts vnd fürdernuß bringen zu gründtlichem verſtand viler zweifelhafftiger orten bey Cæſare, Tatiano, Ptolomæo, vnd anderen. Was dann anlanget die Standtbeſchreibung / verſtehe ich gleichfals durch dieſelbige ein waarhafftige vnd in alten bewehrten Hiſtoricis wolgegründete erzellung der völckeren Galliæ, Alemanniæ vnd füerauß Helvetiæ: Jhres vrſprungs / fortpflantzung / vnd vilfaltigen änderung / im Regiment / ſprach / ſitten vnd gebräuchen / geiſtlichen vnd weltlichen Standts / vor vnd nach erkanter waarheit Chriſtenlichen glaubens.

e. Iohannes Henricus Suizerus, cujus edita eſt Chronologia Helvetica, res geſtas Helvetiorum ab anno Mundi 1656. ante Chriſtum natum 2314. ad annum uſque Chriſti 1607. enarrans. Compendioſus eſt Scriptor & accuratus. Neque ejusdem annales Helvetici laude carent. Hiſtoria cumprimis bellorum Italicorum, Methodo & prolixa tractatione, non diſplicuit, aut ſupervacanea, viſa fuit iis, quibus legere eam datum eſt. Habemus etiam D. *Iac. Huldrici* Scriptum Hiſtorico-Irenicum, quo ætates florentis Helvetiæ perſpicuè & exactè diſpeſcuntur, & alia nonnulla, quibus Antiquitas urbis, Eccleſiæ, & Reipublicæ Tigurinæ, contra Gretſerum Ieſuitam, aſſeritur. Sed typis hæc proſtant in Vindic. Bibliorum Tigurinorum. *Murerus*, in Helvetia Sancta, p. 55. Hiſtoriæ Tigurinæ an. Ch. 1470. & p. 162. alius, an. Ch. 1444. ſcriptæ meminit.

B. Ex BERNENSIBUS habemus

I. Chronica *Benedicti Tſchachtlani*, viri inter ſuos honorati & ordinis Senatorii, ab urbe condita ad an. Chr. 1470. Rarum eſt ſcriptum & operoſum, ex ipſis D.D. Bernenſium archivis erutum. Eandem curam, publico Senatus decreto ante jam, an. Ch. 1420. *Conrado Juſtingero* injunctam fuiſſe, commemorat *Stettlerus*, lib. 3. pag. 122.

II. *Friccium*, Archigrammateum, in cujus Epiſtolis, etiam *ἀνεκδότοις*, nonnulla Hiſtoriæ, Eccleſiaſticæ tamen magis,

magis, quàm Politicæ comoda, extant fragmenta. Romam enim miſſus, pro jure inveſtituræ obtinendo, *Stettler*.lib.5.pag.208.multa obſervavit, quorum ſpecimina dedimus in ὁδηγῷ Part.III.p.365. & 426. Vt non ſine cauſa idem miretur *Stettlerus*, tantum virum eò adduci potuiſſe, ut ſuam etiam operam Epiſcopo Lauſanenſi in proſcribendis & exterminandis erucis ſeu ſcarabæis a.Ch.1479.addixerit. Vide Drama & totum proceſſum forenſem loc.cit. & *Hiſt.Eccleſ.*Sec.XV.p.317. Ejusdem meminit *Tſchachtlanus*, ad an.Ch.1470.

III. Sunt etiam Annales Helvetii, quos *Henrico Lupulo* Canonico Bernenſi quidam tribuunt. Sed neque hi publici juris ſunt facti. Non pauca habet de origine Fœderis Helvetici, & Fœderatorum bellis. Quo tandem referri debent Chronica Mſc.*Regio-Campenſia*: Et, ut nonnulli volunt, *Hiſtoria Iacobi de Küngshoven*, Teutonici ordinis, cujus nomen in Hiſt.Auſtriac.*Gerardi de Roo* extat.p.105.

IV. Atque ex his & aliis ſuccum nobis dedit *Michaël Stettlerus*, duobus Hiſtoriarum Helveticarum tomis, noſtra demum ætate editis.

C. LUCERNATES.

I. *Diepoldus Schillingerus*, Canonicus. Hoc quidem nomine venit apud *Murer*. Helv. S. pag.313. Vereor tamen, ne idem ſit cum illo, cujus poſtea ſubjiciemus nomen.

II. *Petermannus Etterlinus*, Scriba Lucernenſis, de ortu & ſucceſſu Fœderis Helvetici multa collegit, & vulgavit an.Chr.1507. Bella Burgundica & Suevica, quibus ipſe interfuit, prolixiùs enarrat. Eum tamen *Bebelius*, de laudibus Suevorum, iniquè, & contra pacta Baſileæ an.Chr.1499.recepta, atque publica Imperatoris authoritate munita, conviciis intolerabilibus exagitat.

III. *Oſvualdus Molitor*, Lucerinus, Commentaria ſcripſit in Glareani de Helvetia carmen.

D. *Huldricum VVagnerum* SUITENSEM bellum Tigurinum breviter deſcripſiſſe, habet *Graſſerus* Herol.p.156.

D. Ex Tuginis occurrit

VVernherus Steinerus, Tugienſium Ammanus, cujus poſſidemus I. *Epitomen* rerum in Helvetia geſtarum, ab anno Chriſti 1503. ad 1513. II. Notas quasdam in Etterlini Hiſtoriam. Vtrobique ſe prodit virum magnum, patriæ amantem, & eorum, quæ refert *αὐτόπτην* *καὶ αὐτήκοον*.

E. Glaronenses.

His Hiſtoria Helvetica publica accuratior, ſua penè debet incunabula. Primam enim glaciem fregit *Henricus Loritus, Glareanus*, Patritius Glaronenſis. Ejus eſt Panegyricon illud, cujus aliquoties jam meminimus. Lampadem tradidit diſcipulo & Affini Dn. *Ægidio Tſchudio*, qui obſervavit *a*. Fabuloſa penè eſſe omnia, quæ creduli nonnulli homines de Helvetia confinxiſſent. *b*. Non aliam eſſe rationem accuratæ conſcribendæ Hiſtoriæ Helveticæ, quàm ex publicis Inſtrumentis & documentis. *c*. Corrupta Helvetiorum aliorúmque vocabula mira felicitate ad fontes reduxit. Ei acceptam ferimus exactam Rhætiæ, & vicinarum Alpium Chorographiam. Deſcriptionem Galliæ, ſeu, ut mavult *Rodolphus Simlerus*, Helvetio-Galliæ, apud poſteros ejus aſſervari audio.

Eſt & aliud Mſc. Glaronenſe, quo res in Helvetia ſuperiori Seculo geſtæ recenſentur.

F. Ex Basileensibus non contemnendam patriæ præſtiterunt operam

I. *Sebaſtianus Münſterus*, qui Cosmographiæ lib. 3. cap. 55. deinceps prolixè, candidè & ſolidè Fœderis Helvetici origines oſtendit.

II. *Henricus Pantaleon*, cujus Proſopographia virorum illuſtrium non paucos exhibet Heroes Helvetiæ.

III. *Chriſtianus VVurſtiſius*, Mediolanenſia, Suevica, Burgundica bella Chronicis Baſileenſibus attexuit.

IV. *Iacobus Graſſerus*, cujus notum eſt Horologium & Itinerarium Helveticum.

G. Inter FRIBURGENSES animum ad ſcribendam Hiſtoriam appulerunt

I. *Franciſcus Guillimannus*, cujus publicè proſtant de rebus Helvetiorum libri 5. Certum tamen eſt, & in illo Scripto, & in Habſpurgicis, eum nonnunquam cecpitâſſe, id quod nuper etiam obſervavit *Abbas Murenſis*. Vide ejus Orig. Comit. de Habſp. p. 87.

II. *Sebaſtianus Veronius*, qui in Chronicis Eccleſiæ, Helveticam Hiſtoriam non reliquit intactam.

H. SOLODURENSIS fuit

Diebold. Schilling, qui tamen, mutata ſede, Bernam migravit. Publicis ibi functus honoribus (erat enim Scriba fori, ſeu Dicaſterii) prolixa Helvetiæ condidit monumenta. De Carolo Burgundo, ejus apparatu, magnificis conviviis, acceptis cladibus, & morte copiosè agit. Pleriſq; ſe interfuiſſe monet. Cantilenas Majorum noſtrorum de commiſſis præliis, magno numero collegit, in quibus ſi non ornatum, veritatem tamen & animum meritò exoſculêris.

I. Nec deſunt ABBATISCELLANIS ſuæ Reipublicæ origines.

Eſt ad manus Compendium Hiſtoriæ Abbatiscellanæ Mſc. quo non pauca continentur, quæ gentis fortitudinem aliis commendent. Nec dubitandum, quin & illi, & cæteri Helvetiæ Cantones plura habeant, quæ tamen hactenus inveſtigare non potui. Eorum tantùm memini, quæ vel ipſe habeo, vel, ubi opus fuerit, oſtendi poſſunt.

Sed & alii, Helvetiorum Confœderati, aut ſocii eandem magna cum laude patriæ ſuæ retulerunt gratiam. Sangallenſibus *Vadianus*, (à quo, niſi & negotia, & præmatura fratris *Melchioris Vadiani* mors invidiſſent, plura certè haberemus: Id ipſum enim de ſe, & fratre pollicebatur Ioachim. *in Melam*, pag. 169.) Rhætis *Gulerus*,

Sprecl e-

Spræcherus,& cæteri, quoum mentionem fecimus Præfat. Part. III. Hiſt. Eccleſ. Turgoja *Goldaſtum* habet, cujus pro Helvetia ſcripta non ſunt obſcura aut ignota. Deliteſcit etiam hinc inde ἀρχοντογραφία Abbatum Sangallenſium Mſc. ab an. Chr. 1335. ſeu à Cunrado de Buſsnang. Ejus non ita pridem copia mihi facta eſt. Puto apud *Stumpſium* Scriptum hoc venire nomine *Actuum*. Vide lib. 5. pag. 308. Aliquid inſuper tentâſſe, *VVernherum Schedelerum*, Tabularium & Prætorem Bræmogartenſem, meminit *Guillimannus*, apud Dominicum, Abbatem Murenſem, p. 110. ubi & auctoris, qui de Monaſteriis agri Tigurini ſcripſit, mentionem facit. Quem innuat Scriptorem, non aſſequor. *Henricus Murerus* Carthuſianus, ejusmodi à ſe ſuſceptum laborem, aliquoties commemorat.

VI. Exteri auctores, etſi nec pauci, nec indocti ſint, qui Helvetiorum res geſtas accuratè pertractârunt, quorum nomina magnam expreſſimus partem, recentiorum tamen adhuc aliquot dabimus lucubrationes.

Agmen ducit I. *Ranuccius, Comes Scottus*, Placentinus, Burgi S. Comini Epiſcopus, Nuncius Pontificis Romani apud Lucernates, noſtra memoria, ordinarius, (cujus nomen & memoria in ara templi Lucernenſium maxima extat) duabus partibus Helvetiorum res comprehendit, illam *profanam* appellavit, hanc *ſacram*. *Illa* ordine exhibet Helvetiæ ſitum c. 1. Originem Helvetiorum. c. 2. Mores Helvetiorũ Politicos. c. 3. Conſuetudines militares. c. 4. Diviſionem veteris Helvetiæ in Pagos. c. 5. De Comitiis & Fœderibus Helvetiorum variis. c. 6. In ſpecie ſingulos Helvetiæ Cantones, Rhætos item & Valeſios deſcribit. *Sacra Helvetia* tantùm proponit, quæ ad ἐπισκοπὴν Pontificiam pertinent, ut ſunt 1. Nunciatura Helvetica, quâ primùm occaſione, & qui

& qui ad noſtra uſque tempora Româ ad Helvetios, miſſi ſint nuntii, pag. 7. 2. Ritus Pontificiorum Eccleſiaſtici; 3. Epiſcopatus, Nuntiaturæ ſubjecti, Conſtantienſis, Sedunenſis, Lauſannenſis, Curienſis, Baſileenſis; 4. Abbatiæ, Sangallenſis, Eremitana, Murienſis, Rhinauienſis, Fiſchingenſis, Fabariana, Engelbergenſis, Deſertina; Mariſtellæ, aliæque plures in agro Suevico, Wittenbergico, Helvetiæ vicinæ. Prodiit liber Italicè an. Ch. 1642. Habet nonnulla, à quibus Hiſtoriæ Helveticæ lux accedit, cætera à noſtris mutuavit, non tamen, ſive rem ipſam ſpectes; vide P. 1. p. 17. ſive nomina propria, pag. 28. 49. ſive Chronologiam, pag. 56. 61. ſatis bona fide.

II. Eſt *Daniel Eremita*, cujus terſa planè & polita de Helvetiorum, Rhætorum, Sedunenſium ſitu, republica, moribus extat Epiſtola cum commentariis, ad Ferd. Gonzagam, Mantuæ Ducis filium. Si candoris ubique & ingenuitatis, quot eloquentiæ, extarent veſtigia, multis aliis palmam facilè præriperet.

III. Succedit *Marcus Zuerius Boxhornius*, Lugdunenſium Profeſſor celeberrimus, qui in Hiſtoria univerſali ad annum Chr. 1298. occaſione Alberti Cæſaris de rebus ab Helvetiis pro libertate geſtis fusè agit. Sed Guillimannum ferè ſequitur. Ab ovo verò totam gentis Hiſtoriam arceſſit an. Ch. 1494. p. 1067. & deinceps. De ordine, quo quique Cantonum in fœdus ſunt aſciti, & præliis, quibus libertas contra varios hoſtes fuit aſſerenda, compendiosè & disertè ſcribit.

VII. Operæ etiam pretium fuerit in promptu habere authorum nomina, qui Helvetiorum res ſigillatim pertractant.

Ergò I. de veterum Helvetiorum fortitudine, moribus, lingua, bellis, &c. conſulatur *Iulius Cæſar, Tacitus, Oroſius*, & reliqui, ex quibus pauca quædam delibavimus. Ex recentioribus *Stumpfius, Bullingerus, Guillimannus, Tſchudius, Schwizerus, Stettlerus, Gulerus.*

P II. De

II. De occaſu eorum, & primæ libertatis interitu, à Romanis illato iidem te poſteriores docebunt.

III. De emergente iterum ſub Francis primò, deinde & Germanis Helvetiorum nitore, variis eorum ab Imperatoribus impetratis privilegiis, præ cæteris, prolixè agunt *Bulling. Stumpf. Guillim. Münſterus*, ipſe etiam author *Theſauri Politici*.

IV. Occaſionem Fœderis enarrant iidem, *Felix Faber. & Vitoduranus, Nauclerus, Gerardus de Roo, &c.*

V. Rempublicam Helvetiorum deſcribit *Guillimannus, Simlerus, Bodinus, Caſp. Ens, Daniel Heremita* Belga, Epiſtola ad D. Ferdinandum Gonzagam, Mantuæ Ducis Filium.

VI. Topographiam, Potamographiam, Chorographiam ſuppeditant *Glareanus, Molitor, Stumpfius*, & alii, de quibus faſciculus authorum de Republ. Helvetica, Amſtelodami in 12. editorum. Quibus addi poteſt brevis Helvetię deſcriptio *Henrici Schvvizeri*, Hiſtoriæ ejus, ſeu Chronicis præfixa; & *Ioh. Iacobi Graſſeri* itinerarium.

VII. In Fœderibus Helvetiorum, tum mutuis inter ſe, tum cum aliis etiam ſancitis, *Simlerus* & *Guillimannus* ſatisfecerint. Plura tamen in Fœderum libro Mſc. continentur.

VIII. Heroum Helveticorum laudes decantant *Pantaleon* & *Graſſerus*.

IX. Prælia & bella Helveticorum, ætátibus ſuis diſtincta, notantur ſequentia:

a. *Auſtriacum* quinquennale, poſt Fœdus ſtatim Helveticum, confœderatis illatum. Incidit in hoc tempus obſidio urbis Tigurinæ, bis ab Alberto Duce Auſtriæ, & ſemel ab ipſo Imperatore Carolo, tentata. De hoc *Bullingerus, Stumpfius, Stettlerus, Simlerus, Nauclerus*, & cumprimis *Gerardus de Roo*, quo, ut idem ait, *feliciter Tigurini pugnârunt*.

b. Bellum *Auſtriacum ſecundum*, Sempachianum vulgò dictum, totóque triennio continuatum. De hoc iidem. Has turbas excepit pax quinquaginta annorum.

c, Ter-

c. *Tertium* bellum *Auſtriacum*, an. Chr. 1468. nobile expeditione Mylhuſina (auf das Ochſenfeld) & obſidione urbis Waltshut: cujus accuratam deſcriptionem ſuggerunt *Bullingerus, Stettlerus, Tſchachtlanus, Etterlinus, Schillingus.*

X. *Lombardicas* expeditiones, cujusmodi ab anno Chriſti 1410. ad 1511. narrantur ſeptem: Videſis apud eosdem; *Iovium* item & *Henricum Schwvizerum*.

XI. *Burgundica* prælia, recitant fusè *Bullingerus, Simlerus, Stumpfius, Etterlinus, Schillingus* & *Stettlerus, qui non pauca habent aliis ferè intacta.*

XII. De motibus à *Liga Suevica* excitatis, & exortis inde decem præliis, adeantur iidem, *Spracherus* & *Gulerus. Etterlinus* & his, & Burgundicis interfuit bellis. Vapulat quidem Wimphelingio, quaſi nimio patriæ amore abreptus plus æquo Helvetiis tribuiſſet, ſed quàm rectè alii, ex ſequentibus, judicent.

XIII. *Mediolanenſia* prælia; quæ fortitudinis Helveticæ, apex ſunt & colophon, petere licebit à *Bullingero, Stettlero, Stumpfio, Sprachero, Gulero, VVurſtiſio, Schwvizero, Iovio, Guicciardino.* Quatuor autem notantur Helvetiorum in Italiam expeditones a. Ch. 1512. ad an. Chr. 1518. Cladem Marignanam & à *VVernhero Steinero*, & à *Vadiano* in Melam. pag. 169. deſcriptam magni facimus; quòd ille acceptæ cladis teſtis fuerit oculatus, hic auritus quidem, ſed rei geſtæ coævus.

VIII. Ex his ſunt nonnulli, qui univerſam hiſtoriam Helveticam ita pertractant, ut curioſus etiam lector, cui omnes habere non datur, vel in uno acquieſcere poſſit.

Tales ſunt *Stumpfius, Münſterus, Stettlerus*, qui omnium recentiſſimus eſt, *Simlerus*. Quos ſequuntur authores; *Archontologia Coſmica*, & *Theſauri Politici*, in quibus plura de Helvetiis tractantur, quàm ab exteris expectare liceat. Sed & alia hinc inde latent ſubſidia, qui-

bus res Helvetiorum illuſtrari, diplomata intelligo, & inſtrumenta tum publica,tum etiam privata,eo ferè tempore,quo maxima Majores noſtri geſſerunt. Atque his non parùm fuiſſe in Compendio noſtro nos adjutos,progreſſus docebit.

IX. Hîc verò duo obſervanda ſunt, I. Quò quis propior fuit vel loco [a]vel tempori, quo res, à ſe deſcriptæ, ſunt geſtæ,tantò ille majorem,ut plurimùm, meretur fidem. II. Hiſtoriæ [b]Helveticæ tam univerſales;quàm particulares, indignè à multis ſive gentis odio,ſive ignorantiâ fuerunt tractatæ. Cum judicio proinde & grano ſalis graviſſimos etiam, nec modò exteros,ſed & domeſticos legendos eſſe,ſuademus authores.

(*a*) Magni eorum facio Hiſtorias,quæ authores habent,non modò viros fide dignos,ſed etiam *αὐτόπτας κ̀ αὐτηκόους*; qui rebus, quas deſcribunt, vel interfuerunt ipſis,vel fundamentum oſtendunt in diplomatibus,documentis & inſtrumentis authenticis, ſive *αὐτογράφοις*, ſive *ἀπογράφοις*. Dedi proinde & ego operam,ut iisdem hoc meum qualecunque ædificium tibicinibus ſuffulciretur,nec alios loquentes introducerem,quàm quos hæc *ἀξιοπιστίας* nota commendaret.

(*b*) Non otioſa hæc aut ſuperflua æſtimari debet obſervatio. Hîc enim peccatum eſt I. A *Domeſticis*, qui ſuæ ſæpius majorem, quàm publicæ famæ & nationis rationem habentes,malam apud alios inierunt gratiam. Cavendum tamen,ne nimium hîc ſimus præcipites,& partium ſtudio id tribuamus, quod ex fonte & mente promanat ſalubriori. Invehitur,ut ſæpius jam monuimus, *Bebelius* & *VVimphelingius* in Etterlinum, quòd belli

belli Suevici minùs accuratam, patriæ amore faſcinatus, dederit Hiſtoriam. Sed errat bonus vir. Cur enim non certiora Lucernas ille ſcripſerit, qui & ipſum bellum Suevicum fuit ſecutus, quàm alii, qubus ex ſola auditione facilè imponi potuit? Nondum tamen (quod exteris authoribus excidit) ſcripſit: *Semper in illo bello ſuperiores extitiſſe Helvetios*: Calv. an. Ch. 1499. Idem de cæteris Hiſtoriis Helveticis tenendum. *Stumpſium, Simlerum, Bullingerum* prolixiùs domeſticas Tigurinorum res pertractâſſe, quàm reliquorum fortè Helveticorum, miteris? Inde factum eſt, quòd melioribus ad id in patria fuerint inſtructi ſubſidiis, quæ ſi & aliunde ſuppeditata fuiſſent, ſuum etiam, ſine dubio, locum inveniſſent. Atque hæc ratio eſt cur plura à Tigurino, de Tigurinis; à Bernenſi, de Bernenſibus, &c. ab Helvetio de Helvetiis, & certiora expectari poſſint, quàm à remotioribus. Non tamen negamus, patriæ nectar, viros cætera magna laude dignos, ebrios, ab Hiſtorica orbita delirare & in transverſum abripi poſſe. Qui ſcopulus impedivit, quo minus multi in hanc pertrahi voluerint arenam. Vident enim proverbio receptum eſſe: Nullum ferè prudentem patriæ ſuæ conſcribere Hiſtoriam, ut publicæ eam lucis faciat, dum ipſe ejus fruitur uſurâ: Et, quod objici vulgò ſolet;

Vivere & Hiſtorico vix licet eſſe bono;

in domeſticis maximè annalibus locum habere, arbitrantur.

II. Ab *exteris*, in quibus cumprimis non pauca deſideres, quæ ab aliis nonnunquam ſunt caſtigata. Sed videamus exempla.

a. Quàm ſint multi Scriptores in pandendis Helvetiorum originibus ridiculi, ſuprà vidimus.

b. Invenias qui ſtuporem, ingeniorum tarditatem, odium literarum acerbè Helvetiis exprobrent, publicè ſcribentes, montanam & brutam (nam ne ab hac voce aſini decumani abſtinent) Helvetiorum gentem eſſe,

Verocem in patria, craſſoq; ſub aëre natam;

 vel,

vel, ut habet *Theſaur.Polit.* Apot.30. pag.11. *Ingenia Helvetiorum nihil craſſius, nihil pinguius, nihil incultius, præſertim olim*: Verùm non adeò durum nobis eſſe cœlum, ut perſuadere ſibi debeat, caſtas Muſas amœnis alpium receſſibus non delectari, jam ſuo prævidit tempore *Vadian.* in Mel.p.169. Idem genti impactum convitium maſculè nuper abſterſit magnus noſter amicus, Clariſs. *Buxtorf.* Vindic.Verit.Heb.p.43. Confer Paneg. *Glarean.* p.68. Reperti licèt & in Helvetia, ante Reformationem fuerint pauci, qui literarum ſtudia ſolicitè tractarent, cenſendum hoc commune cum reliquo orbe Europæo fatum. Cur ſoli Helveticæ, armis ubique occupatæ, nationi vitio vertatur, quod totum inundavit mundum?

c. Quàm luxatus eſt Helvetiæ Cantonum ordo apud *Marlian.* in Cæſar.p.m.292.

d. De Helvetiorum ſtatu & ordine non pauca habet ἀξιομνημόνευτα *Bodinus*, Method.Hiſt.p.337. Sed quàm multos aſperſit ignorantiæ nævos? Hiulca cumprimis ejus ſeries eſt, qua annum, quo quique Helvetiorum Fœdus inierunt, poſuit lib. de Republ. apud *Caſp.Ens.* Theſ.Polit.Apot.23.p.m.389.

e. De eventu belli Suevici, quid *Georgius Sabinus* Brandeburg. in Cæſar.Germ. habet? Ita in Maximiliano.

Fudit in aëriis montibus Helvetium.

Alii obiter; *Bellum ab Helvetiis cum Maximiliano Imp.geſtum; in quo tandem poſt varios conflictus, interfectis jam* 20000. *hominum, pax facta eſt*; notant: *Buchholz.* an.Ch.1499. De Caroli audacis cæde, quàm jejunè diſſerit *Genebrardus*, p.728. *Carolus Burgundiæ*, inquit, *ultimus Dux, occiſus eſt ad Nancium an.* 1476. *Prid.Id.Ian.* (alii volunt Nonis) *à Renato Lotharingiæ Duce, fines ſuos recuperante*; Ganguin.lib.10.

f. Quàm prodigiosè mendax ſit, qui nuper demum annalibus Eccleſiaſticis inſeruit cladem Capelanam, *Bzovius Polonus*, Monachus ad an.Ch.1531. vel ex brevi illo Apologetico, quod *Hiſtoria* noſtræ *Eccl.* Sec.IX.p. 628. inſeruimus, patet. Non mœrerem, niſi ipſe crambem,

ex *Surio*

ex *Surio* & aliis, noſtra ætate recoxiſſet. *Ea denuntiatione facta,* (inquit) *ad pugnam ſeſe ex utraque parte paraverunt. Die itaque undecima Octobris, Tigurini præmiſſo eorum Capitaneo cum cohorte una, ac ſex bombardis rotatis, ipſi cum optimo milite ac viginti bombardis grandibus ſubſequuto, tranſcenſo Albi monte, prope Monaſterium, quod Capella dicitur, tres Catholicorum Cantones, neme Suitenſes, Zugenſes, & Subſylvanos aggreſſi ſunt. Catholici autem poſitis inſidiis, ſtatim poſt congreſſum retroceſſerunt, fugam ſimulantes. Mox deinde cum valido agmine prorumpentes, Tigurinos in fugam verterunt. Caſi ſunt igitur omnes, quotquot magnum præceſſerant vexillum, & erepta ſunt eis omnes bombardæ & munitiones, numerus fuit M.D. Tigurini porrò, illa accepta clade, intra paucos dies rurſus majores inſtruunt copias, accitisq; Bernatibus, ad triginta millia hominum producunt in aciem. Occurrunt illis Catholici, quorum tota cohors octodecim millibus conſtitit. Iterum concurſum eſt infeſtis ſignis; Zvvingliani caduntur à Catholicis; fit turpis fuga Zvvinglianorum, flumen quingentos abſorbet, in conflictu ſeptingenti proſternuntur. Id prælium commiſſum eſt Octobris die XVII. Peſſimè habuit ea res Tigurinos & Bernates, quòd plurimi à paucis in fugam turpiter acti & ſuperati eſſent. Eam ob rem in auxilium ſibi adſciſcunt Baſileenſes, & Schaffhuſianos, & Sangallios, & Müllhuſianos, eo conſilio, ut noctu Catholicos invaderent. Non latuit Quinquepagicos quid illi machinarentur, jubentq; ſuos interulas lineas armis ſuperinducere, ut eo ſymbolo noctu poſſint alii ab aliis internoſci. Vbi ad pugnam ventum eſt, atrox fit prælium, jamq; Catholici non paucis amiſſis cœperant debilitari. Sed Deus, qui nunquam piis deeſſe ſolet, laborantibus opem tulit, adeò, ut hoſtes fugam arripere cogerentur, ſex millibus ex ſuis deſideratis. Fuit hoc die 24. Octobris. Neque tamen quievit ira hoſtium. Vltima enim die Octobris, in vigilia omnium Sanctorum, congreſſi ſunt Turicenſes contra Quinque Cantones Catholicos: Sed nihilo feliciùs, quàm priùs. Nam Catho-*

lici ſecunda noctis hora, ſex millibus invaſerunt illorum caſtra, caſisq; quinque millibus hoſtium, reliquos, qui non aufugerant, ceperunt; fuerunt autem in iiſce caſtris VIII. M.

g. Ridiculum quidem, ſed tamen vulgi famâ receptum erat, vix aliud Helvetiis nomen, quàm *Oris vaccini*. Nota, & à noſtris in Annal. relata eſt Hiſtoria, Suevi illius, *qui* (recito verba *Iohannis Guilelmi* von Ratwitz ex Conſultat. Lans. p. 929.) *in Hardenſi pugna, quâ Helvetii* 400. *cum* 10000. *Cæſarianorum congreſſi, eorum ad quinque millia occiderant; fuga ſalutem quærens ſub tecto ſe occultavit, Ziſcano tympano omnino dignus fuiſſet. Hic enim protractus ad pedes Helvetiorum accidit, &c. Ah! proba vaccina ora;* Ihr frommen Kühmäuler / inquit, *parcite mihi per Deum. Illis autem ad hanc appellationem muſſitantibus, atque convitium interpretantibus, Deum teſtabatur Suevus, nunquam ſe audiviſſe aliter illos appellare, quàm ora vaccina.* Vide & *Stumpf.* lib. 10. c. 35. *Sprach.* Pall. pag. 164. Taceo, quæ *VVarſevicius*, homo Polonus, in gentis opprobrium de Legatione Helvetica ad Cameram Spirenſem, blaterat: de quibus idem *Lans.* p. 963. Exciderit fortè, importunè hoc nonnullis ex torquentibus, candoris Helvetici Idiotiſmus; aut Specimen, quo quid aliud probârunt, quàm ſibi non malè convenire, quod *Barclajus* in Argenid. Helvetiis tribuit, ſcapham eos ſcapham, & ficum appellare ficum.

h. De occaſione Fœderis Helvetici, quàm callida nonnulli ſpargunt mendacia? Alii crebras Nobilium interneciones, exilia, ipſius etiam Imperii contemtum exprobrant. Vide *Goldaſti* Reychshandluug Præfat. Hinc factum, ut manifeſtæ rebellionis rei, obedientiæ debitæ jugum excuſſuri, Helvetiorum ſe exemplo defendere temerè tentârint; *Buchholz*. an. Ch. 1502.

i. De Tigurinis, ut propiùs ad lares iterum accedamus noſtros, quid non confinxit hominum audaculorum temeritas? *Gretſerus* ipſam urbi antiquitatem, contra tot probatorum authorum ſuffragia, abjudicat. Vide

vindic.

vindic. Bibl. Tigurin. *Ioh. Iac. Huldrici*. Alii Tigurum, nobiliſſimum Sueviæ vocant oppidum. Sic *Otho Friſing.* quem propterea caſtigat *Franciſc. Guillim.* lib. 3. pag. 350. Idem, cum Poëta *Gunthero*, Limagum, qui urbem interluit cum lacu Leemanno turpiter confundit. Ipſe etiam *Guillimannus* hallucinatur, cùm p. 352. primum reformatæ Reipublicæ Conſulem Brunnerum (Bruno vel Brunius fuit) appellat, cujus idem inſtituto laudabili minus patorcinari videtur. Errant & illi, qui urbem noſtram vallis & munimentis circumdatam ſcribunt, tempore Caroli Magni, cùm Carolo Craſſo, qui & ipſe Magni nomine ſæpe venit, debeatur. Hoc enim Imperante opus initium habuit, Colophonem ſub Ottone. *Stumpf.* l. 6. c. 14. Injuriam faciunt Tigurinis, qui eos vel rebellionis, quos propterea Rodolphus Imperator in ordinem redegerit, accuſant, vel labarum eorum ignominia notant. Refutatur hæc calumnia tum à *Simlero*, l. 1. p. 34. b. tum à *Stumpfio*, l. 6. c. 17. Falſum eſt, quod legitur apud *Comin.* l. 10. Edit. Germ. p. 506. *Multa interceſſiſſe Auſtriis cum Suitenſibus; à Suitia, loco, qui vix ſexcentos ſuppeditet viros, dictis; bella, in quibus & Duces aliquot Auſtria amiſerint, & prœliis fracti, urbes, Tigurum præſertim & Friburgum.* Nunquam enim Tigurum domui Auſtriacæ paruit. Sed & ipſi ſæpe Scriptores domeſtici, partium ſtudio longiùs abrepti, ſuæ ipſorum patriæ veritatis teſtimonium denegârunt. Tale eſt illud *Fel. Fabri* Hiſt. Suev. lib. 1. pag. 155. *Alberto Auſtriæ Duce in Auſtria exiſtente, Thuricenſes cum ſuis fautoribus deſcenderunt in locum thermarum, & hoſpitia omnia ac domus juxta balnea igne conflagrârunt, & conchas ac receptacula calidarum aquarum lapidea, in quibus homines balneabantur, deſtruxerunt, & oppidum ac caſtrum capere nitebantur. Sed homines Ducis Alberti undique confluxerunt de Ergovia, de Rheno, & de Comitatu Kyburg & Thuricenſes cum Suiceris repulerunt interfectis trecentis; ſicq́; uſque ad muros civitatis Thuricenſis fugati ſunt in die Sancti Stephani Martyris, an. D.* 1352. Eo enim die inſignem ab

 hoſtibus

hoſtibus Tetwilæ reportâſſe noſtros victoriam notius eſt, quàm ut vel adverſarii auſint negare.

Levia videri queant frequentia illa ϲφάλματα in exprimendis nominibus propriis commiſſa, ut cum Abbatiscellam *Bembus* vocat *Brenſellam* : Domum Sylveſtrem (pagus eſt Doggii, qui an. Chr. 1484. Zuinglium nobis dedit Reformatorem) *Buchholzerus* nuncupat *oppidum* zum Wilden Hauß; alii Wildhauſen: *Marlian.* Comment. in Cæſar. pag. 292. malè Suricum diſtinguit à Turego. *Suricum*, inquit, *Lucerna, Turegum, qui olim Tigurinus.* Tugium nonnulli cum Doggio (vide Icon. *Bezæ* in Zvvinglio) Suetiam cum Suitia, ſeu Helvetia (*Anal.* P. 1. p. 167.) confundunt, Nicolaum Subſylvanum *Bzov.* an. Chr. 1477. S. 14. appellat *Nicolaum de Schvvitz* : *Naucl.* Weſenam, *Vrſee* nuncupat.

X. His ergò, in ipſo limine, præmiſſis, compendioſam annalium Helveticorum Lectori commendamus Methodum, quæ Generalis eſſe debet, & Specialis.

XI. *Generalis* rationem habet 1. Naturæ. 2. Militiæ. 3. Politiæ. 4. Eccleſiæ.

XII. A. Natura oſtendit

a. Helvetiæ *ſitum*, qui idem ferè eſt cum veteri: Niſi quòd pomœria ſua dilatârint, & in ipſam Italiam extenderint. Vide *Stumpf.* l. 4. c. 1. 2. Multum autem affinitatis habere Helvetiam cum ipſis Terræ ſanctæ limitibus, non negabunt, quibus utriusque Chorographia perſpecta eſt. Montani utriusque vocantur incolæ. Ipſa regio & montana & campeſtris, fertilitate ſe mirificè commendat.

b. *Linguam*, ubi tenendum: Veteres Helvetios Gallico Idiomate fuiſſe uſos; & characteribus Græcis; *Iul. Cæſar, Stumpf.* l. 1. c. 18. Quod tamen ſuſpectum fuit *Ioſepho Scaligero.* Gallorum autem ſeu Francorum Ve-

terum

terum Dialectum Germanicam fuiſſe probant *Tſchud.* de Alpib. Rhætic. *Glarean.* in Cæſar. & *Stumpf.* l. 1. c. 18. De hodiernis *Schvvizerus*, deſcript. Helv. pag. 5. *Tribus hodie loquuntur linguis Helvetii & his Fœderati: Germanica per univerſam ferè Helvetiam eſt uſitatiſſima. Eadem Rhæti & Lepontii nonnulli utuntur. Habent etiam Rhæti quidam, propriam ſuam linguam ab aliis longè diverſam. Præter illam & Germanicam, Rhæti, ſicut etiam Lepontii, Italica loquuntur lingua. Antuates Sabaudica, id eſt, corrupta Gallica utuntur. Valeſiani Viberi Germanicam, Veragri Sabaudicam, Seduni medii utramque in uſu habent.*

c. Magna illa *naturæ munera*, quæ oſtenta aliis nationibus ſunt & prodigia, quibus Helvetia præ aliis abundat regionibus. Atque utinam de his ſeriò ſatis & devotè cogitaremus! Hîc enim, ſi ullibi aliâs, τὸ γνωστὸν θεοῦ φανερόν ἐστι. Abſolutum illud Phyſicæ Chriſtianæ Compendium, quod Hieropſaltes Pſal. 104. exhibet, vel ſolum Helvetiæ ſolum abundè ſuppeditare poſſe, quàm illud, ſi hoc ageretur, probatu eſſet facile? Domi quisque ſuæ ejus paraphraſin habet, niſi, quòd ſuis quotidie uſurpet oculis, propterea omnia contemnat. Occurrunt enim 1. *Alpes*, magni illi & prærupti montes, non vaſtitate modò ſtupendi, ſed & aſpectu, tota enim penè æſtate nive albicant, mirabiles. Hîc videas ſalebroſa viarum, & cœlo vicina cacumina. Hinc itinerum Alpeſtrium difficultates & pericula, de quibus *Stumpf.* lib. 9. cap. 12. *Simler.* Comment. de Alpib. pag. 110. & deinc. Magnæ hinc Helvetiorum deliciæ, vide *Geſsner.* deſcription. Montis fracti. Erat olim, præſertim, cùm ſuas Majores noſtri res domi agerent, compendioſiſſima ditescendi ars, teſte *Oſvvald. Molit.* Lucern. in Paneg. Glareani, pag. 32. *Breviter*, inquit, *annotabimus, qualis ſit alpium natura apud nos, quo intelligatur, quid commodi liceat ſperare ex reliquis partibus Helvetiæ, cùm tantus ſit fructus ex montibus. Horum namque (ut hoc primò dicamus) hi perpetuis nivibus albicant: illi procul aſpicientibus nihil promittunt, niſi ſaxa duriſſima, poſtquam*

inſcende-

inſcenderis, prata pinguiſſima offendis. Alii verò & aſpectu ſunt amœni, & rem ipſa. In iis, in quæ per æſtatem menſes tres ad ſummum paſcuntur, cùm greges, tum vaccæ, è quibus tanta emolumenta, ut brevi oratione nemo poſſit conſequi. Nam ſerum inde, caſeus, butyrum, aliaq; lactaria tantâ fiunt copiâ, ut non tam Helvetia iis rebus expleatur, quàm finitimæ quæque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Iura montem, in Italiam, multaq; alia loca. Atque tam ingens redit pecunia, ut vix credi poſſit. Illud mihi compertum, ex viginti bobus fructum annuum eſſe centum coronatorum, præter ſumtum omnem, quem in familiam, famulos & famulas diſtribueris. Omitto ſaturam copioſiſſimam, lac & liquidum, & concretum, quæq; ex lacte adhuc alia conficiuntur cibaria in quotidianum uſum.
Memorabile cumprimis, & exteris auditu peregrinum, quod de Labinis, quas Láuwinen noſtri vulgò nuncupāt, præter *Stumpfium* & *Gulerum* de Rhæt. p. 170. commemorat *Simlerus*, lib. cit. p. 113. Maximum omnium periculum eſt à decidentibus conglomeratis nivibus, quas noſtri Löuwinen/ Rhæti Labinas vocant, haud dubiè à labendo; unde & Germanicum nomen alterius vocis depravatione factum eſt. Hæc commoventur levi de cauſâ. Si enim in ſummo monte, arboribus nudo & acclivi, nix commota fuerit, vel à prætervolante avicula, vel ab aliquo animali alio, aut etiam à vento vehementiore, aut prætereuntium hominum clamore, quando ſcilicet ipſa repercuſſione vocis, quam Echo vocant, aër impulſus nives etiam movet. His, inquam, vel leviſſimis commotionibus nix impulſa in globum initio convolvitur, is ubi multis provolutionibus excreverit, & jam propter magnitudinem & inæqualitatem volvi amplius non poteſt, vehementiore tum impetu delabitur, & continuo progreſſu auctior, vires, majoremque molem acquirens, ſaxa, arbores, ibices, & alia quævis animalia, homines, tuguria, & quicquid obuium fuerit, involvit, & ſecum abripiens ad imos montium pedes defert. Hujusmodi nivium moles ſæpe complura jugera occupat, tantóque

tóque cum fragore è montibus decidit,ut terra ipſa concuti videatur, & procul inde diſtantes, atque hujus rei ignari tonitru ſe audire exiſtiment. Cadunt autem hujusmodi Labinæ non omnibus in locis & temporibus, ſed tantùm in declivi monte,qua ſolùm arboribus nudum eſt,& plerunque eo potiſſimùm tempore,quo vel verno calore nives liqueſcunt,& emolliuntur,vel ubi autumno & hyeme magnæ nives ſuper veterem conglaciatam, & lubricam nivem repente decidunt,cœlóque ſereno frigus ſævit. Duo autem tradunt genera eſſe Labinarum,unum ubi novæ & molles duntaxat nives conglobantur & labuntur. Alterum,quod inveteratam nivem quoque trahit,& multum terræ ſecum abripit: hoc priori & majus eſt & plus damni dat. Atque ſuperioribus annis in Rhætis apud Rhinwaldios, qui fontem Rheni accolunt,nivium è monte ruentium moles ſylvam & proceras abietes dejecit & involvit. Accidit etiam, Helvetio milite per alpes iter faciente,ut 60. homines & etiam plures eadem nive,conglobatione opprimerentur. Nonnunquam tamen homines nive conglobata involuti,ſub ipſis nivibus vivunt, & operâ incolarum eruuntur,& quaſi ab inferis revocantur. Id autem accidit ferè tum,ubi tantum recentes nives conglobatæ fuerunt,& propè valles, qua impetum ſiſtunt aliquem involverint: Etenim,ſi quis nive obrutus eſt,manus ſub nive non prorſus indurata movere,& aliquid ſpatii circa faciem excavare poſſit, aliquam ſub nivibus reſpirandi facultatem nanciſcitur, atque in alterum & tertium etiam diem ſub nivibus vivere poteſt. Montium verò accolæ,ſi quando hujsmodi moles decidant, mox obſervant an aliqui eo die iter ingreſſi ſint,& temporis ratione ſubducta an nivibus involuti ſint,conjiciunt,atque confeſtim harum rerum periti nives fodiunt, & ſcrutantur,num aliquis lateat,cui adhuc opem ferre, & vitam conſervare poſſint. Conſidunt autem atque ſubſiſtunt labentes nivium moles in locis planis & vallibus,atque illic aliquando viam montanis torrentibus in eos incidentes præcludunt, quæ ſi hominum opera

non

non fuerit rurſus aperta,illi in ſe collecti & aucti nonnunquam non parvo incolarum damno erumpunt. Quo autem loco caſus nivium ex alto monte metuendus eſt,illic nullæ ſunt domus,nulla tuguria aut boum ſtabula in ſubjecta valle,ſed incolæ proximo aliquo loco,ubi collis forte interpoſitus nivium caſum coërcet, ædificare & habitare ſolent. Atque apud Vrſarios, in montis Gothardi radicibus, ingens ſylva proceriſſimarum abietum,ab ipſa natura molibus nivium oppoſita videtur,cùm alioqui nullæ aliæ arbores aut ſylvæ illic in ea parte montis creverint: triangulari autem forma conſita eſt, ut quamvis nives arbores dejicere ſoleant, hic tamen non ſit periculum ne ſubvertatur,cum angulo oppoſito quaſi perfringere conetur incidentem molem & ſua magnitudine,qua ſubinde latior & denſior eſt,ſe defendat. Itinera autem propter vallium anguſtiam nonnunquam, quoniam aliter fieri non poteſt,per loca huic periculo obnoxia tranſeunt: quare,ut diſcrimen evitare poſſint,qui illuc iter faciunt,plerunque ſummo mane,quando minus periculi eſt,viam ingrediuntur,& taciti quàm celerrimè poſſunt periculoſa loca prætereunt. Accolæ etiam, qui optimè naturam locorum tenent,& quando periculum immineat,certis ſignis conjicere poſſunt,peregrinos,quid faciẽdum illis ſit,admonent. Cùm autem in ipſum iter ingens aliquis globus nivis deciderit,vix multo tempore ſolvitur: & per illum iter faciendum eſt, quaſi per novum quendam monticulum,aut collem nuper in via ortum. De his autem Labinis ſeu nivium cadentium mole,Silius ſcribere videtur,his verſibus:

Tum qua durati concreto frigore collis
Lubrica fruſtratur canenti ſemita clivo,
Luctantum ferro glaciem premit,haurit hiatu
Nix reſoluta viros,altoq; à culmine præceps
Viventes turmas aperit delapſa ruina.

Aptè autem & propriè inducit Annibalem per loca accliva,& conglaciata iter facientem,ubi multa nix fuerit, & ea quidem mollis & liqueſcens,in quam ingreſſi milites

ſites mergebantur,& hiatu quodam hauriebantur,& illic condentem ex alto nivem integras turmas aperuiſſe ſua ruina. Nam tantum in ſummis & acclivibus montibus, & præſertim,cùm ſuper glaciem magnæ nives ceciderint,& molles fuerint,& liqueſcere cæperint,conglomeratæ nives decidunt. Ac fortè etiam Claudiani verſus huc referri poſſunt,in quibus tamen non nives,ſed glaciem nominat.

Interdum ſubitam glacie labente ruinam.

Mons dedit & trepidis fundamina ſubruit aſtris.

Hæc paulò fuſiùs de Labinis (quæ tamen vox apud Iſidorum alio ſenſu occurrit) ex *Simlero*. Ita & *Daniel Eremit.* in deſc. Alpium, pag.487. *Frigus*, inquit, *habitat penè perpetuum,nivesq́; etiam æſtiva; ſed clementiores tunc ſine damno: hybernis menſibus duriùs inimica: oneroſa quippe nix,ventorum intemperie declivi montium acta in ima vallium incredibili cum immanitate præceps it,& villas vicosq́; ſubvertit; unico in hunc hoſtem remedio, muris ædes molibusq́; parietem munire; nullum quippe hoſtem graviùs metuunt,ad integros ſæpe menſes obſidentem; dum frigoris niviumq́; injuriam intra domorum clauſtra, hypocauſtis ſuperant,quo ad æſtatis & Solis ſubſidio leventur. Parva videntur hæc, conſiderantibus,eam eſſe locis quibusdam ſeveritatem, rigoremq́; naturæ, inter contiguitates præſertim montium, ut ad defectum terræ,mortuorum corpora glacie condantur; Id quod fit* (p.523.) *ad Cœnobium D.Bernhardi in Pœnino monte*, & alibi. De Etymologia verò Alpium idem ille pag.cit. hunc in modum ſcribit: *Nomen iis datum cenſet Feſtus à candore. Sabini enim alpin dixêre album. Iſidorus Alpium nomen Gallicum eſſe vult, & Alpes altos vocari. Agnoſcit hodie Idioma Germanicum Alpium nomen: Alp enim,& Alpen montes vocant paſcuos,in quibus fœnum non ſecatur. Variè Græcis Latinisq́; authoribus nominantur.* Ab albedine dici alpes,quaſi albes,voce ab inquilinis à prima origine nonnihil torta, tam non dubito, quàm certum eſt à labendo deductum & depravatum eſſe vocabulum Louwinen.

winen. Quemadmodum & Libanum commodè derivare liceat à לבן albuit,quod nive ferè ſemper niteat; juxta illud *Ierem.*cap.18.vers.14. Ita etiam de Zalmon, monte, ad Pſal.68.v.15. *Aben Ezra* obſervat; השלג נמצא תמיד בצלמון והוא הר ידוע הנמצא בעבר הירדן מזרחה *Nix continuò reperitur in Zalmon, qui mons eſt notus trans Iordanem, Orientem verſus.* Plura de Alpibus, earum origine & variis nominibus; Alpium longitudine, latitudine & altitudine; nive inveterata, quam obſoleto vocabulo Germanico Firn vocant; glacie item Gletſcher dicta; de illis,qui primi alpes tranſierint; de itinere Annibalis per alpes; de alpium celebriorum itineribus; de alpibus Cottiis,Grajis,Penninis,Summis, Lepontiis, Rhæticis,Iuliis & Carnicis; de Gentibus; aquis, metallis, arboribus, fruticibus & herbis,animalibus alpinis iidem,locis citatis,prolixè ſcribunt.

II. Vbi ad *aquas* deventum eſt, quot quæſo ſtupenda DEI opera?

a. Multis in locis ſunt thermæ, Badæ cumprimis & in Valleſia, de quibus *Poggius* & *Caſparus Colinus* Pharmacopœus Sedunenſis lib. de thermis & fontibus medicatis Valleſianorum. *Simler.*item de Valleſ. His adde thermas Martini in Valle Telina, de quibus *Guler.* Rhæt.lib.11.pag.169.

b. Alibi reperias acidulas,ut in Rhætia.

c. Sunt lacus in altiſſimis montium jugis. Abbatiscellani tres puſillos lacus,truttas ferentes in cacuminibus ſuarum alpium oſtendunt. Similis eſt in ſummo Gemmio monte,&c.*Simler.*de Alpib.p.121.b.

d. Sunt & aquæ, quarum potus vel gutturoſos, vel alio modo vitioſos reddit, præſertim in *Valleſia.* Vide *Simler.*Valles.pag.4. Et *Dan.Eremit.*in deſcript.Helv. pag.m.499.Negat tamen,aquæ vitium eſſe, quod & divitibus rarò aquam bibentibus eveniat. Quaſi non alio modo aqua nocere queat,quàm pota? Verba authoris ſunt:

ſunt: *Sunt & in his vallium nonnullæ ſtrumoſæ dictæ, eò quòd earum incolæ grandibus ſub gutture ſtrumis ſint, aquarum id vitio fieri autumant, falſa ratione; cùm & idem divitibus, aquam perrarò bibentibus, eveniat: nugantur alii, implere pituita artus & inflare aquas venis metallorum infectas, ego incertas rei cauſas in medio relinquam: niſi quis & loci vitio adſcripſerit; cum eadem ratione naturæ, iisdem in locis ſint & pagi fatuis referti, nullo à cibo humano, quidam & ſtercore & excrementis, alii fœno paſcuntur: nudi etiam per hyemem incedunt: ſono magis quàm ſermone utuntur, quippe qui à nullo mortalium intelligatur.* Monſtratur tamen & fons in agro Tigurino, paulo ſuprà, qua Taurus Rhenum ingreditur, (Flaach vocatur; non Ilaach, ut eſt in Notis *Dan. Erem.* pag. 530.) cujus aqua hauſta ſtrumoſos efficiat; & in Cicera valle amnis, qui fatuos ac ſtolidos: quarum rerum cauſæ in occulto latent. Et, quod magis mirere, vidi in Bernatibus, mulierem ad decem annos citra omnem cibi potúsq; humani uſum vixiſſe tamen, ſed per miraculum oſtentatam; torquentibus ſe fruſtrà medicis & cauſam quærentibus, cùm ſupra infirmitatis humanæ terminos ſit. *Id.*

e. Eſt etiam hominum ſuperſtitione celebris Lacus ille Pilati, ſupra Lucernam urbem, in monte fracto. Vulgò enim perſuaſum eſt, ſi quicquam ab homine de induſtria injiciatur, toti regioni ex tempeſtatibus & inundatione periculum eſſe. Ajunt autem, Pilatum olim illic in eminenti rupe conſediſſe, & diras tempeſtates concitâſſe, quem deinde incantator quidam ſuis conjurationibus depulſum in proximum lacum deturbârit. Ridet hæc *Geſſnerus* in deſcriptione montis, p. 52. Magnam famæ authoritatem conciliat vicinorum rigor, qui montem conſcendentibus hoc ſolicitè injungunt, ne paludem turbarent. *Vadian.* in Pompon. Melam. *Capitres fidem, quòd pacatum irritare auſos mox fuiſſe capite plexos ob illatam accolis calamitatem, oppidani referunt. Illud retulerim, nos in aſcenſu à paſtore illo, qui ducebat, tantum non jurisjurandi ſacramento adactos*

fuiſſe,ne quid importunius tentaremus viſo,aut ne quid injiceremus.Capitis ille ſui aleam ludi ajebat,&c.Quare,ut veteri loci famæ quicquam tribuerem,non parum, fateor commotus fui. Mutavit tamen poſtea Vadianus ſententiam, ut habet *Geſſnerus* pag.59. Superſtitioſam tempeſtatis concitationem plenius exaggerat *Malleolus* apud Geſnerum pag.61. *Paulus Eremita* deſcript. Helvet.p.m.529. *Mirum,quod de eo lacu vulgus nugatur,ſed nec fidem meretur,nec habet.*

f. Ad *Rheni catarrhactas* multi obſtupeſcunt, cùm vident ingentem fluvium immani fragore ex alto ſcopulo præcipitari,ita ut vicina loca latè aſpergat,& nebulam quodammodo ripæ offundat: Sed in alpibus ſummis ſæpe flumina non exigua,& alpini torrentes non minori fragore ex editiſſimis rupibus decidunt.

g. Notandum porrò,notiſſimos apud Hiſtoricos *fluvios*, ſuum in Helvetia habere ortum,aut eum ſaltem alluere,ut Rhenus,Rhodanus,Limagus,Danubius. Colligit hinc Glareanus,Helvetiam locum eſſe totius Europæ altiſſimum; deſcript.Helv.p.28. Lacus navigabiles numerantur 24. & ultra,fluvii ſex,Rhenus,Limagus,Urſa,Arola,Rhodanus & Dura. *Glarean.*in ſua paneg.exiſtimat, fontibus, amnibus,ac lacubus non eſſe ſimilem Helvetiæ nationem ſub cœlo: Vide pag.33.

h. *Alias*,præter thermas, eſſe *aquas medicatas*,tum in ditione D.D.Bernenſium,tum in Valleſia, docet *Collin.*lib.citato. Apud Tigurinos multum olim deferebatur utrique Vulturino, & Vrdorffenſi balneo, quorum illud magnus noſter Bullingerus, ex uſu haud obſcurè commendabat.

i. Pertinent huc, quæ de mirabilibus Helvetiorum habet *Schvvizerus*, deſcript.Helv.pag.6. *Extat meatus ſive caverna in monte quodam Abbatiscellano,in quam ſi quid conjicias,ingentes ventorum procella,non ſine vi maxima,inde proveniunt,teſte Vadiano,viro doctiſſimo, & harum regionum experto. Nec præterierim fontem in Valle Haſela,in monte* Engſtlen *nominato haud procul ab Arolæ fontibus,qui nullo anni tempore fluere conſuevit,*

ſuevit, præterquam Iulio, Iunio & Auguſto menſibus, cùm pecora & armenta ibi paſcuntur: Fluitq; certis tantùm horis, mane & veſperi, quando à paſtu ad potandum pecora abiguntur. Et ſi quid impuri in eum immittas, fluere fons ceſſat, demumq; poſt aliquos dies aqua redeunt. Pari modo fontes calidi, Fabarianus in Rhætis & Marianus apud Valeſios Leucianos Septembri menſe curſum ſiſtunt, & Majo eundem redintegrant. Apud Glaronenſes, quod non ſine cauſa mirantur omnes, in monte VVepchio ſinus eſt, in quem aqua frigidiſſima collecta pluribus morbis medetur, &c.

III. De *Plantis* & *Herbis* Botanici Helvetii, præter eos, quos modò citavimus, conſulantur. Non dubito, quin hac fœtura feliciſſima ſit Helvetia noſtra. Memini aliquando Clariſſimum virum, D. *Iacobum Golium*, ſtudiosè in herbarium vivum apud Helvetios collectum, inquiſiviſſe.

IV. Sed & Sylvæ, metalla, lacticinia, animalia apud nos obvia, aliis ſæpe noſtros de his conſulentibus admirationem excitare poſſunt. De quibus *Stumpf.* lib. 9. cap. 12. &c. Atq; de his omnibus compendiosè loquitur *autor Arch. Coſm.* pag. 591. *Schvvizerus*, præfat. Chronic. Helv. & *Paulus Eremita*, deſcript. Helvetiæ.

XIII. B. *Militia* Helvetios ita reddidit claros, ut vel nullo magis nomine tum aliâs, tum maximè à trecentis commendentur annis.

Operæ certè pretium faceret, qui Florum aliquando ſtylo terſo, ſcriberet Helveticum. Multa, dubio procul, vir induſtrius, ingenio & judicio magno reperiret digna. Quatuor interim, curioſus Hiſtoriarum Helveticarum lector, potiſſimùm in Militia obſervabit. 1. *Axiomata ex praxi Majorum noſtrorum militari eruta.* 2. *Comparationem inter Helvetios Veteres & intermedios.* 3. *Catalogum præliorum & bellorum ab Helvetiis Confœderatis geſtorum.* 4. *Conferet tandem authores*

res exteros cum domeſticis, & in quibus vel conveniant vel differant, ubi opus fuerit, monebit. Viam ad ſingula ſedulo indagatori ſternemus.

XIV. Inter axiomata excellere videntur ſequentia:

A. Helvetii maximè valent peditatu.

Vnde *Alciat.* in Tacit. *Hac ætate prima illis pedita tus gloria.* Et *Paul. Erem.* deſcript. Helv. pag. 513. *Pedites ferè præliantur: rarus, aut nullus equitum uſus, eoq; victores ſæpius, quàm victi.* Eum enim comendabat:

1. *Conferta acies*, quâ factum, ut vel hoſtium irruptiones declinarent, vel eorundem phalanges frangerent. *Paul. Erem.* loc. cit. *Propria genti conglobatio, & per acies cuneosq; pertinax conjunctio invictos præſtat. Pugnam ſimul inire, ſimul cedere, eadem pertinacia.* Exempla luculenta ſuppeditat noſter *Vitoduranus*, pag. 49. a. *Circiter iſta tempora (1333.) ortum eſt bellum inter Comitem de Kiburg, & cives Bernenſes, qui dum congredi in quodam campo vellent, cives Bernenſes una cum civibus de Solodoro, qui eis vinculo juramenti & Fœderis ſpecialis tunc temporis connexi erant, ſteterunt conglobati in modum globi vel coronæ, prætendentes lanceas ſuas, quas dum videret adverſa pars, perplexa nimis facta eſt, quomodo eos invaderet, aut quid faciendum eſſet.* Et pag. 24. *Tempore illo, quo Rex Romanus adhuc Comes, ut dicitur, extiterat, quoddam prælium ortum fuerat inter invictiſſimos Comites de Habſpurg, conſanguineos Regis, & civitatem dictam Bern, ſitam in metis Galliæ & Alemaniæ. Cùm autem utraque pars in campo ante civitatem ſito conveniſſet, pars Bernenſium ſtetit contra hoſtes conglobata, in modum coronæ, & compreſſa cuſpidibus ſuis prætenſis, quam, dum de adverſa parte, nemo aggredi præſumeret, Comes querulöſis vocibus valenter & miſerabiliter clamare cœpit: Heu mihi, quòd neminem habeo, qui cuneum adverſariorum penetrare poſſit, vel etiam invadere præſumat: quod audiens quidam cordatus miles fideliſſimus reſpondit: Ego ſolus*

ſolus meo impetu ipſos attentabo invadere, veſtris deſideriis ſatisfacere cupiens, qui cùm dicto modo in eos offeratus fuiſſet, & in eorum lanceas receptus, in fruſtra diſcerptus, & conciſus lamentabiliter periit, cujus occaſione turmæ Comitum nimio furore ſuccenſa unanimiter in turmam hoſtium more belluæ impegerunt, &c.

2. *Animus intrepidus, & vel ad vincendum, vel glorioſè occumbendum paratus.* Æneas Sylv. deſcript. Europæ, pag. 413. *Nec detrectavere Suitenſes certamen, quamvis pedibus pugnaturi triginta millia equitum ſtare contra ſe in aciem cernerent. Pugnatum eſt ſummis utrinque viribus, ad extremum non tam victi, quàm vincendo feſſi Suitenſes nimis audacis præſumti facinoris pœnas dederunt. Rarus tamen ex Suitenſibus inultus interiit ex quibus plures experti ſunt, qui lanceis perforati ad obtruncandum hoſtem per medias haſtas dilapſi vindictam accepti vulneris expetiere.* Et plenius Epiſt. 87. *Dum hæc fama ſic percurrit, Nobiles Alſatiæ, quibus gravior videtur Suitenſium dominatus, oratores ad Delphinum mittunt, eúmque rogant, ut præſidia contra Suitenſes præbeat. De Delphini exercitu varia dicta ſunt: qui majora ſequuntur LX. millia hominum in ejus Comitatu fantur haberi. Qui minora probant* 25000. *Medii vel* 30000. *vel* 36000. *cenſent. Concordatum inter Delphinum & Alſatienſes* 25000. *hominum ex ſuo exercitu, per hanc hyemen in oppidis Alſatiæ recipi debere, ipſeq; Delphinus & Thuricenſibus & aliis obſeſſis ferre opem promittunt. Veniebant jam Delphini gentes, quæ vulgò vocantur Armeniaci, in ſubſidium cujusdam caſtelli, quod Suitenſes propè Baſileam obſidebant. Suitenſes ut hoc ſenſerunt, non expectatis hoſtibus ad viam pergunt, primáſque Armeniacorum turmas invadunt, ſtragem dant, plurimóſque neci præbent. Armeniaci retrò pedetentim fugientes ad majorem exercitum ſe recipiunt. Illi ſanguinis cupidi & avidi victoriæ, dum gloriam quærunt propriam, ſalutem amittunt. Ventum erat ad hoſpitale S. Iacobi, quod vix quatuor ſtadiis à Baſilea diſtat. Ibi univerſa multitudo*

titudo Armeniacorum in Suitenſes irruit, nonnullis ante portas Baſileenſes poſitis, qua exeuntes obſervarent caderéntque. Committitur atrox & miſerabile prœlium; caduntur[q]; ex utraque parte quàm plurimi. Horrendùm auditu eſt! Evellebant ſanguinolentas ex corporibus ſuis ſagittas Suitenſes, ac truncatis manibus in hoſtes irruerunt; nec priùs animam exhalabant, quàm occiſorem ipſi occidiſſent. Quidam haſtis confoſſi, & onuſti telis inter Armeniacos currentes, necem ſuam vindicabant. Erant quatuor Armeniaci, qui Suitenſem unum inſequebantur. Iamq; illi telis confoſſum ſtraverant, & ſupra corpus graſſabantur: tum ejus comes arrepta bipenni in quatuor illos fertur. Ex quibus duos obtruncavit, alios verò in fugam dedit, ac deinde ſemianimum corpus ſuper humeris recepit, & invitis hoſtibus portavit ad ſuos. Erat retrò Suitenſes murus quidam horti Sancti Iacobi, quo illi ſe tutos ab una parte rebantur, ſolúmque in fronte pugnabant. Sed Theutonici, qui cum Armeniacis erant, intrantes hortum, murum perfodiunt, Suitenſes quoque à tergo feriunt, quæ res magna cauſa ruinæ Suitenſium fuit. Pugnatur tum antè, tum retrò. Iam viro vir imminet, nec jam eminus, ſed cominus ferrum ſtringitur. Suitenſes quaſi leones per omnem exercitum in victores vagantur, cadunt, ſternúntque omnia, ut qui jam non in ſpem victoriæ, ſed in mortis ultione ſe pugnare ſciunt. Prælium à principio diei uſque in finem tractum eſt. Ad extremum non victi Suitenſes, ſed vincendo fatigati inter ingentes hoſtium catervas ceciderunt. Victoria lugubris atque cruentiſſima Armeniacorum fuit, campúsque liber eis manſit non virtute, ſed multitudine ſuperantibus. Idem recitat aut. *Paral. Vrſp.* pag. 401. *Naucl.* Gen. 49. pag. 282. a. *Graſſer.* pag. 102. *Cario* Chronic. lib. 2. p. m. 98. & lib. 5. pag. 206. *Pugnam ad Thermopylas omnes ætates admiratæ ſunt. Ibi enim, cùm exiguus exercitus cuſtodiret fauces, trecenti Lacedæmonii, quadringenti Thebai, & ex aliis locis Græciæ circiter tria millia: Phocenſes primi, deinde alii diſceſſerunt ante pugnam, ſed manſerunt*

ibi

ibi ſoli Lacedamonii, Thebani, & Theſpienſes. Hic parvus numerus trucidavit viginti millia in exercitu, ſed ipſi ſimul interfecti ſunt, Lacedamonii & Theſpienſes omnes, prater duos. Nec alia ſimilis (fortè non multò abſimilis eſt in Arabum Hiſtoriis, contra Tamerlanem, ſeu Timurum geſta; de qua *Hiſtor.Eccleſ.*Sec.XV.S.2. de Gingischaniſmo) *pugna extat in Hiſtoriis, prater Helveticum factum, ad Baſileam, tempore Synodi, cùm Papa in Germaniam miſiſſet Delphinum Gallicum cùm exercitu Armeniacorum, qui, cùm magnam crudelitatem in Alſatia exercuiſſent, ad Baſileam acceſſerunt, ibi à tribus millibus Helveticorum millia hominum viginti in Gallico exercitu trucidata ſunt. Sed ſimul Helvetii victores occubuerunt, &c. Sabellicus* 10. Æneid. lib.3. *Ferociſſimus hoſtis iniquum certamen adeptus eſt, Italis ex equo pugnantibus. Et Germani à lancea trajecti per haſtam conati ſunt ad hoſtem pertendere, ne multi caderent.* Loquitur de prælio inter Helvetios & Ducem Mediolan.an.Ch.1422.d.9.Iulii, propè Bilitionum commiſſo. Vide & *Naucler.*Gen.50.p.295.de Helvetiis incredibili impetu Burgundos hoſtes excipientibus.

3. *Acceſſit armorum ſelectus.* Terribiles cumprimis dicam, an celebres? erant veterum Helvetiorum bipennes. Refert *Vitoduranus*, p.40.circa annum Chriſti 1330. Ludovici Romanorum Regis, & Otthonis Ducis non levia fuiſſe diſſidia, adeò ut ad arma res ſpectare videretur. Authoritate tandem Regis Bohemiæ litem fuiſſe deciſam. Cum Otthone, Duce feciſſe Glaronenſes, tùm temporis Abbatiæ Sickinganæ ſubditos, cùmq; rebus pacatis Rex Bohemiæ caſtra Otthonis luſtraret, *& ad aciem virorum de Glaris veniret, atq; inſtrumenta illorum bellica & vaſa interfectionis Geſa dicta, in vulgari* Hellenporten *videret, admiratum dixiſſe: O quàm terribilis eſt aſpectus iſtius cunei, cum ſuis inſtrumentis horribilibus & non modicum metuẽdis!* Idem ferè refert de armatura ad prælium Morengartenſe, p.36.b.quod & *Tſchachtlan.*confirmat, pag.13.b. Lapidum etiam jactu primi Confæderati magna hoſtibus damna intule-

 runt

runt. Qui Loupenſi prælio (quod fuſè deſcribit *Tſchachtlan.*pag.21. & deinc.) intererant,tribus ſinguli lapidibus inſtructi hoſtem adoriebantur,pag.27. Abbatiscellani, contra agmen Friderici, Ducis Auſtriæ, vix quadringenti numero, de præcipiti monte curſim deſcendunt,aſcendentes,lapidibus miſſis,laceſſunt, & trecentos & quinquaginta ad minimum trucidant. Aliud occurrit exemplum in *Herolog.Graſſe.*pag.132. De uſu haſtarum ab Helvetiis recepto, vide *Paul.Iov.*Hiſt.l.3. p.85.a. Teſtem armaturæ Helveticæ, feliciter contra hoſtes uſurpatæ, *Münſterus*,Coſmog.lib.2.pag.195. adornat reliquias illas Moratenſes,in ὁπλοδοχείῳ aſſervatas.

4. *Diſciplina militaris.* Vide ſup.p.191.

B. Non aperto tantùm Marte, ſed & ſtrategematibus felices fuêre Helvetii.

Præclara *Diviconis*,apud Iul.Cæſar.Comment.lib.1. p.5.ſunt verba: *Helvetios ita à Patribus, Majoribusq; ſuis didiciſſe,ut magis virtute,quàm dolo contenderent, aut inſidiis uterentur.* Strategematibus tamen nonnunquam agere eos compulit rei gerendæ difficultas. His *Tigurini* artibus occupârunt

a. Montem Utliacum; qua de re *Ioh. Vitoduranus: Præterea fertur,quòd tempore Rodolphi Habſpurgenſis, caſtrum excelſum, & firmum monte dicto Albis, propè Thuregum ſitum erat, quod Thuricenſibus onerosum & infeſtum valde fuit. Nam ipſos odio habuit inceſſanter,quod tantò perniciosius fuerat,quantò patentius introitum & exitum eorum duritie montis,in quo caſtrum locatum erat,inhabitatores caſtri conſpicere potuerunt: Cùm hæc diu toleràſſent,& ſe minime defendere valuiſſet,ſuſcitavit eis Dominus liberatorem,Comitem,Romanorum Regem,qui tunc temporis civibus Thuricenſibus glutino amoris, & vinculo amicitiæ colligatus, & conjunctus erat. Nam illo tempore domicilium ſeu manſionem in oppido ſuo dicto* Bremgarten/ *tenens,citò in* Etgew/ *ad quod etiam patulus erat proſpectus de caſtro prænominato,mira aſtutia, & callida adinventione,caſtel-* lum

lum cum ſuis auxiliatoribus taliter circumvenit, & decepit: Nam circiter 30. equos præparari jubebat, & ſingulis binos armatos viros inſidere, qui unâ cum Comite præcepto hujusmodi obtemperantes, & ad nutum obaudientes in fortitudine & audacia magna montem contra caſtrum hoſtiliter aſcendentes, habitatoribus caſtri ſpeciem tantum unius viri prætendebant, propter quod eos ad exitum contra ſe provocabant. Nam de ſua multitudine confidebant, paucitatem adverſariorum ſuſpicantes, qui dum ferè compreſſi fuiſſent, ad dimicandum parati, poſteriores de equis deciderunt, & ſimul cum in equis remanentibus, in hoſtes irruere conati ſunt, ſed alii videntes eos multiplicatos contra ſuam confidentiam, & inviſu ſe deluſos eſſe, certatim cum feſtinatione fugerunt, & iſti ipſos exterius perſequentes, & tandem ſuperantes caſtrum ceperunt, & ipſum demolientes ſolo adæquârunt. Ita Vitoduranus. Reliqui paulò aliter. Ferunt Regenſpergii Dominum arcis poſſeſſorem, duodecim plerunque ſtipatum equis, equitibus & Veltagis albis feciſſe iter. Cúmque abeſſe Regenſpergium Rudolphus Habſpurgicus cognoſceret, eodem comitatu ad arcem properâſſe, Tigurinos autem ſubornatos in inſidiis deliteſcentes inſecutos fuiſſe. Exiſtimantes, qui in arce erant, periculum Domino ſuo à Tigurinis imminere, portis è veſtigio apertis, Rudolphum intromiſiſſe, quò factum ut cæteris quoque patefactus aditus, portæ abjectæ, incolæ trucidati, ipſaque arx diruta fuerit, anno Chriſti 1268. menſe Septemb. Ita *Stumpf.* lib. 6. p. 444. & plerique alii.

b. Strategemate ſoluta eſt obſidio urbis ab Alberto Auſtrio tentata an. Ch. 1298. *Poſthac, ut fertur, dum de Auſtria egreſſus fuiſſet, Civitatem Thuricenſium potenter obſedit, & per aliquot dies ipſam graviter coanguſtavit & afflixit, propter quod cives in terrorem immanem verſi, imò quaſi deſperati, callidam adinventionem ſeu aſtutiam, quâ hoſtes terrerent, ac deluderent, invenerunt, videlicet, quòd mulieres cunctas illic, præ aliis locis, numeroſas, arma portare volentes, armis induerent,*

duerent, & eas cum cuſpidibus ſuper locum unum eminentem intra muros ejus ſitum, arboribus multis conſitum locarent, ut pavorem hoſtibus per hoc incuterent: Nam patulus erat aſpectus adverſariis, conſtitutis in monte vinetorum, ad illum locum, ut in oculis ipſorum multa millia armatorum apparuerint: Cùm autem illas in tanta multitudine conſideràſſent, & probabiliter æſtimâſſent, ſuſpicantes eas eſſe viros ſupra modum attoniti, Duci Alberto dixerunt: Si ille tam ingens exercitus de civitate erumpet, in momento peribimus, imò, quod majus & gravius eſt, ſi etiam contingeret nos, Deo dante, civitatem oppugnando capere, ſimiliter filii mortis erimus. Dux igitur hæc animadvertens ſimiliter pacem eis donare, ſi peterent, alta voce promiſit, quod Thuricenſes percipientes exierunt, & pacis fœdera ſimiliter poſtulabant, quibus Dux annuens receſſit. Quidam verò ajunt, quòd propter cadem, & captivitatem virorum Thuricenſium, ſolæ quaſi mulieres in civitate remanſerint, & ipſam cuſtodierint, quæ attendentes ſe circumdatas & concluſas obſidione Ducis acerba, tremefactæ quid facerent, penitus ignorabant; tandem à vetulo propter ſenium & imbecillitatem ſuam in civitate relicto, informationem acceperunt, ut ad dictum locum armatæ confluerent, & chorizando illic hoſtium obtutibus lætitiam, & pugnatorum multitudinem demonſtrarent, ut ſic seducti pacem civitati relinquerent, & abirent, quod & factum eſt. Ita *Vitoduranus*.pag.27.& breviùs *Simler*.de Rebub.Helv.p.35.b. Confer *Stettler*.pag.26. an.Ch.1298. *Graſſer*.Herolog.p.46.

c. Strategemate etiam latibulum Roſpach ad lacum Tigurinum propè Meilan, è quo peiraticam exercebant, expugnatum, veteres notant annales domeſtici ad an. Ch.1353. Qui vel ſecundo vel adverſo navigabant lacu prædonum expoſiti erant libidini. Tigurini itaque quodam die, navi ducentis bene armatis onerata, quaſi Vallisſtadio Tigurum vellent, prætervehebantur. Præſidiarii prædæ inhiantes arce egreſſi alto ſe committebant lacui; cúmque magna illos moleſtia tandem inſequerentur,

rentur, vitam nautæ deprecantur. Sed cùm ſtomachosè nimis vitæ ſpem ademiſſent, prorumpunt latentes in navibus milites, hoſtem invadunt, cædunt; arcem deſertam occupant, ſolóque penitus adæquant. Variat *Stumpfius* noſter; Vide lib.6.pag.419.

d. Iisdem artibus, Duce Rodolpho Habſpurgico, Regenſpergii Domino eripuerunt circa a.Ch.1268. urbem Glantzenburg ad Limagum: vide *Stumpf.* l.c.p.445.b.

e. Duas *Silvaniæ* arces aſtu captas à primis Helvetici Fœderis fundatoribus conſtanter noſtrates tradunt. *Simlerus* de Repub. Helvet.lib.1. pag.15. *Aucto paulatim confœderatorum numero, viſum eſt pleriſque tempus eſſe rem ipſam aggrediundi, ut ſcilicet pulſis præfectis patriam in veterem libertatem aſſererent, ne fortè, ſi diutius differant, res alicunde per indicium ad præfectum emanet. Itaque poſtridie S.Galli 16.Calend. Novembris an. Chr.* 1307. *duodecim præcipui ex omni confœderatorum numero conſtituto loco conveniunt: cæteris autem urgentibus rem primo quoque tempore inchoandam, ſoli Vndervvaldii obſtare, aſſerentes Sarnam & Rotzbergum arces ſuæ regionis munitas, & expugnatu difficiles eſſe, in quibus oppugnandis, ſi mora trahenda ſit, mox regem inſtructo exercitu ſuis ſubſidio venturum, verùm, ſi expectentur Calendæ Ianuarii proximi anni, facilè per inſidias eodem die utramque arcem occupari poſſe: horum poſtulatis cæteri acquievêre. Itaque decernunt proximis Calendis Ianuariis omnes arces Præfectorum in ſingulis pagis occupare, nullam tamen injuriam inferre vel præfectis, vel eorum familiæ, aut his, qui in præſidio ſint, niſi illis, qui armata manu ſe defenderint: ſed ipſos cum ipſorum bonis inviolatos dimittendos eſſe, arces autem funditus diruendas, quò re ipſa teſtarentur, ſe non prædæ cupiditate, aut ullius lædendi cauſâ, ſed propriæ libertatis tuendæ gratiâ arma ſumſiſſe. Hoc decreto facto, ſinguli domum rediêre conſtitutum tempus expectantes, interea conſilia ſua optima fide ſilentio tegunt. Interea accidit apud Vrios Tellij Hiſtoria*, de qua, pag.14.b. *Cùm autem* (pag.17.)

tandem

tandem Calendæ Ianuarii veniſſent, Vndervvaldii artem utramque capiunt ex inſidiis, uti polliciti fuerant. Rotzbergi in arce famula adoleſcentem Vndervvaldium egregiæ formæ amabat, & cum eo ſtupri conſuetudinem habebat, conſtituta igitur nocte adoleſcens ſecum adducit viginti alios, omnes armis inſtructos, eosq́ ſe propè arcem abdere jubet, ipſe pro more ſigno dato ab amica ignara conſpirationis, fune in arcem ſubducitur, ubi cùm aliquantulum quieviſſet, alia cauſa conficta è cubiculo ad eam feneſtram, quâ aſcenderat revertitur, & unum è ſociis, fune demiſſo in arcem ſubducit, ac ad amicam redit: hujus operâ reliqui omnes arcem ingreſſi ſunt, qui præfecti familiam numero & robore ſuperantes, arcem in ſuam poteſtatem redegerunt, clauſis tamen portis expectabant eventum ſociorum, quibus altera arx Sarna occupanda erat. Erant hi numero 50. ex his 30. ſe ſe inter arbores, quarum eo loco denſa ſilva erat, abdiderant, cæteri 20. baculis nixi arcem petebant, munera pro conſuetudine præferentes, agnos, porcos, vitulos, caſeos, aliaq́ hujus generis: his in itinere obvius fit Præfectus, qui de more templum petebat, cumq́ eos inermes cerneret baculos tantùm manu geſtare, nihil mali metuens, inſtitutum iter perficit, lætus etiam propter munerum copiam, quæ ſolito major erat. Verùm illi baculos teretes ita ante exacuerant, ut facilè eos, acuto ferro, quod ſinguli ſinu geſtabant, haſtarum inſtar induere poſſent. In arcem ergò intromiſſi portam occupant, & ſocii, qui inter arbores abditi erant, ſigno dato his auxilio veniunt, ac omnes, qui in arce erant, in ſuam poteſtatem redigunt, cúmque cognoviſſent Rotzbergum quoque captum, omnes cum rebus ſuis, etiam ipſum Præfectum, quem fugientem interceperunt, ad fines deducunt, & dimittunt: Iurejurando illis dato, ne unquam in has regiones redirent. Vide & *Guillim*.l.2.p.301.305. *Schvvitzer*.Chronol.Helv.P.II.pag.61.ubi paulò fuſiùs de cæterorum etiam præfectorum tyrannide.

C. Quemadmodum autem univerſa

natio Helvetica famam bella gerendo adepta eſt,& nomen minimè obſcurum: ita hanc ſibi laudem rebus præclarè geſtis propriam fecerunt non pauci.

Atque hi tribus diſtingui poterunt claſſibus. *Primam* conſecrabis Helvetiis illis Veteribus,quorum Iulius Cæſar meminit, & alii Commentar.lib.1.pag.1. *Orgetorigem* appellat apud *Helvetios nobiliſſimum & ditiſſimum, qui regni cupiditate inductus conjurationem nobilitatis fecit; & civitati perſuaſit, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent, perfacile eſſe,cum virtute omnibus præſtarent,totius Galliæ Imperio potiri.*

Secundam,mediæ ætatis Heroibus,de quibus tamen ea nonnunquam referuntur,quæ vel hyperbolicè dicta, vel fabulam ſapere videntur. Quo numero habeo,quæ de *Ænothero Durgao* commemorat *Avent.*annal.l.4. pag.353. *Hiſce & ſuperioribus adverſus Venedos,Avares,Hunnosq; bellis,cum Suevis & Bojis,interfuiſſe gigantem, equóque ſub Carolo meruiſſe reperio. Nomen ipſi Ænothero,quod exercitum æquipararet,fuit: ortus ex Durgia,pago Suevia. Flumina, quæ pontibus juncta non erant,poſt ſe equum ſuum trahens,ſuperare ſolitus fuit,adjecto in reluctantem ſonipedem hoc joco: Ita meus Deus adjuvet me, vel ingratus ſequar neceſſe eſt. Is Venedos,Avaresq; in modum fœni demetebat,& in morem avicularum haſta velut cuſpide fixos, humeris ſuſpendebat: Cumq; domum reverſus à ſecularibus (uti fit) de ſucceſſu,eventúque belli, & de conditione ac viribus hoſtium quæreretur,Quid multa de iſtis ranunculis (indignabundus inquit) commemorem? Ego interdum ſeptem,octóve, interdum & novem haſta mea transfixos,neſcio quid coaxantes,ultro citroq; tuli. Neutiquam operæ pretium fecimus, nec quicquam Auguſtus & nos ingenti impendio adverſus hujusmodi vermiculos arma promovimus. Tantulum bellum quod nobis inſumſimus, minoris multò conſtare potuiſſet.*

Tertiam

Tertiam iis dabis, qui inter Confœderatos Helvetios pro aris & focis tam maſculè dimicârunt, ut vix ſummis ſuis Polemarchis plura tribuant vel Græci, vel Latini, quàm certiſſima monumenta & domeſticorum & exterorum Heroibus Helveticis. Exempla affatim ſuppeditat, ex omnibus Helvetiæ Cantonibus, *Graſſerus* in ſuo Herologio. Ita, verbi gratia, *ut aliquorum ſaltem nomina exprimamus*

a. In bello & conflictibus cum *Regenſpurgenſi* magnam laudem, ipſo judice Rodolpho Imperatore, conſecutus fuit *Müllnerus* Tigurinus: de quo ſuo loco. *b.* In *Sempachiano* prælio *VVinckelriedius*, Vnderwald. qui præpilatarum haſtarum faſciculum amplexus, aditum cæteris patefecit; *Graſſer.* pag. 84. *c.* In pugna *Tetvvilana*, *Stuckius* & *Maneſſius* Tigurini; *Stettler.* p. 73. *Stumpf.* l. 6 c. 25. *d.* In *laniena Tigurina* Brunius; *Graſſer.* p. 71. vide alibi. *e.* In *Loupenſi* conflictu, *Rodolphus ab Erlach*, Bernenſis; Tſchacht. p. 24. Graſſer. p. 75. *f.* In *Suevico* bello multum tribuitur *Henrico VVollebio* Vranio, q; tamen in primo congreſſu occubuit; Graſſer. pag. 172. 181. *Caſparo Goldio*, & *Iacobo Stapfero*, Tigurinis; Idem, p. 175. *Petermannio Feerio*, Lucernenſi, & *Ammano Steinero*, Tugino; Idem, p. 176. 177. *Oſvvaldo Rotzio* Subſylvano, qui Marte & arte (tympanotribarum enim in Sylva reſtantium ſtrepitu effecit, ut numeroſus crederentur exercitus) hoſtium vires attrivit, p. 180. 181. *Iohanni Schulero*, cognomento Wahl, Glaronenſi, qui tres ordine equites haſtâ ſuâ ephippio excuſſit: unde & diplomate Nicolaus de Brandis virtuti ejus teſtimonium perhibuit; Idem, p. 180. *g.* In *Bilitionenſi* bello commendabatur *Petrus Ryſig* Suitenſis, qui nullis vel minis vel pollicitis ad deditionem cogi poterat; Idem, p. 163. *h.* In *Burgundico* bello magnorum virorum nomen præ aliis conſequebantur *Hadrianus de Bubenberg*; pag. 144. 152. Iohannes de Hallwil, p. 147. Bernenſes; Iohannes Waldmannus; Idem, p. 154. cujus in Campidonensi quoque p. 110. & Palatina, p. 114. expeditione meminit. *Felix Cellarius*; p. 131.

146. *Mar-*

146. *Marcus Reuſtius*; p.151. Tigurini. *i.* In *Italicis* & *Mediolanenſibus* bellis fortitudinis axiomate inclaruerunt, *Altoſaxus*; Iov.p.163.171. *Anglardus*, ut à Iovio vocatur, id eſt, *Conradus Engelhardus*; Pantal. de vir. Illuſt.p.45. Graſſer.203. *Roëſtius*, ſeu *Marcus Rouſtius*; de quo Guicciard.l.12. Iov.l.15.p.304.& alibi. *Motinus*, Vranius, de quo ijdem: *Iordanus Subſylvanus*, Iov.l.11. pag.165.171. Pantal.lib.3.pag.18. Graſſer. pag.203. *Iohannes Lutzelmannus*, & *Iohannes Baër*; Baſileenſes; pag.199.

D. Precibus non modò ſuarum ſemper actionum militarium Helvetii ſucceſſum Deo commendabant; ſed & Soteria ſoſpitatori Deo, pro conceſſâ victoria, ſolvebant.

Vtriusque exempla ubique occurrunt. Vide *Graſſer.* pag.111.131.153.162.176.177.178. Vbi obſervandum, Helvetios in genua procumbentes ſupplicantium præ ſe tuliſſe ſpeciem: qua adverſarii decepti, omnem eis ſpem veniæ abjudicabant. Ita Burgundi pag. 140. ita alii Helvetios precibus intentos opem jam implorare hoſtium gratis fingebant.

Suitenſium, contra Leopoldum, an. Ch.1315. pugnantium, preces à Iohanne Vitodurano, qui eo tempore vixit, ejusmodi deſcribuntur: *Domine Deus cœli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad humilitatem noſtram, & oſtende quoniam non derelinquis præſumentes de te, ac de ſe, & ſua virtute humilias*, pag.m.39. Vbi tamen non diffitemur, quin temporis illius multum indultum fuerit conſuetudini, ita ut orationes Dominicæ ſalutationibus Angelicis, ſuperſtitioſa laciniâ auctis, quod de Sempachiano prælio refert *Etterlin.* pag.476. Burgundico propè Nancejum, pag.96. Suevicis bellis, pag.108.a,b. fuerint permixtæ. Precibus etiam Tigurinos diu noctúque ad Deum conceptis an.Chr.1330. Otthonis conatum, quo urbem obſidere decreverat, feciſſe

ciſſe irritum, teſtatur *Vitodur.* p.m.40. Ijsdem armis Bernæ mulieres in templis, cum Loupæ dimicandum eſſet, pugnâſſe, tradit *Tſchachtl.* p.m.25.b. *Stettler.* p.58. Suos inſuper in caſtris habebant Sacerdotes, vel Præcones, quibus concionum etiam cura demandabatur. Scribit *VVernherus Steinerus*, an.Ch.1515. Glaronenſium Præconem caſtrenſem, Huldricum Zuinglium, concionem in publica platea, militibus ad Marignanum poſtea pugnantibus, habuiſſe. *Frequens*, inquit, *fuit auditorium. Quòd ſi & tunc & deinceps ejus morem geſſiſſemus monitis; multa, dubio procul, incommoda evitâſſemus, in quæ poſtea incidimus.*

E. Helvetii cæſi ſæpe rurſus inſtare, & prælium redintegrare [a]cœperunt; victique, quàm [b]non plenè victores eſſe maluerunt.

a. Tralatitium hoc habent à ſuis Majoribus, de quibus idem teſtatur *Iul.Caeſ.* lib.1.p.9. Luculentiſſimum occurrit exemplum apud *Vitodur.* p.m.54.b. *Vna dierum Magiſter civium, Bruno nomine, vir floribus virtutum redimitus, coram populo eodem, à quodam intentante & parante ſibi mortem, graviter læſus eſt, de cujus manibus dum inſequeretur, eum à tergo volentem ad navem redire, & uno ictu ipſum vulnerâſſet per ſervos ſuos, quorum erant duodecim, tantùm ipſum ſolum reſpicientes celeriter ereptus eſt. Qui Magiſter civium, & una vice ibidem, ut fertur, de duodecim viris adverſariorum, eum occidere conantium, glorioſè eis reſiſtendo, & temeritatis ſuæ rabioſam malitiam reprimendo ſe eruit, & viriliter defenſavit. Cùm igitur coràm oppido intranei gloriæ & magnificentiæ ſuæ magnitudinem demonſtrâſſent, hortis olerum conculcatis, vaſtatis, erutis, quibusque fructibus quoque illis repertis & evulſis Turegum redierunt ovantes. Indignati autem ſunt de Comitis ſupra dicti de Habſpurg infidelitate medullitus, quia rupto pacis fœdere, ſecum prius inito, & jure-jurando ipſis*

do ipſis præſtito, extraneis adhæſit, in eorum præjudicium nimis grave, & ideo cogitantes, quoddam caſtrum ejus, appellatum Trinavv, nunc Vffnavv, non longè diſtans à Rappersvville, ſitum propè lacum oppugnare quendam Artificem, ſcientem facere inſtrumenta bellica advocârunt, qui, dum extruxiſſent per eum arietes, machinas & apparatus varios, neceſſarios & aptos ad caſtri memorati demolitionem, diſtinctim & ordinatim per turmas ſuas in navibus multis tripudiantes, cum ſonitu fiſtularum, campanis & cytharis lacum pariter aſcenderunt, qui cum uſque ad caſtrum navigâſſent, applicuerunt & ibidem in magno ſolatio diſcubuerunt, & multi inermes ſine trepidatione epulabantur, de ſua multitudine confiſi. Interim verò Comes de Habſpurg cum indigenis ſibi ſubjectis, vocatis in der Marckh/ *cum aliis auxiliatoribus ſuis in ſylva juxta caſtrum ex adverſo latitabat, inſidias Thuricenſibus tendens: qui videns cum ſuis Thuricenſes inconſideratos, epulis intendentes, & minus de eorum inſidiis propinquis cogitantes, de ſuis latebris erupit, & de monte & de nemore deſcendens, cum impetu vehementi in eos irruit, & multos occidit. Et quod dolens refero: Thuricenſium Capitaneum & Ducem, Comitem unum de Toggenburg abducentes, in fruſta plura conciderunt: quod videntes Thuricenſes, nimio terrore concuſſi, terga verterunt, & ad naves in ripa lacus fixas properabant, quos ſtipendiarij eorum confortantes, ad regrediendum & ferociter ipſos adverſarios ad percutiendum revocabant: qui ipſis acquieſcentes, more belluarum, occiſis fœtibus, in eos tanto furore debacchati ſunt, quod multi ſtupefacti tantùm ſunt, ut poſtpoſitis cunctis fugerint. Quidam verò in vepribus & frutetis ſe, quandiu cædes duravit, abſconderunt. Inſuper plures graviter & lethaliter vulnerati ſunt, multi quoque occiſi, inter quos, quod eſt miſerabile dictu, Comes de Habſpurg, vir utiq; fortis de viribus, decorus aſpectu, ſanguine præclarus, cecidit, qui tamen multos, ut dicitur, ante caſum ſuum gladio proprio peremit. Quidam etiam juvenis miles, ſervitor ſuus, laudabilis nimis, dictus Vlin-*

R *ger,*

ger, plenus virtutibus, quem novi, ſicut Dominus ſuus Comes occubuit, cujus mors lamentabilis erat, quia dilectus hominibus valdè fuit. De quo narrabatur, quòd videns Dominum ſuum, ſæpe dictum, in periculis corporis & maximis anguſtiis conſtitutum, audiensq; ipſum, in ſui auxilium ſe flebili voce implorantem, lateri ejus ſe conjunxit, & pro Domino vitam ſuam voluntariè expoſuit, quia tenerrimus & fideliſſimus ſuus ſervicialis extitit, qui dum viriliter & manu valida, mora aliquanta, defenſâſſet ſe, ab hoſtium truculenta invaſionis acie, malevolè mortem eis intentante, tandem uterque plaga inſanabili & mortifera proſtratus eſt. Sentiens a. ſe tumultu hoſtili circumdatum, & jam opprimendum ſuppliciter adverſarios, ut ſibi parcerent exoravit. Qui cùm renuerent, & ipſum tanquam bovem mactatum in macello crudeliter in diverſis corporis partibus transverberarent, voce altiſona vociferatus erat, & horribili, ſpiritum exhalavit. Hic ante ſuam mortem unum de potentibus Thuricenſibus, ut fertur, interemit, & ideo fortè ſui occiſores ſibi minùs parcebant, & acriùs in eum ſæviebant. Ex his evidenter patet, quòd Thuricenſes in fine, ubi laus canitur, triumphabant, & campum occupando obtinuerunt, intermiſſumq; eſt bellum. Hoc Thuricenſes cœptum opus cõſummare ſatagentes, caſtrum, ut quidam ajunt, per triduum oppugnabant, & ab ipſo non diſceſſiſſent, abſque ejus deſolatione, ſi ab advocatis Ducis Auſtriæ, quorum Comes de Habſpurg, necatus ab ejus conſanguineis erat, revocati non fuiſſent, diris, minis & diſtricto præcepto. Qui obtemperantes monitis, & juſſioni eorum, navigio per lacum cum ſuis occiſis, ferè XX. ad propria remeabant, qui in revertendo lacum à portu ad portum palis & ſudibus in fundum lacûs infixis, obſtructum & obſitum repererunt, ut tantò minùs reditus eis ad patrium ſolum pateret, & faciliùs tanquam piſces irretiti; & avis in laqueo, mus in muſcipula in captivitatem vel in mortem conſtringerentur, quas ſudes, mediante informatione Artificis machinarum, extraxerunt, & confregerunt, & inchoatum iter navigando &

remigando

remigando perfecerant, qui uxores & filias, cæterosq́; amicos & amicas obvias cum planctu & ululatu miſerabiliſſimo habuerunt, qui poſt defunctorum ſuorum ſepulturam lachrymabilem, reſumto ſpiritu fortitudinis vexilla, quæ ab hoſtibus fugatis vel ſuperatis in conflictu, vel aliâs ſuſtulerunt, in Monaſterio Felicis & Regulæ erexerunt, quæ multis diebus erecta ſteterunt in titulum & memoriam victoriæ prælibatæ.

Ejuſdem belli & ἐνστάσεως meminerunt *Simler*. de Repub. Helv. l. 1. p. 38. *Schvvizerus*, an. Ch. 1337. breviter: Exules Tigurini Iohanni Habſpurgio, Raperſuilæ Domino ſe conjungunt. Qua de cauſa Tigurini Raperſuilam obſident, & navibus trajecto lacu Grinovium petunt. Sed Comes inſtructo exercitu montem proximum inſiderat, & Tigurinos è navibus in terram deſcendentes ex improviſo adoritur, inque naves fugere compellit. Qua clade indignantes & ira concitati Tigurini denuo terræ appellunt, & de integro prælio decernunt, à quibus cæſus eſt Habſpurgius, & cum eo plures eximiæ nobilitatis viri. Captáque hoſtium ſigna ſex, die 21. Septembris. Idem, a. Chr. 1499. Suevi Conſtantiam egreſſi Helveticum præſidium, quod proximè ad urbem fuerat collocatum, in fugam disjiciunt. Helvetii, recollectis viribus Suevos præda onuſtos, & 2500. cædunt, reliquos fugere cogunt. Capta ſunt eo prælio ſigna militaria duo, & bellica tormenta majora quatuordecim.

Neque verò minus memorabile eſt, quod de Bernenſibus, nondum æterno fœderi Helvetico adjunctis *Vitoduranus* noſter refert pag. m. 65. *Anno 1338. in autumno Dominus Comes de* Kyburg/ *cum pluribus aliis Comitibus, movit prælium adverſus Bernenſes, ſuprà pluries nominatos, qui dum obſiderent oppidum quoddam pertinens Civibus in* Bern/ *Bernenſes coadunati, unà cum montanis Svvicenſibus, ſuprà etiam ſæpe memoratis, ſibi tunc conjuratis, & in adjutorium eorum acceſſitis ad defendendum oppidum, & ad hoſtes reprimendos, in manu forti, venerunt. Quos cùm vidiſſent Domini Comites nimis de ſe confidentes, quamvis magnum*

exercitum eis in auxilium deſtinatum, ex parte Ducum Auſtriæ, & jam in itinere propero venienai ad eos conſtitutum, certiſſimè ſcirent, licèt pauciores eſſent Bernenſes, cum Svvicenſibus in copioſa multitudine evocatis aggredi præſumpſerunt. Commiſſum eſt ergò prælium, in quo cùm Svvicenſes ad horam ſcorſum ceſſiſſent, pavore concuſſi, & vidiſſent adverſarios puſillanimes factos, & remiſſiùs agere, reſumptâ audaciâ, quam priùs amiſerant, reverſi ſunt, & tam fortiter egerunt, & tam acriter dimicabant, quòd primò & præ omnibus, cives Friburgenſes, hoſtes ab antiquo Bernenſium exiſtentes, multis eorum interfectis fugam inierunt, propter quod Svvicenſes cum Bernenſibus magis cordati, & animati effecti, plaga crudeli adverſarios, nemini parcentes uſque ad internecionem cædebant, tanto etiam furore contra eos debacchati ſunt, ut heu! Dominus de Nidavv, qui in multis præliis campeſtribus & atrocibus tam inter Catholicos, quàm inter Paganos, illæſus permanſit, cum toto cœtu ſuo ibidem occubuerit. Comes quoque de Arberg, Comes VVoburg, filius exterioris Comitis de Sabaria, adoleſcens elegantiſſimæ, ut fertur, perſonæ, Comes de Gruers, illic ceciderunt, nec non viri alii plures, ſtrenui & nobiles de diverſis partibus ibi perierunt. De Suevia verò unus Dominus, vir utique robuſtus & fortis viribus, cum multis militibus creatis, ante congreſſum confugere erubeſcens, ultrò ſe diſcrimini offerens, vocatus de Blumenberg/ *peremptus eſt. Sed pauci de Bernenſibus & Svvicenſibus, in comparatione ad ipſos corruerunt, ex utraque tamen parte, circiter mille viros, ut medium teneam, dimiſſis extremis, in bello illo occubuerunt. Nam quidam longè plures, quidam longè pauciores affirmant. Poſt bellum autem, multi Bernenſium inventi in campis, vel negotiis ſuis ab altera parte necati ſunt, una quidem nocte ferè XL. viri, ut dicitur, civitatem exeuntes occultè pro ſuis negotiis agitandis, ab hoſtibus ejus inſidiantibus, cæſi ſunt. Cum quibus dum Gvvardianus Fratrum Minorum Mettertius, egreſſus fuiſſet, à quodam Suevo adverſæ partis, graviter & lethali-*

thaliter per maxillam vulneratus eſt, imò ſicut percepi, ab ore ſuo, ſi ramus cujuſdam arboris ictum primò vulnerantis non recepiſſet, caput ipſius amputâſſet. Quod dum Suevus ille agnoviſſet, procidit cum lachrymis ante eum amariſſimis, veniam de commiſſo petens, quia ignoranter feciſſet propter tenebras noctis, eum ab aliis diſcernere non valens. Cui Gvvardianus ignovit, cicatricem, quanquam ſanatus, ſit valdè apparentem in facie, in perpetuum portans.

(*b*) Sit exempli loco clades Marignana ex deſcriptione *Vadiani* in Melam. p. 169. Quod ad pugnam attinet, ſcio quàm fortiter Gallus, quàm conſtanter Germanus congreſſus ſit. *Veſperi quidem utrumque vicerat Helvetius, niſi pugna nox obfuiſſet.* Manè ſequentis diei, cùm diu prælium ancipiti alea committeretur, Gallus victoriam retinuit; magna ibi ſeveritate decertatum eſt, & multæ utrinque generoſæ efflatæ animæ, multúmque ab utraque parte cruoris datum, atque utinam alterutri alio quopiam periculo aut vincere aut vinci datum fuiſſet; caſus enim fortium virorum quicunque illi ſint, me miſeret. Helvetius quidem præter vires in lacertis poſitas nihil habuit reliqui, quo in hoſtem impetum facere potuiſſet. Id enim à Patribus Majoribúsque ſuis habent, ceu gentilitium, ut magis virtute contendant, quàm aut dolo, aut inſidiis nitantur. Nulla erant tormenta, &c, ſi quæ fuiſſent, nullus erat uſus, pulverem corruperant foſſæ aquis plenæ, toties ſuperandæ. At Gallus equitatu & tormentis tota nocte in Helvetium adparatis, non alio vicit magis: pauci enim ex noſtris pugnâ comminus factâ cæſi ſunt, incautos tormenta rapuere, quæ fugiturus miles, dum nullo ordine in latere hinc & inde diſpaleſcit, urgentem in equitem incidit, ubi coit rurſus, rurſum converſa diripiunt tormenta: eáque immani neceſſitate factum eſt, ut multa clade accepta (quinque enim millia deſyderata ſunt) cedere ſenſim Helvetius fuerit coactus. Quo primum tempore, quod in hominum memoria ſit, Helvetica acies inclinare viſa erat. Neutiquam autem illa refero eo animo, ut aut

noſtratium probandam temeritatem, aut hoſtium aſtutiam incuſandam putem, tanquam belli jure illa aut amiſſa, aut parta victoria non fuerit. Dolus enim an virtus (ut Virg. ait) quis in hoſte requirat? Sed multò magis, ut rebus actis ſua fides conſtet. Porrò bene habent res noſtræ: hoſti pulſo victor inſigne præbet compertæ virtutis teſtimonium. Scimus Franciſcum potentiſſimum Galliarum Regem, poſt victoriam illam ſuam pari clade cruentam, è veſtigio legatos miſiſſe pacis gratiâ cum Helvetiis ineundæ: quam ægrè impetratam, ſepties centenis millibus ſcutatorum ſole inſignium perſolutis ſtabilivit.

F. Non impari modò ſemper ferè Helvetii [a] pugnârunt Marte; ſed & [b] diſpari apparatu.

(*a*) *Theſaur. Polit.* Apoteles. 49. p. 397. *Anno Chriſti 1513. Franciæ Rex Inſubriam, ſive Mediolanenſem Ducatum oppugnaturus, Helvetiis, ut ſibi militarent, multis modis perſuadere conatus eſt: quod tamen illi ob fœdus cum Maximiliano Imperatore, & domo Auſtriaca præfractè recuſârunt. Cùm verò Rex nihilominus expeditionem cum decem peditum & totidem equitum millibus ſuſcepiſſet, à novem Helvetiorum millibus, univerſus exercitus ipſius profligatus fuit, & diſſipatus. Sequenti anno Pontifex, Imperator & Dux Mediolanenſis certatim non minori ſtudio Helvetiorum auxilia ambierunt, promiſſa annua penſione, eóque res tandem deducta eſt, ut fœdus illi cum Pontifice Leone X. percuſſerint. Inde Franciæ Regem iterum cum quadraginta peditum & viginti equitum millibus, & centum majoribus tormentis in Italiam deſcendentem, triginta ſex Helvetiorum millia adorti ſunt & prælio vicerunt, in quo ſeptem Helvetiorum; & duodecim Gallorum millia ceciderunt.* Iov. *Hiſtor.* lib. XI. p. 174. *Ludovicus majores etiam è Britannia motus expectans, cùm jam ira & dolore multum exarſiſſet, quòd pauci atque inermes Helvetii, periti ſſimos Duces, Veteranum equitatum, &*

pedites

pedites numero roboréque præſtantes vera virtute ſuperâſſent, omnibus regni viribus in Belgarum fines traductis, ad Britannicum bellum ſe convertit. *Etterlinus*, pag.108. tradit Ermatingæ propè Conſtantiam 1400. Helvetios fugâſſe 12000. Auſtriacos. In bello Mulhuſino quadraginta Helvetii ducentis ſe opponebant equitibus, *Idem*, pag.83. & *Tſchachtl.* pag.163. Huc referri poteſt Delphini & Helvetiorum pugna propè Baſileam, de qua *Idem*, p.76. Glaronenſes 200. an. Chr. 1388. adoriebantur 6000. *Idem*, p.52. *Schvvizerus*, an. Ch. 1535. Nobilitas Sabaudica Genevenſibus denuo bellum infert. Quadringenti quindecim Helvetii Genevenſibus præſidio miſſi in manus 1500. Sabaudicorum militum inciderunt, qui de ſuperiori loco cum illis pugnârunt. Ab iisdem victi Sabaudorum 440. ſunt deſiderati. Helvetiorum ceciderunt ſeptem, lixæ duæ, & mulier una, quæ fortiſſimè pugnans tres Sabaudos, priusquam caderet, interfecit. Bernenſium & vicinorum exercitus in Loupenſi prælio deſideravit 22. hoſtes 3500. *Stettler.* lib.2.p.61.

(*b*) Id quod ad Novariam cumprimis, ut alii, & ad Marignanum, ut *Vadianus* obſervavit (vide ſupr. p.261) accidit. Vide *Stettler.* pag.92. de pugna Sempachiana; & *Iov.* litera præcedenti a.

G. Victis etiam, & ab hoſte extra limites ſuos ſuperatis, victores amicitiam offerebant, & ad fœdera alliciebant.

Magnum virtutis præmium, victorum etiam amicitiam ambiri. Hoc ſanè fato Helvetii non ſemel pugnârunt. Exemplum habemus in Delphino, Duce Ludovico XI. Caroli VII. primogenito, qui ex cæde Baſileæ Helvetiis illata, eorum magni æſtimare didicit amicitiam, quam etiam cum iis contraxit. *Simler.* de Helvet. Repub. pag.114. Sic & *Franciſcus*, Galliarum Rex, poſt pugnam Mediolanenſem, an. Chr. 1515. non infeliciter contra Helvetios finitam, eosdem ſibi fœdere devincire ſtuduit. Vide *Simler.* loc. cit. pag.115.b. Proſopograph.

 Pantaleon.

Pantaleon.pag.25. Coſmog. *Münſt*. pag.610. & ipſum hac de re *Vadiani* judicium, ſuprà,pag.262.inſertum. *Caſi in Morengarten Tigurini cives 52.qui Duci Auſtrio à Senatu auxilio miſſi fuerunt,omnes diverſi colore, veſtitu ejuſdem generis uſi,mortui eodem loco reperti ſunt, virtuti eorum etiam hoſte teſtimonium perhibente*: *Stettler*.lib.2.p.4. *Simler*. de Repub.Helv. lib.1.p.22.b. Vnde paulò pòſt in fœdus fuerunt aſciti. *Idem*, p.45.a.

H. Viribus impares ſecedere coacti, turpis fugæ notam haud facilè ſibi inſſerunt.

Guicciard Hiſt.lib.12.pag.179.de clade ad Marignanum: Alvianus Helvetios magno impetu à tergo eſt adortus,qui etſi ſemper audaciſſimè fortiſſiméque pugnarent,tamen cùm tam validè hoſtem reſiſtere cernerent,& Venetorum copias adeſſe,de victoria deſperantes, cùm jam Sol per multas horas terram illuſtrâſſet, receptui cecinerunt; & tormentis iisdem, quæ ſecum adduxerant,humeris ſublatis,acies verterunt,ſemper ordinibus conſervatis, lento greſſu,tantáque cum Gallorum admiratione, ut ex toto exercitu, nullus equitum peditúmque auſus fuerit eos perſequi, Mediolanum verſus contendebatur. Binæ tantùm illorum cohortes; quæ in villam quandam confugerant, à Venetorum expeditis equitibus flammis eo in loco extinctæ fuerunt: reliquus exercitus ordinibus ſuis integris, eandémque in vultu & oculis ferocitatem ſpirans,quindecim majoribus tormentis, quæ hoſtibus primo impetu abſtulerant,quòd ea vehere non poſſent, ut nonnulli ajunt,in foſſis relictis,Mediolanum rediit. In Mulhuſino bello trecentis ſe equitibus tam maſculè 40. pedites Helvetii oppoſuerunt,ut vitam vix tandem fugâ redemerint. *Etterl*.pag.83. *Stettler*.an.Ch.1341. p.65.aliud de quibuſdam Bernatibus refert exemplum. In Suevico bello ſexcenti Tigurini in cuneum coeuntes 1500.equitibus adeò animosè reſtiterunt,ut unius tantùm jacturâ Nobilitatem ſpe & faſtu victricem abegerint. Nec celare

lare poterant, confecto etiam bello, nihil acerbiùs ſibi tot velitationibus & prælus accidiſſe, quàm exiguum illum manipulum ſalvum & illæſum, non ſine Nobilium ſuorum aliquot cæde, ad ſuos rediiſſe. *Bulling*. de reb. Tig. l. 13. c. 19. *Stumpf*. l. 13. c. 27.

I. Helvetiis, pedem collaturis, animum addiderunt

I. Strategorum vita prodigorum κɩλδὼɑμœ: cujusmodi in prælio 1. *Loupenſi* eſt Eilachii. *Tſchachtl*. p. 27. *Etterl*. p. 25. *Stettl*. l. 2. pag. 59. 2. *Moratenſi*, Hallwilii, *Graſſ*. p. 147. 3. *Novarienſi*, Motini, juxta *Guicciard*. l. 12. p. 177. cujusmodi etiam Tigurino cuidam tribuit *Paul. Iovius*, lib. 11. p. 167. *Tum verò*, inquit, *exurgens Craſſius Tigurini pagi Magiſter, vir eximia authoritatis: Nolite, obſecro, invicti fratres*, inquit, *differendo committere, ut conſilium ingentibus animis ſuſceptum, importuna Alto-Saxi atque auxiliorum expectatione corrumpatur. Id enim una maximè celeritate tutum, & eventu felix evadet. Nec quicquam aliud nobis rectè & naviter decernentibus, quàm maturè facto opus eſt, ne tanta occaſioni, quæ in hanc ſpem rei bene gerendæ nobis offertur, & levi temporis momento prærverti poteſt, nequaquam impigrè deſimus: ſatis namque erunt, vel paucæ cohortes invictæ virtutis ad opprimendos hoſtes, dum nihil nos ante auſuros, quàm ſe conjungat Alto-Saxus exiſtimant. Proinde utamur illorum errore, & incautè ſuperbis, opinionéque deceptis, expectato impetu improviſum terrorem ad non dubiam cædem & fugam inferamus. Vicimus profectò, ſi victoria egregio conſilio concepta, atque explorata, intrepidis animis, & fortibus dextris quæratur. Tum viri cuncti ad unum Duces atque ſigniferi nullam omnino moram ſibi afferunt, quin peroranti Craſſio ſtatim accedant.* Vtrum Roeſtium, qui Tigurinorum Conſul fuit, intelligat, Iacobum Stapferum (quem *Guicciard*. Staflerum lib. XII. p. 203. appellat) an Iohannem Cellarium Tigurino-Bulacenſem, qui itidem, teſte *Bullingero*, de reb. Tig. lib. XIV. c. 19. mi-

litibus animum blanda oratione addidit; dicere non habeo. De Craſſio nihil certi conſtat. 4. *Mediolanenſi*, Matthæi Cardinalis Sedunenſis apud *Guicciard*.lib.XII. pag.174. Tandem verò cùm ſimul conveniſſent, Sedunenſis Cardinalis, qui, ut in bello perſeverarent ardentiſſimè hortabatur, vehementiſſimis verbis, ut nulla interpoſita mora eodem die ad impreſſionem in Galliæ Regem faciendam erumperent, eos incitare cœpit: nec ita eis hoſtium equitatus ac tormentorum copiam ob oculos poſuit, ut ea Helvetiorum ferocitatis, & victoriarum adverſus Gallos partarum memoriam perturbaret. *Ergò*, inquit Sedunenſis, *gens noſtra tot labores pertulit, tot pericula ſubiit, tantum ſanguinis effudit: ut unica die tantam gloriam, tantum nomen, toties à nobis devictis hoſtibus relinqueret? nonne hi ſunt illi iidem Galli, qui nobiſcum tot victorias ſunt adepti? ſine nobis ſemper ab omnibus victi? nonne iidem ſunt iſti Galli, qui ſuperiore anno, ab exiguis noſtrorum copiis tanta cum gloria propè Novariam fuſi fuerunt? nonne illi ſunt, qui noſtra virtute territi, maxima ſua ignavia perturbati, Helvetiorum nomen ad cœlum uſque extulerunt? clarum quidem nomen quandiu cum illis fuimus, ſed clariùs longè poſtquam ab eis disjuncti ſumus: qui Novariæ erant, equitatu ac tormentis carebant, auxilii proximam ſpem habebant: & tamen Mottino Helvetiæ gentis ornamento atque ſplendori parentes, eos in ſuis caſtris fortiter aggreſſi, in illorum fulminantia tormenta impetu facto, tot germanis militibus caſis, ut & arma, & lacerti illorum occidione delaſſarentur, eos fuderunt: & nunc illos quadraginta Helvetiorum millia tam fortem tamq; validum exercitum, ut quum reliquis mortalibus univerſis ſimul conjunctis acie decertare poſſit, expectare auſuros creditis? Fugient, mihi credite, ad ſolam adventus veſtri famam: non ſua virtute, ſed diſſenſionum veſtrarum ſpe freti Mediolano appropinquare ſunt auſi: non eos regis nomen præſentiavé retinebit, quoniam aut vitæ aut regni ſui in diſcrimen conjiciendi metu, primus erit, qui ſaluti ſuæ conſulat, &*

reliquis

reliquis idem faciendi exemplum dabit: Si hoc exercitu, hoc eſt totius Helvetiæ viribus, eos adoriri non audebitis, quibus propterea viribus, qua ſpe eis reſiſtere poteritis? quem ad finem in Longobardiam deſcendimus? ad quem finem Mediolanum venimus, ſi hoſtium occurſum exhorreſcimus? ubi eſſent magnifica verba? ubi totius hujus anni ferocesminæ? quum nos in Burgundiam irrupturos gloriabamur? quum Angliæ regis pace, Pontificis ad fœdus cum Galliæ rege ineundum propenſione lætabamur: quò plures in Mediolanenſe imperium conjuraſſent, eò majorem nos gloriam conſequuturos? melius erat hiſce annis tot illuſtres victorias adeptos non fuiſſe: Gallos Italia non expuliſſe: intra veteris noſtræ famæ limites conſtitiſſe: Si deinde omnes ſimul contra cunctorum mortalium expectationem tam abjecto animo eramus futuri: hodie nobis Novarienſem victoriam virtus, an fortuna tribuerit, in totius orbis terrarum oculis declarandum eſt: ſi nos hoſtium conſpectum horrere oſtenderimus, ab omnibus ea vel caſui, vel temeritati tribuetur: ſin eadem audacia utemur, virtutem eam fuiſſe omnes fatebuntur, quòd ſi eodem eventu (de quo dubitandum non eſt) pugnabimus, non modò præſentibus formidabiles, verùm etiam poſteris venerabiles erimus, quorum judicio & laudibus Helvetiorum nomen Rom. nomini anteponetur: neque enim illos nunquam tanta audacia uſos, neque victoriam aliquam tanta virtute adeptos legimus, neque nulla neceſſitate compulſos prælium committere conditione tanto deteriore cum hoſtibus voluerint: de nobis autem, pugnâ propè Novariam commiſsâ, legetur, ubi parvis copiis ſine tormentis, potentem, omnibusq́; apparatibus inſtructum, cui duo ſummi Imperatores, quorum alter dubio procul in tota Gallia, alter in Italia primum obtinebat locum, præerant, exercitum fudimus. Legitur hac ad Sandonatum memorabilis pugna, ijsdem incommodis, contra ipſummet Galliæ regem pugnantem, contra tot Germanorum phalanges depugnata, qui quo majore numero ſunt, eo magis odium noſtrum explebunt: tanto majore militiæ ipſorum

rum in perpetuum delendæ nobis facultatem præbebunt: tanto minus temerè, cum Helvetiis in armorum certamen devenire audebunt: proregem & pontificias copias nobis adjunctum iri certum non eſt: quin potius multis de cauſis fieri non poſſe videtur: ad quem igitur finem expectandi ſunt? Quid, quòd ne illorum quidem adventus nobis neceſſarius eſt? & hoc impedimentum nobis gratum eſſe debet; gloria enim tota noſtra erit: noſtra erunt ſpolia, noſtræ divitiæ, quibus tanti regis caſtra referta ſunt. Mottinus gloriam ne cum noſtris quidem, nedum cum aliis communicatam voluit: & nos tam ignavi, noſtræ virtutis contemptores erimus, ut, etſi illi nobis conjungi poſſent, exteros, quos tantæ laudis, tanti honoris participes faciamus, expectare velimus. Majorem moram, longiora conſilia non fert Helvetiorum nomen, non rerum ſtatus poſtulat: nunc exeundum eſt, nunc, nunc hoſtes ſunt invadendi: iſta conſilia timidorum ſunt: qui non ut ſe periculis obijciant, ſed ut ea fugiant, cogitant: at feroces bellicoſosq́; viros, cujusmodi vos eſtis, hoſti ut primum conſpectus eſt occurrere decet: quamobrem Dei, qui Gallorum ſuperbiam, juſto odio perſequitur, ope freti, conſueta virtute haſtas veſtras rapite: tympana pulſate: quin ſtatim citra ullam moram vadimus: quin inquam vadimus ad arma noſtra delaſſanda, ad odium noſtrum illorum, qui ob ſuperbiam ſuam omnes vexare volunt, ſed ob ignaviam ſemper omnibus prædæ ſunt, ſanguine exaturandum. Hac oratione incitati armis ſtatim furentium more correptis & Rom. porta egreſſi, agminibus ſuis inſtructis, quamvis lucis non multum ſupereſſet, tanta alacritate, tantisque clamoribus ad Gallorum caſtra contenderunt, ut ejus rei neſciis magnam aliquam victoriam adepti videri poſſent: dux militem ad iter accelerandum hortabatur: miles ducem, ut cum primum hoſtium caſtris appropinquaſſent, ſtatim pugnæ ſignum daret, monebant: velle ſe campos mortuorum cadaveribus tegere: velle eo die Germanorum peditum nomen delere: præſertim eorum, qui quodam mortis præſagio, nigra ſigna geſtabant.

bant: hac ferocitate quum ad Gallorum caſtra perveniſſent, etſi duæ tanùm ejus diei horæ ſupererant, in tormenta munitionésque impetu facto, pugnæ initium fecerunt: quo impetu vix dum conſertis manibus, prima agmina perpulerunt fuderúntque, & tormentorum partem occupârunt: Sed quum eis equitatus cum magna exercitus parte, & ipſemet rex valido nobilium virorum agmine ſtipatus occurreret: & jam tantus impetus nonnihil repreſſus eſſet, atrox pugna eſt cœpta, quæ vario ſucceſſu, & maxima cum Francorum equitum, (qui jam inclinabant clade, nonnullis ex Gallis ducibus jam cæſis, rege ipſo multis haſtarum ictibus appetito, ad quartam uſque noctis horam protracta fuit: tunc quum neutri arma jam præ laſſitudine manibus tenere poſſent, prælio absque tubarum clangore Ducúmve imperio dirempto, Helvetii iis in caſtris hæſerunt: nec alter alterum lædebat, ſed quaſi tacitis induciis proximam lucem expectabant. Verùm, cùm prima Helvetiorum, quibus Cardinalis, ubi aliquantiſper quieviſſent, commeatum Mediolano adferri curavit, impreſſio tam fauſta fuiſſet, ut per totam Italiam nuntii mutatis equis hoſtium exercitum ab Helvetiis fuſum nuntiantes pervolarent. Rex noctis tempus quod ſupererat, non ocioſè tranſegit: quoniam periculi magnitudine perſpecta, tormentis ad loca opportuna contrahendis, Germanorum & Vaſconum ordinibus inſtaurandis, equitibúsque in ſuas turmas reſtituendis operam dedit: interea lux diurna ſupervenit, in cujus initio Helvetii, totius Italicæ militiæ ſimul conjunctæ, ne dum Gallici exercitus contemptores, eodem impetu, & temerè admodum hoſtem ſunt adorti: à quibus fortiter, ſed prudentius & majore diſciplina excepti, tormentis & Vaſconum ſagittis, atque ab equitatu oppugnabantur, ita ut à fronte & lateribus cæderentur: & in Solis ortu affuit Alvianus, qui ea nocte ab rege accerſitus, ſtatim cum levis armaturæ equitibus, & magis expedita exercitus parte, iter ingreſſus, quum atrox maximè ſæviret Mars, résque in ſummum eſſet adducta diſcrimen, reliquis copiis paulatim cum ſubſequenti-

quentibus, eò pervenit: Helvetióſque magno impetu (repete diſceſſum Helvetiorum ex pag. ſuperiori 264.) à tergo eſt adortus: Communi omnium hominum conſenſu, nulla à plurimis annis in Italia ferocior ac formidoloſior pugna commiſſa fuiſſe ferebatur: quoniam ob impetum quo Helvetii prælium inierunt, deinde ob noctis errores, quibus totius exercitus ordinibus perturbatis, permixtè, absque imperio, ſine teſſera pugnabatur, omnia fortunæ penitus erant ſubjecta. Rex ipſe ſæpius in periculo verſatus, ſalutem ſuam magis propriæ virtuti & ſorti, quàm ſuorum, à quibus ſæpius in tanta Martis confuſione noctiſque tenebris deſertus fuerat auxilio, acceptam referre debebat: adeò ut Trivultius, qui tot res viderat, ac decies octies acie conflixerat, hanc non hominum, ſed Gigantum pugnam, & illas cum hac comparatas pueriles prorſus extitiſſe affirmaret: nec dubium erat, quin Helvetii, primo impetu, intra Gallorum munitiones, ingreſſi, & maxima tormentorum parte occupata, ſemper ulterius erant progreſſi, niſi tormenta obſtitiſſent, victores eſſent futuri: nec parvi momenti fuit Alviani adventus, qui cum ancipiti Marte adhuc pugnaretur, ſuperveniens, Gallis animos addidit, & Helvetios omnes Venetorum copias cum illo eſſe opinantes terruit. Cæſorum numerus, ſi qua in pugna, ut fieri ſolet, incertus fuit, in hac fuit incertiſſimus: varii admodum erant de eo hominum vel ſtudio vel errore ſermones: nonnulli ſupra quatuordecim Helvetiorum millia cecidiſſe dixerunt: alii decem, moderatiores octo millia: nec defuerunt, qui ad tria millia contrahere vellent: omnes tamen ferè ignobiles & obſcuri nominis: at ex Gallis in nocturno conflictu ceciderunt Franciſcus Borbonii ducis frater, Imbricurtius, Sanſerrius: Talamontius princeps Tramolliæ filius, Buſſius Rotomagenſis Cardinalis olim nepos, Saſartii comes, Catelartus Sabaudus, Buſichius, & Moia, qui regiæ nobilium turmæ vexillum ferebat, omnes nobilitate, atque opibus vel honoris in militiæ gradu clari, ac de Gallorum quoque in hac pugna deſideratorum numero variæ fuerunt

fuerunt ſententiæ: alii enim ſex millia, alii non ſupra tria millia cecidiſſe aſſerunt: inter quos nonnulli Germanorum peditum duces numerantur. Vbi Helvetii Mediolanum ſe recepiſſent, maxima inter eos, utrum cum Galliæ rege paciſcendum, an Mediolanum defendendum eſſet diſſenſione orta, duces illi, qui antea de pace egerant, minus turpem diſceſſus cauſam quærentes, à Maximiliano Sfortia, quem dare non poſſe notiſſimum erat, pecuniam petierunt: deinde omnes Roſtio legionum præfecto ad id cohortante, ſequenti die Comenſi via in patriam reverterentur, Duci ſe brevi, ut arci in qua mille ac quingenti Helvetii & quingenti Itali pedites relinquebantur opem ferrent reverſuros polliciti, diſceſſerunt.

II. *Amor Vincendi*; unde factum, ut mori maluerint, quàm deditionem facere. *Naucler*. Geneal. 47. pag. 268. b. A. Ch. 1422. *Circa feſtum Vdalrici exierunt Lucerna, Zug, Baſſevallenſis, & vallis Vrania, & requiſierunt Confœderatos omnes, & obſederunt oppidum Bellentz. Erat in oppido quidam Capitaneus, cum nonnullis armata militia, qui tantum tenebant ſilentium, ut Confœderati putarent eos timore oppidum deſeruiſſe: Verùm, manè quidam Capitaneus cum ſibi adjunctis exivit oppidum, videre volens quemadmodum ſe locâſſent, quos, cùm vidiſſet ſine ordine, mox invaſit eos: Sunt eo die ex Confœderatis, circiter mille & centum deſiderati, quia nolebant ſe captivos dare; ſed potius mori.*

III. *Metus infamiæ aut ſupplicii*, quæ fugientibus & λιποτάκταις deſtinata erant. *Paul. Iovius* Hiſt. lib. x. pag. 168. *Hæ Helvetiorum ſunt ſeveriſſimæ leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus qui præ metu turpia atque indigna viro forti tentaverint, à proximis Commilitonibus ſtatim obtruncentur. Ita major metus vincit minorem; & metu fœdæ mortis decora mors non timetur.* Et pag. 171. Vertius, Gallicæ factionis Helvetius, *inchoatâ jam pugnâ, ex acie Olegium profugerat, exitiali mendacio, deletos Helvetios, &c. Is poſtea conquiſitus atque ita damnatus eſt, ut more majorum in fruſta ſecaretur.*

caretur. Qui, initio Loupenſis prælii, nonnihil ſe ſubduxerunt, etſi poſtea redeunte in præcordia virtute, maſculè ſe defenderint, famam tamen & bonorum virorum nomen difficulter tueri poterant; *Tſchachtl*.p.27. *Saltuarii*, vulgò, die Forſter/ à ſaltu, in quem ſeceſſiſſent, dicebantur; *Stettler*.lib.2. pag.260. Quid de reliquiis cladis Baſileenſis factum ſit, & quàm ægrè vitæ longioris uſuram obtinuerint, habes apud *Stettler*.a.Ch.1444. Suitenſes, poſt acceptum Bilitionæ vulnus, adeò exprobratum ipſis *συμμαχίας* neglectum officium ferre noluerunt, ut vel ſoli deinceps ultramontanam ſuſceperint expeditionem; *Bulling*.l.9.c.8. *Stettler*.l.3.a.Ch.1425. *Idem* alius meminit exempli, an.Ch.1443.p.146.

IV. Adverſariorum atrocitas, cujus varia dederant ſpecimina 1. In denuntiatione belli contra Helvetios. Hic verò omne evomuerunt virus. Literas Ducis Mediolanenſis acerbas ad Tigurinos ſcriptas habet *Bullingerus*, lib.9.c.9. Ἀποσταζόμενον ex Maximiliani programmate decerpſit *Stettler*.pag.348. 2. Signis, minarum & vaſtitatum plenis. Talia erant Caroli Burgundi; *Graſſer*.p.134. 3. Suis ante victoriam partam ἐπινικίοις. Vide *ſuprà*, p.87. Adde exemplum Mediolanenſium, qui præſidiariis Suitiorum, ſub Duce ſuo Petro Ryſſio, cùm deditionem facere nollent, erectis patibulis terrorem incutere tentaverunt. *Bulling*.l.9.c.8. 4. Crudelitate & opprobriis in victos, præter fidem ſæpe datam, peſſimè tractatos. Exempla habemus *a*. in Carolo Burgundo, qui in oppido Bry 250. Helvetios, contra pacta & fidem, ſuſpendio necat; *Schvvitz*. an. 1475. Paulò pòſt, 1476. Præſidiarii Granzoniam arcem Burgundo, fide data, dedunt. Sed rupta fide 500. Helvetii Bernates & Friburgenſes, partim ſuſpendio, partim lacu ſubmerſi vitam finierunt. *Idem*, *b*. Inde clade Marignana, ubi & Ammani Vranii, Puntineri, hominis obæſi abdomine unxerunt ocreas & haſtas; *Stettler*.p.520. & in exeuntes Mediolano milites convitia ὡς ἐξ ἁμάξης conjecerunt; exprobrantes: Ipſi ne tandem fugere didiciſſent? De quibus *Steiner*. Tugin. in deſcript. hujus belli.

V. Rar-

V. *Rarum inter Commilitones pacis & concordiæ ſtudium.* Simlerus lib.2.pag.126. Apud cæteros Germanorum milites uſu receptum eſt,ut ſe mutuò fratres nominent; unde etiam veteribus dicti Germani videntur; interim quotidie ferè inter ſe digladiantur,& tumultuantur,& plerunque truculenti illi Landsknecti,quorum facies conciſa & cicatricibus plena Martem ſpirare videtur, plura ab amicis & ſociis,quàm ab hoſtibus vulnera acceperunt; ut jure Cadmæi fratres dici poſſint. Contra in Helvetiorum caſtris ſumma plerunque pax eſt & tranquillitas,& ſinguli alios,quos tantùm Helvetios ſciunt,cætera ignotos,non aliter quàm fratres complectuntur; acerrimáque odia ſincerè,cauſa Reipublicæ deponunt. Cujus rei memorabile exemplum; quod ſæpe à majoribus natu, adoleſcens audivi, commemorare non piget. Erant inter ſe duo Helvetii jurati hoſtes Arnoldus Vnderwaldius,qui magnum in militia nomen poſtea aſſecutus eſt,& Zerchintes Tigurinus,ambo viri fortes,& bello utiles: Cùm igitur in bello Suevico ambo in caſtris eiſdem eſſent, à Ducibus belli edictum illis fuit,ut amicitiam colant,& veterum inimicitiarum belli tempore obliviſcantur. Accidit autem fortè,ut in excurſione quadam Arnoldus ab hoſtibus circumveniretur,id conſpicatus Zerchintes,illi cum ſociis auxilio venit, eúmque præſenti periculo eripuit: Cæterùm, cùm ſub veſperam in caſtra rediiſſent, Arnoldus ad tentorium Zerchintæ accedens, eum nominatim evocat; Contubernales totius rei ignari,atque exiſtimantes,eum hoſtili animo advenisse; ipſi progrediuntur, & Arnoldum pacis indictæ admonent,caveat, ne tumultum in caſtris excitet,ille,ſe amico animo adeſſe reſpondet,& quid acciderit,comemorat,ſimúlq; bellatorem equum, quem illa excurſione ceperat,Zerchintæ dono adducit. Atque ab eo die mutuam amicitiam firmiter ad obitum uſque coluere.

K. Extrema quæq; tentare,& omnia experiri, quàm bello decernere maluerunt.

 Audia-

Audiamus *Philip.Comin.* de bello Burgundico ita loquentem lib.7.pag.253. *Colloquium Rex valde urgebat,& hortabatur eos,ut Helvetios ſineret uti pace,neque miſeram & tenuem prædam ibi ſectaretur, & exercitum potius recrearet. Helvetii, cùm ad fines eorum viderent illum habere præſidia,Legatos de pace mittunt, & pollicentur,quicquid ademerant,reſtituere. Sed Romontius contra magnopere ſollicitabat,ut præſens opem ſibi ferret. Eo probato conſilio,ſtatuit omnino bellum eis facere; & priusquam illud fecit, cum Rege paciſcitur, ne propter Lotharingicum bellum ullus inter ipſos motus exiſteret. E Lotharingiæ finibus profectus,ubi cùm exercitu in Burgundiam acceſſit; alii veniunt ab Helvetiis ad ipſum Legati,cum amplioribus mandatis, quorum hæc erat ſumma: paratos eſſe Helvetios,non ſolùm reſtituere omnia,quæ occupâſſent; verùm etiam à quavis alia ſocietate diſcedere,& ipſi militem adverſus Regem ſubminiſtrare. Cùm autem obſtinatè eis omnia negaret: ea ſpe dejecti cum vicinis ad Rhenum civitatibus ineunt fœdus in annos decem.* Et paulò pòſt,pag.257. *Comes Romontius mercatori cuidam Helvetio,quum per ipſius ditionem iter faceret,ademerat currum onuſtum pellibus ovium. Ea fuit belli cauſa. Quòd niſi Carolum Deus planè deſtituiſſet,non eſt credibile,illum pro re tam exigua bellum ſuſcepturum fuiſſe; præſertim cùm & Helvetii amplas proponerent conditiones, & propter ipſorum agri tenuitatem nulla vel utilitas magna, vel gloria poſſet ex eo bello ſperari.* De Morengartenſi & Loupenſi, vide ſuprà,pag.165. Cònf.*Stettler*.lib.2.pag.56. Habet etiam hunc Canonem *Molit.Lucer*.lib.cit.

L. Helvetii parcere victis & Majorum exemplo didicerunt, & legibus tenebantur.

Gerardus de Roo, Hiſt.Auſt.lib.2.p.88. poſt *Tſchacht*. pag.15.a. & *Stettler*. pag. 43. *Leopoldus iisdem diebus Solodurum obſederat,quod oppidum,præter cives,præſidium*

dium quadringentorum militum, quos Bernates eorum ſocii miſerant, habebat. Leopoldus ſupra oppidum ponte ſublitio Arulam fluvium junxerat, quo, dum copias ſuas trajicit, inundationibus ſoluto, multi periêre: oppidani verò (raro inter hoſtes exemplo) complures ſubmergendi periculo, lembis, & porrectis haſtis ereptos, abſque pretio in caſtra ad Leopoldum miſere, qui hoc eorum facto motus, bello ultra perſequendos eſſe, non putavit. Plura exempla habet *Stumpf.* lib. 10. c. 35. *Etterl.* pag. 110. a. b. *Tſchachtl.* p. 14. b. *Henric. Pantal.* continuat. *Sleidan.* lib. 27. p. 350. *Cùm Albanus Cæſareanorum Dux Romam obſidione quaſi cinxiſſet, Pontifex Gallum, Chriſtianiſſimum Regem & libertatis pontificiæ vindicem, literis & nuntiis ſollicitavit, ut maturè opem ferret, antequam majorem cladem ſentiret. Itaq; Henricus apud Helvetios & Germanos confœderatos militem impetravit. Eo tempore Helvetiorum viginti duabus cohortibus, qui nomina ſua dederunt, præerat Villielmus Froelichius, Eques auratus, rei militaris Dux peritiſſimus, qui jam pridem in Taurinis ad Cereſolam inſignem victoriam de Cæſarianis acquiſierat, atque præclaram nominis famam nactus erat. His addebantur aliquot ſigna Lanciferorum, & Vaſconum, atque inſtructus equitatus Gallicus. Omnibus rebus ſic ad bellum paratis Henricus Rex Guiſanum ducem copiis ſuis viginti millibus peditum, & quatuor millibus equitum præfecit, atq; rectà Romam cõtendere juſſit, ut Pontificem liberaret. Qui, ubi ſuperatis alpibus in Taurinos deſcendiſſet, & ſecundùm Padum exercitum ageret, Valentiam initio anni milleſimi quingenteſimi, quinquageſimi ſeptimi pervenit. Eſt autem oppidum ad Padi ripam, infra Caſalevaſium ad duodecim millia paſſuum, quod Valentium veteres appellârunt. Id oppidum Mediolanenſium paret Imperio. Huc quum veniſſet Guiſanus, Gallici exercitus Imperator, petivit ut ſine maleficio ſibi tranſitus per oppidum permitteretur, quod quum non modò negarent, verùm etiam ſclopetis rem è muris gererent, eſſentq; quidam interfecti, Helvetii oppidum cum Gallis aggreſſi, vi ceperunt.*

runt. Germanis tamen, qui ibi in præſidio fuerant, Helvetiorum interceſſione, vita donata, atque in patriam remiſſi: ea conditione, ne poſthac intra certum tempus contra Gallum arma ſumerent. Multum in Germanorum dimiſſione potuiſſe Froelichii authoritatem, habet *Graſſer.* Herol. p. 206.

M. Hoſtem Helvetii aggreſſuri, clamore initium faciebant.

Exemplo quidem aliarum gentium; ſed meliori ſæpe ſucceſſu. *Caſpar. Barlæus* de reb. geſt. ſub C. Mauritio in Braſilia pag. 57. Nec terrebantur ultra Belgæ Æthiopum tartareis vociferationibus & horrendis vultibus ob panda labra, intermicante dentium candore; oculos flammeos, nates diductas & ira fumantes, utpote quibus inter Braſilienſes jam pridem aſſueverant. Spirat indomitum quid & efferum gentis ejus indoles, & inconditis, ut olim Germani, teſte Cæſare, clamoribus prælia ſua auſpicantur, quod & uſitatum Perſis olim ac Macedonibus, teſte *Curtio*, de reb. geſt. Alexand. lib. 3. pag. 25. & Pœnis. De Helvetiis idem teſtatur *Etterl.* pag. 44. a. cùm Anglos Bernenſem agrum infeſtantes adorirentur. Decretum, inquit, erat, prælio initium facere clamore magno. *Tſchachtlanus* addit: *Non exiguum hoſtibus clamore iſto fuiſſe incuſſum terrorem*: p. 48. *Guicciardin.* Hiſt. lib. 12. pag. 178. *Helvetii agminibus ſuis inſtructis, quamvis lucis non multum ſupereſſet, tanta alacritate, tantisque clamoribus ad Gallorum caſtra contenderunt, ut ejus rei neſcii, magnam aliquam victoriam adepti videri poſſent.* Idem accidit propè Granſonium, *Graſſ.* Herol. p. 141. Rotzii Vnderwaldii ſtrategema repete ex pag. 254. Confer: *Stettler.* l. 1. p. 25. b. 85. b. 86. a.

N. Faſtus adverſariorum non obſcurum ſæpe Helvetiis magnæ victoriæ τεκμήριον fuit.

Vix unquam ab Helvetiis niſi contemtis pugnatum fuit.

fuit. Quoties Reges, Principes, aliique Duces opinione ſua Helvetios devorârunt? Contemtus hoſtium cladis ad Loupam acceptæ prodromus erat, *Stettl.* l.2.pag. 56. 58. præſertim 59. Quos montanos, Galliarum Rex, homines, & ruſticos vocavit a.Ch.1509. paulò pòſt victores agnovit. *Schvvizer*.pag.109. Cùm Albertus Auſtrius Vrios, Suitios, Vnderwaldios, tyrannide Præfectorum preſſos, audire nollet; *Stettl.*l.1.pag.28. Fœdus Helveticum promovit. Ita Helvetios ſuperciliosè ſprevit Carolus Burgundus, qui ne Legatis quidem eorum aditum patefecit, *Schvviz.*p.95. Abbas Campidonenſis, qui ne vita quidem milites ſuos æſtimavit dignos, niſi manipulum Helvetiorum diſſiparent; *Graſſer*. pag. 110. Es ſind der meinen ſo vil/inquiebat, daß allwegen drey an einen Schweitzer ſind; wöllend ſie ſich nicht wehren/ſo wölle Gott/daß ſie alle erſchlagen werdind. Nobilitas Alſatiæ, Mulhuſium, Helvetiorum *Bovile*, nuncupare per contemtum ſolebat; *Id.*pag.116. Hagenbachius, Caroli Pugnacis præfectus, Nicolaum Haſsfurtum, Legatum Lucernenſem, quòd altero pede claudicaret, & cum eo univerſam Gentem, ridebat: Video, inquiebat, non ita abundare Helvetios hominibus, cùm & claudis Legationes committant. Cui Haſsfurtus reſpondit: Noli dubitare, quin, bono cum Deo, abundè ſatis ἀῤυθμίαν membrorum meorũ ſis experturus: Denck mein darbey/daß ich dir vnd deinem Herren mit Gottes hülff grad gnug ſeyn wil. Id. pag. 127. Haſenbergium & Ochſenſteinium loquentes habes in Hiſt. Auſt. *Gerardi de Roo*, pag.131. *Stettl.* l.3. pag.93. Comitem Henricum à Fürſtenberg, in bello Suevico, apud *Sprech.* Pall. Rhet. pag.181. *Graſſ.* p.174. Ne ipſis quidem ſemper *Morionibus* Dominorum placuerunt conſilia. Cùm a. Ch. 1315. diu ſatis, quâ compendioſiſſimè viâ Suitia pateret, à Duce Leopoldo, & aliis deliberatum fuiſſet, ipſeque tandem Morio ſententiam rogaretur, Non probantur, mihi, inquit, conſilia veſtra. De ingreſſu omnes ſoliciti eſtis, de egreſſu nemo, Jhr hand alle gerahten/wo ihr in das land Schweitz wollen kom-

men; aber ewer hat keiner gerahten/wo ihr werden wieder herauß kommen: das hetten ſie gänßlich für ein gelächter/ *Etterl.* pag.20.a. *Tſchacht*.p.13.

Aliâs etiam memorabilia, vel in obſidionibus, vel in graviſſimis pro ſuſcipiendis in Helvetia bellis hoc genus hominum ſua reliquit apophthegmata. De *Pigmeo* Rodolphi Imperatoris conſulatur *Stettler*. l. 1. pag. 22. Eodem illud pertinet, cujus Vitoduranus meminit.p.23. *Quodam tempore, dum adhuc Comes exiſteret, in caſtro, dicto* Kyburg *reſidens, quidam Domini, vocati de* Regenſperg/ *æmuli ſui ab antiquo, una die in unum congregati, dixerunt: Iſte vilis Comes non effugiet manus noſtras. Nam hac vice ſibi, quàm diu ſumus coadunati, inſidias tentemus, & ſuum naſum longum diſcerpemus. Quod audiens quidam fatuus eorum, continua vecordia, iter ſuum in continenti de* Regenſperg in Kyburg *direxit, qui dum importunè in caſtri portæ pulſaret, & præ incognitus, tandem agnitus fieret, intromiſſus fuit, intuens autem vultum Comitis, ait, certè tu non habes tam longum naſum, ſicut audivi hodie à Dominis meis in* Regenſperg/ *qui audiens hæc verba, coram familia ſua, ſibi aſtante dixit: Notate verba, ſignate myſteria. Aliquid enim innuunt. Volens autem ſenſum verborum clariùs inveſtigare, dixit: Quid dixiſti? Ille ait: Domini mei multiplicati plus ſolito, ad invicem dixerunt hæc cunctis: Naſum longum conteremus. Longum enim, ut dicitur, naſum habuit. Comes autem animadvertens, verba ab illo prolata, & in corde ſuo ponens, inſtruxit mox aciem virorum armatorum robuſtam, etiam cum ea contra* Regenſperg *in furore tendens, Dominos illos conglobatos, & contra eum conſpiratos obvios habuit; & in eos beſtiali more, & indomito cum ſuis, cum clientulis irruens, plures ex eis occidit, reliqui verò per fugam, quam inierunt, ſalvati ſunt, & ſic malitiam eorum funditus extinxit.* Sempachii etiam Morionem & verè, & opportunè locutum, commemorat *Stettl.* l.3.p.93.a.

O. Ob-

O. Obſervabit diligenter, unde maxima ad Helvetios vel commoda in præliis redierint, vel incommoda.

Commodum illis fuit

a. Prædam, ex Legum præſcripto, ante plenam victoriam *contemnere*. Vnde *Philipp. Camerar.* horar. ſubciſ. op. cent. 3. p. 101. *Meritò itaque laudantur à Paulo Iovio Helvetii, inter quos inprimis commendatur Iornani Vndervvaldij immanis & propè effera virtus, qui conſenſu multorum ſupra viginti hoſtes halabarda confecit, & certa laudis præmia tulit, in memorabili illa pugna & victoria contra Gallos, prope Novariam, in tanta hoſtium ſtrage editâ, ad prædam diſcurſum non ſit: Quanquam pretioſa ſupellex Ducum, & cuncta opulenti exercitus impedimenta, multorum animos allicerent. Viri enim, inquit, patriæ diſciplinæ memores, quod neminem armatum in acie virum capere, nec vertente terga inſequi liceret, medio in campo, confertis ordinibus, in multam diem immoti conſtiterunt, ne Galli equites aut Ducum aſtu, aut ſuo pudore concitati, regrederentur, & ſpoliandis cadaveribus occupatos opprimerent.* Capitali, inquit *Simler.* l. 2. p. 126. 2. pœna ab illis cautum eſt, ne cui prædandi cauſa ex acie excedere liceat, donec hoſtes prorſus profligati fuerint: Poſtea ubi prædandi poteſtas facta eſt à Ducibus, quicquid partum fuerit, id omne confertur in publicum, & viritim diſtribuitur. Legis verba ex decreto Sempachiano recitat *Etterlin.* p. 49. a. Confer *Graſſer.* pag. 132.

b. Parere Superioribus. Referunt annales noſtri, ægrè Rodolphum ab Erlach Loupenſem moderari voluiſſe militiam, expugnatum tandem, obedientiam ſuis maximè commendâſſe. Sex, inquiebat, præliis interfui cuctis, ubi minor ſemper acies obſequi parata, majorem juſſa facere juſta renuentem ſuperavit; *Etterl.* p. 61. b. de expeditione Vltramontana an. Chr. 1410. ſcribit: Die von Zürich verluhrend nit ein mann/das thete die

gehorſamme / die ſie vnder einanderen hatten. Dann was ſie ihr Haubtmann hieß / das theten ſie gern mit gutem willen. Aber die anderen Ort verluhrend bey 20. mann/das kam von vngehorſamme wegen.

Incommodum verò & detrimentoſum fuit;

a. Præda ante planè partam victoriam *inhiare*. Quod enim *Camerar.* Oper. Subcis. Cent. III. cap. 29. exteris probat exemplis, cupiditate prædæ & opum victores magna cum clade eſſe victos; id ipſum ſuo nonnunquam malo ſunt experti Helvetii, Fraubrunnæ, viginti; *Etterl.* pag. 44. b. propè Dornacum ducenti amicorum manibus perierunt, qui prædæ diſtribuendæ intenti hoſtium numero habebantur; *Stettler.* lib. 7. pag. 353. alibi iterum occubuerunt 8. *Tſchachtl*, p. 32. a.

b. Inconſideratus & nimis præceps impetus. Tantus in Majoribus noſtris pugnandi fuit ardor, ut pro prima acie penè certârint. Factum hoc in Loupenſi prælio, *Stettler.* pag. 59. bello Burgundico, *Graſſer.* pag. 154. quod ne Lotharingiæ quidem Duci Waldmannus dare voluit: ubi verò hic fervor omnes tranſiliit limites, non mediocriter noſtris incommodavit. Experti ſunt noſtri, viribus, conſilio & ἀταξίᾳ opus eſſe ad Bilitionum, *Stettl.* lib. 3. pag. 123. ad Marignanum, cujus occaſione ita *Vadianus* in Melam, pag. 169. *Vtinam autem ſecum doli fiducia cautiùs quandoque de ſe periculum faceret. Nimius nonnunquam (pace meorum Helvetiorum dixerim) nimius eſt impetus: Nec eſt ſatis valere viribus, niſi ipſis magna induſtria utaris. Haud fruſtra Palladem, galeâ, ægide, & haſta armatam vetuſti, hoc eſt, doctiſſimi Poëtæ finxerunt: cùm ſit compertum, in bello plurimum quidem loci eſſe viribus corporis: Caterùm multò præſtantiores eſſe in quosvis uſus, ſi eadem rationis frenis obtemperent. Id quod in Helvetiorum caſtris alioqui peculiariter & nulloneſciente ſolet retineri.* Animos ſanè bellis aliâs aſſuetos, haud parùm accendit ſelectus ille, ex quo exercitus conſtabat, miles,

Epithetis nonnihil turgidis diſtinctus. Bey den erſten ſenlynen (inquiebant) werend die friſchen vnd die rawen: bey den anderen die geſtandenen vnd kechen: bey den dritten die alten/ weiſen/ vnd erfahrnen; quæ *Steinerus*, Ammannus Tuginus, *αὐτόπτης* non malè quidem militiæ illi congruere; ſed elatioris animi haud obſcura indicia, & futuræ cædis, contemtúsq; inde orti, prodromum fuiſſe fatebatur. Sic cùm Nicolaus Blunſchlius Tigurinus, Ermatingæ cohortis præſidiari æ dux, moneretur, ne hoſtem contemneret, aut ſecurus eſſet; Loricâ ſe muniat, inquiebat, ſi quis timidior ſit: Wer ſich förchtet / der lege ein panțer an. Oppreſſus poſtea cum aliis 37. a 80. ex improviſo, monitis locum cedendum, reliquos exemplo ſuo docuit.

c. Non expectatis ſociis hoſtem aggredi. Hoc nonnunquam Majoribus noſtris fraudi fuiſſe, probavit Bilitionenſis clades, *Bullinger*. lib. 9. cap. 7. Eadem præcipitantia Tugienſes 40. aliquando amiſerunt viros; *Etterl.* pag. 54. b. Plura habet exempla alibi; pag. 44. b. & 90.

d. Inobedientia, & intempeſtivæ excurſiones militum; de quibus *Stettler*. lib. 2. p. 63. 67. 121. *Tſchachtl.* pag. 32. a. b. 36. b. 48. a. 155. *Etterl.* p. 61.

e. Diſcordia, cujus fructum habes in clade Marignana. Vide ſuprâ, pag. 180.

f. Inſidiæ & ſtrategemata hoſtium, non ſatis diligenter obſervata. Ita non ſemel Majores noſtri fuerunt circumventi. Incauti & ſecuri multi oppreſſi ſunt Bilitioni, an. Chr. 1422. ut ſuprà ex *Nauclero* audivimus. Aliter quidem *Schvvitzerus*, & *Münſterus* Coſmograph. lib. 3. pag. 598. quorum ille trecentorum Helvetiorum jacturâ victoriam, cæſis Mediolanenſibus 900. & erepto vexillo, noſtris tribuit; ſecus tamen rem ſe habere, fuſiùs condocefaciunt *Bulling*. l. 9. c. 7. de reb. Tigur. *Stettl.* l. 3. p. 124. Hoſtium aſtu & inſidiis, victoriis ubique tum Abbatiscellani inclyti, & labarum ſuum & viros 40. fortes amiſerunt. *Bulling*. lib. 9. cap. 2. *Stettl.* an. Ch. 1480. pag. 107. Dolus & victoriam Tigurinis eripuit propè Vitodurum an. Ch. 1292. *Sprach*. Palla. Rhæt. lib. 3. pag. 127.

Digitized by Google

Stettler.an.Ch.1292. & poſtea in bello Tigurino, juxta *Malleol. Felic.Fab.*Hiſt.Suev.pag.186. *Naucler.*Gener. 49.pag.291.b. *Stettler*.lib.4. p.149. ad S.Iacobum eisdem magno conſtitit.

P. Nullum vel bellum, vel prælium Helvetiorum obſervatur, quod non peculiari aliquo inſigniatur charactere, aut inſigniri poſſit, Helvetiis ſive victis, ſive victoribus.

Verbigratia 1. *Novareno* prælio, quidam Helvetios Græcis & Romanis fortitudinis palmam præripuiſſe; aſſeruerunt. Vide *Stettler*. pag.490. 2. *Marignanam* pugnam γιγαντομαχίαν à Trivultio vocatam ſuprà, ex *Guicciardino* monuimus. 3. In Neapolitana ſυμμαχίᾳ noſtros *fidem* præ cæteris Galliarum Regi probâſſe habet *Commin.* de bello Neapolit lib.5. pag.186.187. *Erant in caſtris Germani circiter octingenti, qui nuper eo venerant.* Hi cùm periculum ſuum viderent, non præſtiterunt nobis eam fidem atq; amorem, quem Helvetii, *& ad Ferdinandum defecerunt. Et quoniam belli Duces inter ſe diſſidebant, ut dictum eſt; turpiter cum hoſte pactum fuit, his conditionibus, ut poteſtati Ferdinandi ſeſe permitterent, ut tormenta omnia darent, &, quicquid occupâſſent, reſtituerent. Ille viciſſim promittebat, ſe curaturum, ut mari transportarentur in Taurinos, rebus omnibus ſalvis. Eo facto juſſit omnes Neapolin deduci. An ulli unquam homines turpiùs pacti ſint, ignoro, neque ſimile exemplum legiſſe me puto, niſi quod Livius recitat de conſulibus Romanis, qui propè Furcas Caudinas adeò viles ac indignas pacis leges receperant, ut Senatus eas repudiaret & ambos, qui pacti fuerant conſules, ad hoſtem remitterent. Neapoli fuerunt impoſiti navibus noſtri milites, & in vicinam inſulam deportati; ubi cùm diutius hærerent, morbis affecti, magno numero moriebantur, & in his Monpenſerius, quem alij veneno, alij febre extinctum eſſe dicebant, quod & ego*

puto.

puto. Breviter, ex omni eo numero, qui erant aliquot millia, vix mille & quingenti ſuperfuerunt, quorum ſanè laudanda eſt virtus, atque conſtantia, quod extrema omnia pati, quàm à nobis ad Ferdinandum deficere maluerunt, quo longo tempore eos in Inſula detinuit in maxima cibariorum inopia. Qui ex his in Galliam redibant, eos vidi cùm appellerent. Erant omnes afflicta valetudine, & ex macie corporis atque deformitate, quàm eſſent multa perpeſſi, facilè potuit cognoſci, & è navibus egreſſi non poterant firmiter inſiſtere. 4. Characteres Burgundicorum præliorum noti ſunt. Carolus, totius orbis Chriſtiani bellicoſiſſimus Dux, *Meteran.* Hiſt. Belgic. lib. 1. pag. 6. A. *Elicurti* amiſit animum. B. *Granſonij* opes & facultates. Fatebatur, jacturam ſuam unius, vix decies centum florenorum millibus compenſari poſſe, *Graſſer.* pag. 141. *Stettl.* an. Ch. 1476. p. 247. ubi & pretioſiſſimi Ducis Adamantis, & cæterorum ejus κειμηλίων facit mentionem. C. *Murati* militem. Adeò enim cruenta illa fuit pugna, ut in proverbium apud Helvetios abierit: Es gehet wirs (hefftiger vnd ſtrenger) dann es zu Murten gegangen iſt; *Graſſerus*, pag. 140. Quanquam & hinc ampla Helvetii deportârint ſpolia; *Idem*, pag. 150. Ipſius Caroli judicio Helvetii, ex illis æquè inter ſe diſtributis, omnes diteſcere potuiſſent. Habet hæc fuſiùs *Stettler*. lib. cit. p. 260. D. *Nanceij* vitam. Meteran. p. 6. & alii, de quibus ſuo loco. 5. Quam immortalitatis laudem, ſolis Græcis & Arabibus quibusdam cum iis communem, ex conflictu cum Delphino, ſint conſecuti, jam ſuprà, pag. 247. monuimus.

Q. Nec fugitivorum, & flebilibus geſtibus internecionem mentientium exemplo frangi, aut revocari poterat Majorum noſtrorum conſtantia, quin parato liberaliq; animo ſuppetiis ſuis periclitantes juvarent, aut victoribus acclamarent.

Duo

Duo luculenta occurrunt exempla in Hiſtoria patria. Cùm an. Ch. 1499. ad Dornacum à Tigurinis, Bernenſibus & Solodorenſibus pugnaretur, & ancipitis victoriæ metu fugam quidam capeſſerent, Lucernenſes & Tuginos ſibi obvios reverti, actum enim de ſe ſuiſque jam eſſe, jubent. At veſtrum, inquiebat Lucernenſium Ductor, fuiſſet ad mortem uſque certare: quo animo Socios jam noſtros quærimus. Abſit, addidit *VVernherus Steinerus*, nos conflictum audire, & auxilio deeſſe. Hanc ignominiæ maculam avertat Deus. Nec veriſimile eſt, in acie novaculæ, quod vos dicitis, aut præcipitio res noſtrorum ſtare. Quòd ſi tamen ita fuerit, non dubitamus, quin adverſarii ſuis viribus adeò ſint exhauſti, ut recenti militi victoriam facilè ſint ceſſuri: Nec vanus fuit augur, ut ſuo loco audiemus. Vide *Graff.* pag. 176. *Stettl.* l. 7. p. 352. Idem accidit a. Ch. 1513. in Novarena pugna, Altoſaxio, qua de re prolixè *Stettl.* l. 9. p. 489.

R. Non prodigia Majoribus noſtris deerant & portenta certiſſima, magnorum conatuum & præliorum omina.

Id quod notant 1. Scriptores exteri. *Edo Neuhus.* Fatid. l. 2. p. 151. *Sed repetamus, recentioris ævi memoriam, quæ plurima ominoſiſſimarum tempeſtatum præbet exempla. Inter eas non obſcuri fuit prodigii terrorisq́; minimi Grando, quæ gallinaceorum ovorum excedens magnitudinem, triſtem Bernatium agro calamitatem intulit. Qualis ſeptimo pòſt die Tigurinos perculit, multis in agro ruſticis & pecude, avibúsque oppreſſis. Quo tempore cum Helvetiis Maximilianus prælium atrox commiſit: quod hominum plusquam XX M. utrinque hauſit. Vt ibi trux gladius; ita peſtilentia apud Leodios ea tempeſtate ſæviit: quam in hominum veſtes lapſæ de cœlo cruces varij coloris præmonuerant.*

2. Domeſtici. *Fel. Faber.* Suev. lib. 1. p. 172. *Quemadmodum ab antiquo fieri ſolitum, ut caſus magnorum Principum aliquo prodigio prænuntiaretur; ſic ante hoc Ducis* (Leopoldi) *prælium præcurrerunt præſagia triſtia*

ſtia futurorum. Nam juxta caſtrum Mellingen illo tempore, quo Dux Lupoldus regionem gubernavit, in flumine Ruſa videbant incolæ erumpentem violenter cruoris rivulum ſegregatim in altum ſcaturientem: ſed quid ſignificaret prodigium, eventus rei oſtendit, quem non ſolum terreſtria, ſed & cæleſtia corpora oſtendebant. Nam anno Domini 1372. *viſus eſt in Alemania circulus rubeus circa Solis orbem, & de propè comparuerunt duæ cruces notanter eminentes: Et eodem anno per cunctas Sueviæ civitates Imperiales homicidia, conflagrationes, & multa mala acciderunt. Et ſicut antiqui* (hoc tamen authori relinquo) *ex diſpoſitione & conjunctione ſiderum imaginabantur quædam animalia, ut ſcorpionem, cancrum, piſces, taurum, capricornum, &c. quæ ſigna cæleſtia ſunt, quia tali tempore fit conjunctio ſiderum in modum cancri vel ſcorpionis, &c. Sic eodem modo anno ſcilicet* 1372. *quidam doctus Theologus Aſtrologizans vidit conjunctionem ſiderum, ſic ſeſe habentem, ac ſi vir nudus cum armato horribili congrederetur bello, armatúsque ſuccumberet nudo; & hanc ſtellarum compoſitionem publicè prædicavit idem in Imperiali Civitate Thuricenſi: quid autem ſignificaret, prædicere non potuit: ſed ſtatim nona die menſis Iunij effectus manifeſtus declaravit.*

Henricus Bullinger. de reb. Tig. l. 7. c. 18. Ab anno, inquit, Chriſti 1357. ad 1330. ſpatio tredecim annorum, multa fuerunt oſtenta & prodigia, calamitatum futurarum præſagia. 1. A. Ch. 1337. *Cometa* apparuit per menſes quatuor, de quo vulgo ſentiebant, eum nihil portendere boni. 2. A. Ch. 1340. alius inſequebatur, & quidem *μονιμώτερος*. 3. A. Ch. 1338. *Turma locuſtarum*, omnium Iudicio hoſtem notabant peregrinum: Quod in Anglorum irruptione poſtea probavit eventus. Confer. *Hiſt. noſt. Eccleſ.* Sec. XIV. pag. 658. 4. *Eluvies aquarum.* Vnde & Rhenus Conſtantiæ, & Limagus Tiguri immane quantum excrevit. Hic utrumque ſuperavit pontem, ita ut lembis in Abbatiſſano templo navigaretur. Abripuit ædificium ponti annexum, quod

Enſis hodie inſignia habet, & ad pontem Limago impoſitum (bey der Schweenden thurn im hard) defert, cujus mole, accedentibus molendinis, ita premebatur, ut loco ſuo ceſſerit. Ex quo tempore Limagus ponte ſterni deſiit. De aliis, ex Vrſæ & Rheni inundatione, incommodis ex Vitodurano verba fecimus in *Hiſt. Eccleſ.* l. c. pag. 653. 5. *Fames* a. Ch. 1344. quæ plures abſumpſit mortales. 6. *Peſtis* quadriennio poſt ſecuta, de qua prolixius *Hiſt. Eccleſ.* pag. 649. Alia eam, in Helvetia, præceſſit, a. Ch. 1318. de qua Ib. pag. 648. Hos bello Auſtriaco primo, Bullingerus, prodromos præmittit. Secundi Auſtriaci belli, id eſt, Sempachiani omina oſtendit 1. *Siccitatem* a. Chr. 1362. quæ omne penè jumento pabulum denegavit, unde magnæ partis interitus. 2. *Frigus immane* & intenſum, uſque adeò ut per concretum glacie lacum currus & rhedas Raperſuilam deducerent. Tandem, ipſa Paſchatis ſeptimanas uno ſpatio νυχθημέρῳ glacies iterum fuit ſoluta. Anates & fulicæ ita cicurabantur, ut cum volatilibus domeſticis in urbe cibum caperent. 3. *Locuſtas* ſturnatim a. Ch. 1364. advolantes, omniáque depaſcentes. Campanis & exorciſmis ingratos abigere conabantur hoſpites; ſed ſine ſucceſſu. 4. *Autumnum* inſolito frigore ita vexatum, ut de vite pendentes uvæ concreſcerent. a. Ch. 1372. 5. *Famem* & annonæ caritatem, qua Tiguri poſt hominum memoriam major vix erat. Multis fame fuit pereundum. Frumenti modius. 10. & 20. vendebatur libris. 5. *Incendia*. Dieſſenhofen ad unam conflagravit domum tota; an. Ch. 1371. Idem accidit Bremogarti. a. Ch. 1382. 6. *Terræ motus*, cujusmodi fuit a. Ch. 1380. & 1384. aliaque plura, de quibus fortè alibi commodior dicendi erit locus. Varii ſucceſſus, ipſa nonnunquam prælia auſpicaturi, obſervârunt τεκμήρια. Quid ex ſerena cœli, antea fuſci & obducti, facie conjecerit Hallwilius, Moratenſi initium facturus pugnæ, habes apud *Graff.* pag. 148. *Stettl.* p. 258. Non omitti debet illud *Pauli Iovij* lib. 11. p. 168. de canibus Gallorum ad Novariam. *Dum intentis omnium animis in eventum*

futuræ

futuræ pugnæ pararentur, & Sol jam in occaſum inclinaret, mirum dictu, & quod memoriæ prodendum videtur, Gallorum canes relictis caſtris, magno continentiq; agmine Novariam intrârunt, admiſtiq; Helvetiis, qui in ſtatione erant, eorum crura lambere, caudas adulanter quatere, demiſſisq; blande auribus ſingulis applaudere cœperunt: tanquam Helvetij jam ipſorum eſſent Domini, aut certè futuri, ut mox apparuit, &c. Refert idem Bulling. l. 9. c. 10. Sic & in Moratenſi prælio canum Burgundicorum & Helveticorum velitationes futuræ victoriæ præludium fuiſſe, quidam obſervant: *Stett.* p. 258. Cladem Morignani acceptam crux Sant-Andræana portendebat, *Stett.* l. 10. p. 550.

Cæteros, qui ex domeſticis monumentis erui poſſent Canones, Philo-hiſtoris relinquimus induſtriæ.

XV. Accedimus ad Parallelisſmum, inter Veteres & intermedios Helvetios, Hiſtoriæ Helveticæ Lectori ſtudioſè obſervandum.

Multa *Alciato* Mediolanenſi, viro cætera magno, & in Hiſtoria profana verſato, excidiſſe ἀλλόκοτα, facile, ſi hoc ageretur, probatu eſſet. Sit ſpeciminis loco, quòd Helvetios omnes deletos ſuſpicetur: Vide ſup. pag. 209. Varias quidem mutationes cum Imperii variis periodis paſſa fuit Helvetia, novis tamen coloniis extruſos vel extinctos fuiſſe incolas veteres omnes, id ne quidem veriſimile eſt. Videatur *Stumpfius & Suizer.* Qui quid ſingulis, poſt Chriſtum natum ſeculis ab Helvetiis ſit præſtitum, palàm faciunt. Veteris ſanè virtutis Helveticæ non obſcura ſuppeditari veſtigia in Monticolis Helvetiæ poſteris ex collatione, quæ inſtitui utrinque poteſt, patebit.

I. Veteres Helvetios Galiis annumeratos, palmam fortitudinis omnibus præripuiſſe ſuprà p. 199. ex Iulio Cæſare audivimus. Recentiores inter Germanos relati eandem laudem retinent. *Avent.* annal. Bojor. lib. 4. pag.

pag. 367. *Sunt autem noſtro ævo militum Germaniæ, quorum opera potiſſimum in bello Europæi utuntur Principes tria genera. Primos Bojemos appellamus. Secundum genus collecticia manus eſt, ex omnibus Teutonum regionibus; ipſi patria Lingua ſeſe Landsknechtos: hoc eſt patriæ miniſtros* (alii tamen à Lancea, Lancigeros de quibus *Geneb.* p. 729. ad a. Chr. 1484. Doriphori, quos Lantzknechtos vocant, tunc primum exorti ſunt in Germania) *nuncupant. Tertium genus à pago, Suitones nominantur: ipſi ſe* Eidgnoſſen *Alemannica Lingua, quaſi tu dicas Fœderatos; dicunt. Liberi ſunt & immunes omnis Imperij ſupra quam ea loca; quæ olim Helvetij incoluerunt non ſolùm tenent, ſed etiam implent. Suitones; ſuperbia nobilitatis adverſi; modeſtia; concordia; victus parſimonia; diſciplina præferuntur.*

II. Eosdem ferè, & olim, & nunc Helvetiæ eſſe fines, diximus ſuprà, pag. 203.

III. Vtrorumque conatus altum, excelſum, & qui fidem penè ſuperet, oſtendunt animum. *Cùm*, ut loquitur *Iulius Cæſar*, Comment. lib. 1. pag. 1. b. *pro multitudine hominum & pro gloria belli atque fortitudinis anguſtos ſe Helvetii fines habere arbitrati eſſent, de finibus ſuis cum omnibus copiis exire, & totius Galliæ Imperio potiri volebant. Ad eas res conficiendas biennium ſibi ſatis eſſe duxerunt, in tertium annum profectionem Lege confirmant. Vbi* (pag. 2. b.) *jam ſe ad eam rem paratos eſſe arbitrati ſunt, oppida ſua omni numero ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata ædificia incendunt; frumentum omne; præterquam quod ſecum portaturi erant, comburunt, ut domum reditionis ſpe ſublata, paratiores ad omnia pericula ſubeunda eſſent, trium menſium molita cibaria ſibi quenq; domo efferre jubent.* Recentiores Helvetii egreſſi totum brevi tempore Mediolanenſem Ducatum armis ſuis cogunt, arces quaſdam expugnant, regionéque devaſtata domum redeunt; *Schvvitz*. an. Chr. 1512. De Novarena clade ſcribit *Guicciard.* lib. 11. p. 78. *Nunquam neque ſuperbiùs, neque ferociùs gens Helvetiorum conſilium cepit:*

Pauci

Pauci contra multos,abſque equitatu,abſque tormentis adverſus exercitum his rebus inſtructiſſimum,nulla neceſſitate impulſi. Et pag.81. *Helvetii victores tanquam triumphum ducentes eodem die Novariam redierunt: quo facto tantum ſibi apud cunctos mortales nomen conciliârunt,ut multi conſilii magnitudine, mortis evidentiſſima contemtione,in pugnando virtute, & exitus felicitate expenſis,hoc facinus omnibus ferè præclaris Græcorum & Romanorum,quæ leguntur, rebus geſtis,anteferre auderent.*

IV. Vtrique pro patriæ libertate dimicantes feliciſſima geſſerunt bella: nunquam intra ſuos fuſi aut cæſi limites. Quod & Stumpfius obſervat,& Author Archontol.Coſmic.p.592.

V. Vtriſque eadem belligerandi ratio fuit: Vtrobique conferta acies,animus intrepidus, & ad vim propulſandam fervens. Vnico probemus parallеliſmo, quantæ molis fuerit Montanam hanc vincere gentem. Veterum Helvetiorum virtutem & robur commendat clades à Romanis illata,quam ex ipſo Cæſare mutuatam inſerimus. Poſtquam id animadvertiſſet, *inquit*, graviſſimus Scriptor, pag.8.b. copias ſuas Cæſar in proximum collem ſubducit, equitatúmque, qui ſuſtineret hoſtium impetum,miſit. Ipſe interim in colle medio triplicem aciem inſtruxit, Legionum quatuor Veteranorum,ita, uti ſupra ſe in ſummo jugo,duas legiones,quas in Gallia citeriore proximè conſcripſerat, & omnia auxilia collocârit,ac totum montem hominibus compleret. Et interea ſarcinas in unum locum conferri,& eum ab iis, qui in ſuperiore acie conſtiterant, muniri juſſit. Helvetii cum omnibus ſuis carris ſecuti, impedimenta in unum locum contulerunt,ipſi confertiſſima acie rejecto noſtro equitatu phalange facta ſub primam noſtram aciem ſucceſſerunt. Cæſar primùm ſuo,deinde omnium è conſpectu remotis equis,ut æquato omnium periculo ſpem fugæ tolleret,cohortatus ſuos,prælium commiſit, milites è loco ſuperiori pilis miſſis,facilè hoſtium phalangem perfregerunt. Eâ disjectâ, gladiis diſtrictis in

eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod pluribus eorum ſcutis uno ictu pilorum transfixis & colligatis, cùm ferrum ſe inflexiſſet, neque evellere, neque ſiniſtra impedita, ſatis commodè pugnare poterant. Multi ut diu jactato brachio præoptarent ſcutum manu emittere, & nudo corpore pugnare, tandem, vulneribus defeſſi, & pedem referre, & quod mons ſuberat circiter mille paſſuum, eò ſe recipere cœperunt. Capto monte, & ſuccedentibus noſtris, Boji & Tulingi, qui hominum millibus circiter XV. agmen hoſtium claudebant, & noviſſimis præſidio erant, ex itinere noſtros latere aperto aggreſſi circumvenêre: Id conſpicati Helvetii, qui in montem ſeſe receperant, rurſus inſtare, & prælium redintegrare cœperunt. Romani converſa ſigna bipartito intulerunt, prima ac ſecunda acies, ut victis, ac ſummotis reſiſteret, tertia ut venientes ſuſtineret. Ita ancipiti prælio diu, atque acriter pugnatum eſt. Diutius cùm noſtrorum impetum ſuſtinere non poſſent, alteri ſe (ut cœperant) in montem receperunt, alteri ad impedimenta & carros ſuos ſe contulerunt. Nam hoc toto prælio, cùm ab hora ſeptima ad veſperum pugnatum ſit, averſum hoſtem videre nemo potuit: ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum eſt, propterea quod pro vallo carros objecerant, & è loco ſuperiore in noſtros venientes tela conjiciebant, & nonnulli inter carros, rotáſq; mazaras ac tragulas ſubjiciebant, noſtróſq; vulnerabant. Diu cùm eſſet pugnatum, impedimentis caſtriſque noſtri potiti ſunt. Hæc *Caſ.* Hac ergò clade Romani ſuperiores, Helvetios vicerunt; ſed non ſine jactura. Proximè huic veterum Helvetiorum conatui accedere videtur decantatum illud & triſte prælium ad Marganum commiſſum, quod *Gerardus de Roo* breviter ita deſcribit lib. XII. Hiſt. Auſt. pag. 468. Dum hæc in Auſtria fiunt, interim Carolus Archi-Dux ſub Guilelmi Croji Marchionis Cheurenſis, & Adriani Florentii Vltrajectini cura eductus, Lovanii Brabantii, & reliquarum Belgii Provinciarum imperio inauguratus eſt, non minore ſubditorum ſe in futurum, quàm in præ-

ſens

ſens gaudio. Inter hæc Cæſaris Arragoniæque Regis, & Mediolanenſis Principis Legati, ad defenſionem Italiæ, fœdus cum Helvetiis percuſſerant, & Pontifex, cui in fœdere ſervatus erat locus, fruſtrà à Gallo ſollicitatus, illis ſe conjunxerat. Sed Rex apparatu bellico, à Ludovico jam antea facto, & regni opibus, inſuper & Venetorum amicitia fretus, *variantibus Helvetiorum conſiliis*, Italiam ingreſſus; plerasque Inſubriæ Civitates ad obſequium redegit. Aderant ei, præter Gallicam nobilitatem, Lotharingiæ, & Geldriæ Principes. Cùm verò Palitia, ſuperatis Alpibus, Proſperum Columnam inopinato adventu cepiſſet, Rex Mediolanum rectà ducens, cum Helvetiis paciſci cœperat. Sed novæ aliquot copiæ, majus ex bello & præda emolumentum ſperantes, omnem pacis actionem impedivêre. *Mox cum popularibus ſuis conjuncti, ad quadraginta hominum millia in Gallos ducunt. Iam optima diei parte exacta, Helvetii omnis moræ impatientes, magno cum hoſtium contemptu, pugnam invadunt, fitq; acerrimum prælium multiq; mortales utrinque occumbunt, donec, neutrubi dato receptui ſigno, milites ſtando & arma tenendo defatigati, quaſi tacito conſenſu, pugnâ exceſſêre, cùm in multam noctem jam certatum eſſet. Poſtera die, iiſdem armis, ad manus reditum, ſed ea nocte Rex tormenta in idoneum locum ſubduci juſſerat, & Livianum cum levi equitatu vocaverat. Is ardentè jam pugna, Helvetios à tergo aggreſſus, ita turbavit*, ut amiſſa victoriæ ſpe, paulatim, quod omnem Venetorum exercitum, cum Liviano adveniſſe rebantur, ſervatis ordinibus, retroceſſêre, & nemine fugam impedire auſo, Mediolanum pervenêre. Cæſorum numerus parum apud Scriptores certus, plures ex Helvetiis: magis clari ex Gallis cecidêre, inter quos nonnulli quoque Germanorum præfecti. Paulò pòſt Franciſcus, Helvetiis domum abeuntibus, Mediolanum ingreſſus eſt. Sfortia in arcem, præſidio munitam, ſe recepit. Hujus rei fama territus Leo Pontifex per Allobrogum Principem cum Rege pacem facit.

Hanc verò cladem ex aliis etiam eruere inferiùs nos Methodi coget ratio.

VI. In victoria contra Helvetios reportata parem utrobique Imperatores & Reges laudem & gloriam quæſiverunt. Cicero, Iulium Cæſarem commendaturus, Helveticam ſtragem commemorat; vide ſup. p. 199. Franciſco Galliarum Regi viam ad faſces Imperiales ſtraturi, hoc quidam deferebant, quòd Helvetios, fortiſſimam, & inde à C. Cæſaris ætate propè invictam gentem prælio nuper ſuperârit: *Sleid.* Comment. l. 1. p. 10. b. Et ſanè, eò uſque nonnulli hanc ad Marignanum acceptam Helvetiorum cladem, indéque natam Franciſco gloriam, exaggerârunt, ut modeſtâ *Vadianus* gentis nomen & famam tueri fuerit coactus apologiâ. Verba ejus ex Not. ad Pomp. Melam lib. III. ita habent: Quorſum hæc? quum Helvetiorum ex officio memini, pugna mihi incidit ea, quæ anno abhinc tertio propè Mediolanum, multorum ſanguine incruduit. Quando in evidentiſſimum admirandæ fortitudinis præſtandum de ſe judicium, Helveticus exercitus nihil conſtanti proditionis rumore territus, ſine equitatu, nec totus, nec ordine, ſine ducibus, ſine die, imminente jam veſpere, ſubito tumultu, Gallorum inſignium, imò Germanorum, Hiſpanorum, Vaſconum, Venetorum, nullis non vigiliis, nullis non tormentis, nullis non foſſis munitas copias, unis in caſtris, tanta alacritate adoriri eſt auſus, ut ſingulari vel ipſi hoſti ſpectaculo fuerit, pepereritque ea res ingentem terrorem. Quo in loco, quod in fervida pugna pars Helvetici exercitus profligata eſt, eruperunt, velut ex equo Trojano viri non indocti, qui tanquam ad Triarios res Helvetica jam inclinâſſet, Gallorum potentiſſimo Regi Franciſco, neſcio an munerum captandorum magis, an ſtudii veritatis gratia, congratulari non planè modeſtis numeris, utcunque voluerunt. Nimirum, quod inauditum eſſet ceſſiſſe Helvetium, aut quòd hæc res, quæ nulli olim imperio, nulli regno non contigit, quod Helvetiis contigiſſet, digna memoratu viſa eſt. Nec enim facilè dixerim, quantam invidiam

ejus gentis felicitas paſſim nutriat. Sed non licet,inquis gratulari? licet utique. Et magnum eſt candidi amoris teſtimonium,lætari ex pectore,quoties his,quos amas,bene ſucceſſerit. Verùm contemnere faſtu quodam,& maledictis laceſſere,quid aliud eſt,quàm publicis perturbationibus fidelia fundamenta jacere? Nemo Helvetius Ludovico Ampliſſimo Gallorum Regi eſt congratulatus, quando ad Idus Majas Anni 1509. inter Caſſanum Trivium,& Rivoltam,Siccam oppida Venetum exercitum fudit,fugavitque decem amplius millibus deſideratis,ut tertio lib.an.lect.ſcribit Cælius,idque Helvetici roboris cumprimis opera. Abſit autem, ut quiſpiam noſtrum non agnoſcat communem hanc eſſe regnorum & Imperiorum ſortem,ut vincere & vinci, prout juſſerit quandoque fortuna,translaticium ſit. Cedimus autem (ut Perſii verbis utar) inque vicem præbemus crura ſagittis.

Plures addi poſſent Parallelíſmi ex Scriptoribus fide & antiquitate probatis, ſed viam tantùm monſtramus; quam facilè calcabunt ſerii harum rerum indagatores.

XVI. Reſtat ut tertio loco Catalogum præliorum & bellorum [a]Helvetiorum, Confœderatorum maximè,ſubjiciamus.

(*a*) Hìc quidam trophæa Helvetiorum erigunt contra 1. *Romanos*. Vide *Guill.* lib. 1. c.7. 2. *Iudæos*. Adfuiſſe enim Helvetios Veſpaſiano (cujus pater Sabinus, Suetonio teſte,apud Helvetios obiit) in expugnatione urbis Hieroſolymitanæ, conſtans eſt apud Helvetios fama,non contemnendis conjecturis fuffulta. *Guillim*.l.1. c.9. 3. Contra *Eugenium*, pro Theodoſio, Helvetios pugnâſſe,& exteri & domeſtici annales tradunt. Vide *Nicol.Schradin. Baron*.an.Ch.394. 4. Contra *Saracenos*, an.Ch.829.arma Urios,Suitios, Sylvanios, Haſelanos feliciter geſſiſſe, habet *Guillim*.lib.3.cap.1.pag.319. Nobilitatem etiam Helveticam, (quæ adeò fuit nume-

 roſa,

roſa, ut Comites quinquaginta, centum & triginta Barones, mille, ducenti nobiles & equites Helvetiam incoluerint,) Ducis Bullionæi terram ſanctam oppugnantis caſtra fuiſſe ſecutam, habet *Henric. Pantal.* & alii. 5. *Hirmingum*, Helvetium Præpotentem, Vngaris, totam penè Germaniam inundantibus, feliciter reſtitiſſe anno Chriſti 938. commemorat *Guillim.* lib. 5. c. 13. p. 272. & Trophæa, &c. Lucernæ edita an. Ch. 1645.

XVII. Eſtque vel prolixior, vel contractior. Ille, ὡς ἐν τύπῳ [a], quicquid Majores noſtri Confœderati vel omnes, vel plerique geſſerunt, exhibet; Hic paulò fuſiùs potiora bella & prælia enarrat.

(*a*) Præſtitit (præter Stumpfium, Schwizerum, Spræcherum, &c. Author Archont. Coſ. p. 606.) ut à domeſticis hæc mutuemus hanc operam author Expoſtulationis Dei cum Helvetiis hoc ordine, quem jam a. Chr. 1563. *Paraleipom.* Chronici Vrſperg. quidam inſeruit, p. 367.

Anno Domini 1267. *cùm à potenti Domino de Regenſperg graviſſimè premerentur, cujus aſtui & potentiæ nemo par erat, humiliavit eum Dominus, & tradidit in manus eorum, ut ad inſtar vulgaris Equitis ſe demitteret. Tum arces munitiſſimæ Regenſperg, Vtzenburg, Glantzenberg, & Gloggenburg, per Confœderatos occupatæ fuerunt & funditus deſtructæ. Item, anno* 1350. *Dominus eos (Tigurinos) tutatus fuit contra crudeles, ſubitaneas, & inſidiis plenas practicas, inſtitutas in Latrocini inoctem,* (auf die Mordnacht) *in qua nec infanti in utero matris parcitum fuiſſet: ubi Confœderatorum domus & facultates jam diviſæ etiam erant, ibi Dominus victoriam contulit, & hoſtem captivum in manus eorum tradidit. In alia nocte rurſus defendit eos (Lucernenſes) Dominus contra hoſtes* (mit den roten ermlen) *potentes fecit, ut arces robuſtas Liel, Vrnach, & Baldegg caperent, & deſtruerent. Item, anno* 1281. *victoriam contulit contra Rudolphum, Comitem de Kyburg.*

burg, & multos Nobiles. Item, liberavit à tyrannide Præfecti Grysler, contra Vilhelmum Tellium, quem is coëgerat, ut filio proprio pomum de capite ſagittâ decuteret. Idem pileum erexerat, magnis pœnis interminatus, ut eum honorarent. Idem turrim conſtrui curavit, nominandam Zwing Vri vnder die ſtägen. *Sed & invictas arces Regenberg, Sarnen, Landenberg, Schvvanau, Schonenberg, ut occuparent & frangerent, Dominus dedit, fugatis etiam & occiſis Tyrannis. Varias inſuper victorias contra Auſtriacos, Mediolanenſes, Anglos, Burgundiacos, Suevos, Gallos, enumerat hæc Proſopopœia. Anno* 1315. *in loco, dicto Morenarten, ſeptuaginta viri contra multitudinem hoſtium fortiſſimè pugnârunt, in loco, dicto Sella,* am Sattel, *ingenti metu incuſſo adverſariis, ac multis in lacu* Aegri *ſubmerſis. In Sempach, contra Principem Lüpoldum, victoria potiuntur.* 1300. *contra* 4000. *Rurſus anno* 1353. *Turicenſes contra Ellerſpach, Præfectum Ducis & Capitaneum apud Tatvvil, circa Baden, ubi* 400. *Confœderatorum vincunt* 4000. *Tum Turegum à Duce Alberto, qui tribus vicibus obſederat, liberatur, & quarta vice à Carolo IV. qui graviter obſedit, robur belli ſuppeditantibus Imperio Bohemia & domo Auſtria. Anno* 1338. *circa Laupen, pauci Confœderatorum contra multos Principes, Comites, Potentatus, victoria potiuntur. Apud Hard, ubi multi adverſæ partis, in Rheno ſubmerſi fuerunt. Anno* 1374. *cùm Anglici toti Germaniæ metum incuſſiſſent, Equites circiter decem, & octo millia impunè vagantes, per Principum terras & per Confœderatos, apud Lus, Buttisholz, & Frauuenbrunnen cæſi ſunt, & Germania ingenti cura & ſollicitudine liberata. Anno* 1388. *apud Nehenfels* 200. *Confœderati,* 6000. *vincunt. Apud Bellitz, exiguo numero contraſteterunt Mediolanenſi Standhardo, qui non ſolet ad pugnam egredi, niſi centum millibus, ubi & victoriam, immenſas Facultates, & vexilla XIII. reportârunt. Deinde anno* 1475. *apud Elicurt, Granſon, Murten, Nanceium, cum aliis, contra Carolum Burgundiacum, victoria non ſemel po-*

 tiuntur.

tiuntur. Item apud Bruderholtz, loco Baſileæ vicino, 800.*Confœderatorum*,8000.*invadunt & vincunt.Item apud Ermendingen, vulgò* im Schwaderloch/ *ubi Confœderati & vincuntur & vincunt : nam* 1300.*eorum* 12000. *partis adverſæ ſuperarunt. Poſthac apud Fraſtentz : item Dornaci apud Byrſam, Dominus victoriam illis contulit.* Scopus authoris fuit, magna DEI in Helvetiam beneficia conceſſa enumerare. Alii, eandem præſtituri operam, Helvetiorum enarrant bella & prælia, ut probent, quo diſcrimine ab iis per duo Secula pugnatum fuerit. Ita quidam Philopator I.I.H. res Helvetiorum geſtas in duas dividit claſſes. *Prima* exhibet bella ab initio Fœderis, ad finem uſque Burgundicorum motuum, per annorum 156. decurſum. Huc refert prælium Morengartenſe, 1315. Loupenſe, 1339. Obſidiones urbis Tigurinæ 1298.1351.1352.1354. Pugnam Tettwilanam 1352. Sempachianam 1386. Nephelinam, qua undecies acriter Glaronenſes hoſtem ſunt aggreſſi 1387. Prælia quatuor Sangallenſium & Abbatiscellanorum 1405. Fagi-montanum 1460. Conflictus Burgundici Elicurti, Granſonii, Morati, Nanceji, 1475.1476. ad pagum Iornico, contra Ducem Mediolani, ubi ſexcenti Helvetii hyemare conſtituerant. Hos 15000. Inſubri adoriebantur: victi, 1400. ſuorum amiſerunt, reliqui in fugam acti. Helvetiis victoria, & magna præda ceſſit: 1478. Quo & refert pugnam ad Sylvam fratrum, Ermatingam, & Dornacum a.Ch.1499. Hanc periodum tantò fuiſſe feliciorem, quantò ipſa cauſa fuerit juſtior. Pro patria, pro libertate, pro aris & focis ejus, fuiſſe pugnatum. *Secunda* claſſis bella continet Helvetiorum pro exteris ſociis in Italia, regno Neapolitano, &c. & alibi ſuſcepta. Non defuiſſe quidem vel animum pugnantibus, vel laudem ſive victis, ſive victoribus; interim tamen magnorum in patria damnorum & motuum, tot acceptas clades fuiſſe cauſas & fomites. Iam ſuprà, pag. 191. commemoravimus, quot Helvetiorum Chiliades ab an.Ch.1494. ad 1525. extra patriam militârint, vel militaturi ſaltem, lares deſeruerint.

XVIII. Ita *contractior* habet ſeries: *prolixior* ſequentes obſervet ſive notas, ſive Canones.

XIX. *a.* De bellis & præliis Confœderatorum inſignioribus ita aget, ut, quantum fieri poteſt, vel αὐτόπτlω habeat teſtem rerum geſtarum; vel σύγχρονον ſaltem, aut aliâs fide dignum: Duos, ubi licebit, adornabit, alterum quidem domeſticum, exterum alterum, quorum ille domi, hic foris quid de Helvetiis, bello ubique occupatis, ſentiendum ſit, authoris judicio relinquet.

XX. *b.* Tenebit, bella & prælia ab Helvetiis Confœderatis alia quidem geſta eſſe pro Fœderis initiis: alia pro felici ejus continuatione; alia denique pro amicis & Fœderatis.

XXI. *Primi* generis ſunt bella AUSTRIACA priora.

Primo hic occurrit prælium MORENGARTENSE, de quo breviter *Vrſperg.* Paraleip. 351. plenius I. Ioh. *Vitoduranus*, p.m.36. qui tum vixit, Auſtriæ ſubditus: Hoc tempore, inquit, anno Domini MCCCXV. quædam gens ruſticalis, in vallibus dictis Schwytz habitans, montibus ferè excelſis ubique vallata, confiſa de montium ſuorum præſidiis & munitionibus firmiſſimis ab obedientia, & ſtipendiis & conſuetis ſervitiis Duci Lupoldo debitis ſe ſubtraxit, & ad reſiſtendum ſibi, ſe præparavit: Quod Dux Leopoldus diſſimulare nolens, in ira magna

congregavit, circa feſtum Sancti Martini, exercitum de oppidis ſibi ſubjectis, & de aliis auxilium ſibi ferentibus, in propinquo poſitis XX. ut fertur millia virorum expeditorum ad prælium ad debellandum, ad deprædandandum, & ad ſubjugandum montanos illos rebelles ſibi factos. In quo exercitu Dux Leopoldus habuit militiam robuſtiſſimam & electiſſimam, & ad præliandum peritiſſimam & intrepidiſſimam. Convenerunt igitur viri ipſius exercitus unanimiter quaſi vir unus ad perdomandos & humiliandos illos Ruſticos, montibus pro muris circumdatos, & volentes eſſe certiſſimi de victoria ſua, & captione illius terræ, ejus direptione & deprædatione, reſtes & funes ſecum tulerunt, út mediantibus illis prædam pecudum & pecorum inde abducerent. Quod illi audientes, & nimis timentes, infirmiora terræ loca, & ubi ad eos aditus eſſe poterat muris, & foſſatis, & aliis, quibus poterant modis, muniverunt, & orationibus, jejuniis, proceſſionibus, Letaniiſque Deo ſe commendaverunt, præoccupaveruntque omnes vertices montium. Et datum eſt in mandatis ſingulis per quos tranſitus eſſe poterat, ut obtinerent aſcenſus montium per quos via eſſe poterat ad terram ſuam, & illic cuſtodirent, ubi auguſtum iter eſſe viderant inter montes, & fecerunt, ſecundum quod conſtitutum erat eis, & clamavit omnis populus ad Dominum in inſtantia magna, & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, ipſi, & mulieres ſuæ, & clamaverunt unanimiter ad Deum, ne darentur ad prædam, pecora eorum, & uxores eorum in diviſionem, & loca eorum in exterminium, & honor & virtus eorum in pollutionem. Orabant itaque Dominum ex toto corde, ut viſitaret eos populum ſuum, dicentes: Domine Deus Cæli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad humilitatem noſtram & oſtende, quoniam non derelinquis præſumentes de te, ac de ſe & ſua virtute gloriantes humilias. Hæc autem dixerunt pœnitentiam agentes, & de ſua contumacia gratiam & pacem totis viribus poſtulantes, per Dominum quendam dictum de Toggenburg comitem: virum in virtute animi & cor-

& corporis inſignem, qui mediator extitit utrorumque, nitens pacem inter eos componere, & totam diſcordiam complanare, qui cum agitando profectum utriusque partis multum fideliter laboráſſet, nihil profecit apud Ducem Leopoldum, quia nimis indignatus contra SWICENSES & nimio furore ſuccenſus, noluit pacta humilia ipſorum ſibi porrecta per Comitem de Toggenburg acceptare, ſed tantum eos conterere voluit, & cum rebus ſuis diſſipare. Quod audientes SWICENSES, timore ac tremore concuſſi ſunt: Aſſumpſerunt ergo arma ſua bellica SWICENSES, & ſederunt ſuper loca, quæ anguſti itineris erant, & tramitem dirigunt inter montoſa, & erant cuſtodientes ea, tota die ac nocte. Die ergo Sancti Othmari, Dux Leopoldus cum ſuis bellatoribus, inter quendam montem ac lacum vocatum Ægere-ſee terram invadere, cupiens, propter montis proclivitatem & celſitudinem præpeditus eſt: Equites enim fere omnes Nobiles, amore & ſpe rerum percipiendarum æſtuantes, in prima acie locantes, & audacter conſtituentes, minimè facultatem ſeu poſſibilitatem aſcendendi montem habebant pedites; nam vix greſſus ſuos ibidem figere vel ſiſtere quibant. Præſcientes autem SWICENSES per revelationem Comitis memorati, ſe in illa parte aggredientes, & recognoſcentes impedimentum & obſtaculum eorum, propter difficultatem acceſſus ad terram ipſorum, animati & valde cordati contra eos deſcendunt de latibulis ſuis, & eos quaſi piſces in lagena concluſos, invadunt, & ſine omni reſiſtentia occidunt; Erant enim in compedibus ſecundum eorum conſuetudinem quibusdam inſtrumentis pedicis & ferreis induti, quibus faciliter greſſum vel gradum in terra fixerant in montibus, quantumcunque proclivis, inimicis & inimicorum equis minimè pedes ſuos ſiſtere valentibus. Habebant quoque SWICENSES in manibus quædam inſtrumenta occiſionis tela, vulgari illo modo apellata Hellenparten/ valde terribilia, quibus adverſarios firmiſſimè armatos quaſi cum novacula diviſerunt, & in fruſta conciderunt. Ibi non erat pugna tantùm ſed propter

cauſam

cauſam prætactam, populi Ducis Leopoldi à montanis illis, quaſi mactatio gregis, ducti ad victimam, nemini pepercerunt, nec aliquos capere curabant, ſed omnes indifferenter, uſque ad internecionem percuſſerunt. Qui verò ab eis interfecti non fuerunt, in lacu ſubmerſi ſunt, per quem manus eorum effugere autumabant tranſire poſſe nando, ſperantes. Quidam etiam de peditibus audientes, pugnatores, ſtrenuiſſimos ſuos, tam crudeliter à Swicenſibus in mortem proſterni, terrore eam horribilis mortis conſternati, & inebriati, lacui ſe immiſerunt, magis volentes ſe in profundum aquæ immergere, quam in manus hoſtium tam terribilium incidere. Referuntur autem mille & quingenti viri in illa cæde cecidiſſe in ore gladii, exceptis ſubmerſis in lacu memorato: propter militiam illic perditam, in terra circumpoſita, permultos dies militia rarior fuit. Nam ferè ſoli milites ibi perierunt, & alii nobiles in armis infantilibus exercitati. Qui verò ad alias vias directi ſunt ad terram capiendam, evaſerunt hoſtium manus cruentas. Nam audientes alios tam ferociter cædi ab hoſtibus, cunctis poſtpoſitis ad ſalvandas animas fugerunt; de ſingulis civitatibus, caſtellis & oppidis interempti fuerunt, & ideo ubique voce lætitiæ & jubilationis depoſita, ſola vox fletus & ululatus audita eſt. De oppido verò Winterthur/ nullus periit, niſi unus civis, qui ſe ab aliis ſequeſtravit, & ſe in malum ſuis Nobilibus aſſociavit. Cæteri omnes ſani corpore, & ſalvis ſuis rebus ad propria redierunt, inter quos Dux Leopoldus reverſus, tanquam ſemimortuus apparuit nimia præ triſtitia, quod oculis meis conſpexi, quia tunc, Scholaris exiſtens, cum aliis longe Scholaribus patri meo ante portam, cum gaudio non modico occurrebam: cognito autem, Ducis Leopoldi, vultus lugubris & turbulentus apparuit, quod robur & virtutem exercitus ſui penè amiſerat. Hæc autem facta ſunt Fratre ſuo Friderico interim in Auſtria exiſtente, Anno MCCCXV. Calendis Decembris, XVII. in feſto Sancti Othmari. Bello peracto Swicenſes detractis armis occiſorum & ſubmerſorum, & ſpoliatis cæteris rebus

ſuis,

ſuis, in armis & pecunia multum locupletati ſunt, & illa die pro triumpho à Deo habito, diem feſtum, feriamque ſolennem ſingulis annis in perpetuum recolendam ſtatuerunt. Hæc *Vitoduranus*.

II. *Gerard.de Roo* Hiſt. Auſt. l. 2. pag. 85. Ambo igitur (Fridericus & Ludovicus) à ſua quisque factione electi. Anno ſequenti Ludovicus Aquiſgrani à Moguntino & Trevirenſi, Fridericus Bonnæ à Colonienſi, hic à quo debuit, ille ubi, ſed non à quo debuit, coronati ſunt, uti ait Albertus Argentinenſis. Hinc cum alter alterum vitio creatum eſſe contenderet, neuter verò abiret magiſtratu, multis magnisque incommodis, & inteſtino bello Germaniam involverunt, & ſuſcepto Imperio non ad conſtituendam rempublicam, ſed ad gerenda bella ſe contulerunt. Bavarus Openhemum, Auſtriacus Heidelbergam vires undique contrahunt, & quamplurimos quisque poteſt donis, promiſſis, precibus, minisque ſibi conciliant. Inferiores ad Rhenum civitates Ludovicum agnoſcebant, ſuperiores Fridericum. Inter Helveticos pagos Vrios, Vnderwaldios, & Suitenſes, Ludovicus obſequentes habebat, Fridericus oppida cætera, præter Bernam, & Solodurum, quæ utrumque averſabantur. Cum Auſtriaco Comites & Nobiles quidam imprimis Hugo, Henricus, & Albertus fratres Werdembergici, fœdus contra Ludovicum, Vrios, Suitenſes, & Vnderwaldios faciunt. Illorum auxiliis ad ſe vocatis Leopoldus, is qui poſteà Gloria militum cognomen tulit, in Suitenſes duxit, ſed mille quingentis (ſi bene numerum iniit Stumpfius) amiſſis, retrocedere coactus eſt. Aderant in ejus exercitu Tigurini quinquaginta, ſuæ civitatis colorem induti, qui omnes ad unum cæſi ſunt, & Tigurini poſt adverſam pugnam Ludovico ſe adjunxere.

Secundò: Pugna TETWILANA, de qua I. *Simler.* de Repub. Helvet. l. 1. p. 48. 6. Dum hæc Glaronæ geruntur, Decembri Menſe Tigurini exercitum verſus Badam ducunt, quo loco firmum præſidium Auſtriorum poſitum erat, quod Tigurinorum agrum ſæpe incurſio-nibus

nibus vaſtabat, itaque Tigurini ipſorum quoque agris vaſtatis, & ſuburbano incenſo, copias per juga montis, domum reducebant, quo loco ad Tetivillam Ellerbachius, Auſtrii militis dux, cum 4000. vias inſedit. Tigurinorum non erant ſupra mille trecentos (ſunt, qui multò minorem numerum ponant) hi cum hoſte congreſſi inſigni victoria potiti ſunt, hoſtium 700. cæſis, inter quos inſigniores 65. è nobilitate periiſſe traduntur.

2. *Gerard. de Roo*, Hiſt. Auſt. l. 3. p. 105. Agnes igitur ſummo cum ſtudio pacem inter fratrem & Tigurinos, eorumque confœderatos componere adnixa, nihil efficere potuit. Vtra verò pars novam bello cauſam dederit, parum inter auctores convenit. Obſides ab Alberto detentos quidam referunt, cauſam non addunt. Iacobus à Küngelshoven, Tigurinos dicit arbitrorum ſententia minus contentos, arma arripuiſſe. Itaq; Albertus bellum & ipſe continuat, oppida circumvicina, præſidiis munit, fiunt quotidie excurſiones, agri evaſtantur, multa utrinque damna & incommoda accipiuntur. Tandem ipſo natali Servatoris noſtri die, Tigurini, cùm aliquot Alberti milites Badenæ eſſe, per exploratores didiciſſent (aderant inter illos trecenti equites Argentoratenſes) facto clàm itinere, de nocte ipſos aggredi ſtatuerant, ſed antequam eo pervenire potuerunt, jam illi in tutum ſe receperant. Itaque Tigurini, balneas, quæ extra oppidum erant, & vicinas quaſdam caſas exuſſerê, hinc domum reverſuri Freudennoviam pagum, ex itinere aggreſſi, diripuerunt, domibus ignem injecerunt. Poſtridie, qui D. Stephano Protomartyri ſacer eſt, Auſtriaci ad quatuor pugnatorum millia, oppido egreſſi, Tigurinos prope Tatwillam, non longe à Badena, aſſequuti ſunt. Erant cum illis recentes peditum copiæ, quas Ioannes Ellerbachius, Principis cubicularius, ex Atheſina regione conſcriptos, illis diebus adduxerat, de quorum adventu nihil etiamnum inaudierant Tigurini. Igitur Rodolphus Brunus, eorum præfectus, hoſtium multitudine, nec opinata, territus, cum in ima valle, ſe cum ſuis eſſe, & editiora circum loca ab hoſti-

bus

bus occupari, videret, citato equo, relictis ſuis, Tigurum verſus abiit, uti cæſis, (quod timebat) militibus, ubi præſidio eſſet. Ea res, ne trepidationem adferret, prudenter admodum cavit Manneſius quidam, qui in præfecti locum ſuccedens, bono animo cives eſſe jubet, profectum, ſe conſcio, Rodolphum, cum majoribus extemplo copiis adfuturum, itaque virum ſe quisque præſtaret, ſtrenuam patriæ operam navaret. Interim Auſtriaci, undique eos aggrediuntur, fitque acerrimus conflictus, & majorem Helvetii, quàm pro numero, edebant pugnam, donec multitudine hoſtium inclinare nonnihil coacti fuêre. Iamque penes Auſtriacos victoria eſſe videbatur, ſed levis admodum res fortè oblata, magnum Tigurinis momentum attulit. Erat agreſtium hominum manus, perexigua, quæ Tigurinorum agmen tardius ſecuta, ardente jam pugna accurrens, ne à ſuis aberraret, (jam enim nox erat) Tiguri nomen inclamabat. Tigurini, præfectum cum auxiliis, quæ dixerat Manneſius, adeſſe rati inſtauratis in pugnam animis, hoſtem in fugam compellunt. Periere ex Auſtriacis ſexcenti, capta ſigna militaria ſex. Albertus Mülnerus, quingentos ex hoſte, quadraginta ex ſuis cecidiſſe refert, capta & publicè ſuſpenſa ſigna ſeptem. Hæc victoria, domum nunciata, eò majorem Tigurinis lætitiam attulit, quo propior metum res fuerat. Divinitus verò oblatam, ſibi eam agnovêre, & annuas ferias, circa quinquagenaria, quibus ad Divam Virginem Eremitanam publicè ex ſingulis domibus ſinguli ſupplicatum irent, conſtituerê. Exolevit hæc conſuetudo 1523. cum Refor.

Tertiò: Ad *Navalia*; vulgò *pugna* NEPHELINA (die Neſelſerſchlacht) de qua *Glarean.* in Paneg. Helvet. pag. 68.

Aſpice diſſecto Veſenia pergama muro
——Quid patres potuere tui, &c.

Ad quæ verba *Oſvvaldus Molitor, Lucer.* Pugnam ſignificat Nephelinam, præcipuam in Helvetiorum prima libertate, in qua hi populi contra Clarenenſes ſuos miſerunt exercitus, Dux Auſtriæ, Schafhuſia, Vitodurum, Kibur-

Kiburgum, Doggii, Cellani ad locum Venetum, Veldkirch, Domini ex Thorberg, Raperſuila, Groninga, Vtznachum, & Veſenium, oppidum eis, ob propinquitatem, inimiciſſimum, quod quidem hoc bellum excitavit. Cæterùm in ea pugna tria millia hoſtium, præter eos, qui in lacu Rivario ſubmerſi ſunt, ceciderunt, quindecim millia contra minus mille viros commiſſi. Hanc pugnam Poëta, ut vix credibilem, heroico carmine juvenis olim luſerat, ſed certis de cauſis non edidit. Eam paulò clarius ita refert *Simler*. l. 1. p. 56. b. Finitis induciis præſidium Helveticum Veſeniis ad lacum Rivarium, proditum à civibus oppidi ab Auſtriis cæſum eſt: ac ingentibus copiis Glaronenſium fines, hoſtis invaſit nona Aprilis, quem minimum 8000. hominum fuiſſe tradunt, alii duplo ferè plures. Duces exercitus erant Donatus Toggius Comes, Petrus Torbergius, Ioannes Klingenbergius, Ioannes Werdenbergius Comes Sarunetum dominus. Hic delectis duobus millibus per Beglingam ducens, à tergo hoſtem adoriri ſtatuit, reliqui à fronte murum aggreſſi, quo ſuperioribus annis Glaronenſes vallem munierant, eum cepere, quo ſuperato quaſi integra victoria potiti eſſent, proxima loca urere prædáſque agere ceperunt. Interea in vicino monte convenerê Glaronenſium 350. quibus Suitenſium 30. à proxima valle auxilio venere; hi magno impetu, majore animo hoſtem loco anguſto aggrediuntur, & primum lapidibus, quorum locus copiam ſuppeditabat impetunt, inde, cùm ſe in patentem locum reciperent, ita urgent & inſiſtunt, ut tandem eos in fugam conjicerent: undecies eos in hoſtem, qui aciem inſtaurare conabatur, impreſſionem feciſſe, patrii annales tradunt. Werdenbergius, viſa ſuorum clade, è monte quem ceperat, ipſe quoque fuga ſibi conſulit: hoſtium bis mille eo prælio cæſi & non pauciores quingentis in aquis periere, rupto præ nimia fugientium multitudine ponte fluminis, qui Veſenam ducit. Confer. *Grafferi* Herolog. (Schweitzeriſch Heldenbuch) p. 86.

Quartò SEMPACHIANA, de qua breviter *Anth. Faſcic.*

tempor.

temppr. vide ſup. p.165. *Birkheim.* apud *Calvis.* an.Ch. 1386. *Curion.* l.5.p.142. *Naucl.*Gen.46.p.256. Breviter & eleganter occaſionem ejus & eventum deſcribit *1. Ioſ.Simler.* de Repub.Helv.l.1.p.55. Occaſio belli hæc erat: Auſtrii præfecti Petrus Torbergius Wolhuſæ, & in valle Entlibuchia; Hermannus Grunenbergius Rottenburgi, quibus hæc loca à Duce oppignorata erant, tyrannico imperio populum premebant, & vicinos quoque Lucernates contumeliis afficiebant. Itaque illi miſſis legatis à Lucernatibus jus civitatis petiere, cæterùm re ad præfectos relata, legati & alii, qui in hac re operam ſuam patriæ impenderant, eorum juſſu laqueo ſuſpenſi, fidei & induſtriæ ſuæ pœnas dederunt. Rottenburgi quoque nova vectigalia imponebantur pagis, qui illa via uterentur: ſic injuriis accenſi Lucernates auxilio trium pagorum Rottenburgum 29.Decemb.anno 1385. occupant, arcem diripiunt, quam Grunenbergius fugâ deſeruerat, mœnia oppidi dejiciunt, & foſſas æquant, ne Auſtrij, denuò præſidio illic poſito, Lucernates oppugnare queant. Non multò pòſt Sempachios quoque Lucernates civitate donârunt, & oppido Richenſee præſidium imponunt 200. hominum: verùm Præfecti Auſtriaci exercitu collecto oppidum oppugnatione capiunt, præſidium trucidant, cujus omnes, nulla neque ſexus aut ætatis ratione habita, aut cæſi, aut una cum oppido concremati ſunt. Meyenbergum in iiſdem locis oppidum, confœderati omnes, Berna exceptâ, captum præſidio firmârunt, ſed Auſtrii ſimulata fuga præſidium eliciunt, & 81. cæſis cæteros fuga in urbem compellunt. Ea re cognita, pagi ſuos milites domum revocant, arcem & oppidum incendio delent. Videbantur hæc belli auſpicia & primordia Helvetiis adverſa fuiſſe, itaque magno ſtudio & ingenti apparatu bellum ubique ab Auſtriis parabatur, & multi quotidie ineunte proximo anno literis & fæcialibus miſſis confœderatis bellum indicebant: neque ſegnius Helvetii ſeſe parare & proximo cuique hoſti bellum inferre parabant. Bernenſes, qui haſtenus quieverant, crebris confœderatorum

V nunciis

nunciis exciti, Torbergum & Koppingam, Petri Torbergii arces, diruere. Lucernates cum tribus pagis Wolhuſam arcem & oppidum vaſtârunt, item Liclam, Rinacum, Baldegum. Tigurini & cum pagis junxere copias, quibus Verbigenum agrum vaſtârunt, & domum reverſi Rumlangum arcem ad Glattam oppugnatione captam igne delevere. Quoniam verò Auſtrio exercitus Brugis ac Badæ maxima ex parte propè Tigurum colligebantur, credebatur, Ducem denuò Vrbem obſeſſurum eſſe, quare pagi quatuor Tigurinis mille ſexcentos è ſuis ſubſidio miſerunt. Cæterùm Dux Leopoldus, cùm didiciſſet, Vrbi præſidium miſſum, rectà in pagos, qui magna copiarum parte nudati videbantur, exercitum ducere cœpit: ea re per exploratores Tigurini cognita, Pagi Tigurinos Vrbi ſuæ præſidio eſſe jubent, ipſi ſub ſignis diu noctúque magna celeritate Sempachum proficiſcuntur, & eodem die, quo Dux, cum copiis illuc perveniunt, qui erat 9. Iulii: pugnatum eſt illo ipſo die, Dux Leopoldus, Alberti ſapientis F. Alberti Imp. N. cæſus, atque cum eo è nobilitate *676.* è quibus inſigniores coronatis & criſtatis galeis inſignes 350. Confœderati tam ſplendida victoria potiti bellum undique per Helvetiam circumferre cœperunt, & pœnas ſumere de his, qui fines ipſorum vaſtârant, cives ſpoliârant, bellum non laceſſiti indixerant, arces multæ dirutæ, oppida nonnulla capta.

2. *Gerardus de Roo.* lib. IV. p. 131. paulò aliter: Exacto tempore induciarum, Lucernates ſuis & ſociorum copiis inſtructi, Wolhuſium oppidum unà cum arce expugnant. Capfenbergo capto, Torbergicum inde pellunt, perque omnem Ergoviam, pagorum villarúmque incendia excitant. Tigurini quoque ſitu loci, Auſtriacis proximi, ex confœderatis civitatibus, mille ſexcentos milites evocant. Sempachum oppidulum præſidio muniunt, quò evaſurus ſit hoſtium conatus, interiori curâ obſervant. Leopoldus interim cum ſuis Sempachium properè ducit, loci præſidium, antequam ei auxilia à Tigurinis adferantur, aggreſſurus. Qui Tiguri erant, itinere

ejus

ejus explorato, arreptis & ipſi armis, eò advolârunt, factúmque eſt, uti eodem fere tempore, utrique ad eundem pervenerint locum. Archidux conſpecto præter opinionem hoſtium agmine, ſuorum conſilia exquirit: Ibi nobiles plerique pugnæ avidi, in hæc verba prorumpunt: Hos nobis ruſticos DEUS malè multandos in manus dedit. Arripienda igitur rei benè gerendæ occaſio, neque ex noſtra dignitate eſt, tot armati cùm ſimus, alias operire copias. Hæc cùm inſolentius itentidem jactitarent, unus inter ipſos Ioannes Haſenbergicus, temerarium Sociorum conſilium, nimiámque virium fiduciam, reprehendens, non contemnendos eſſe ruſticos, quantúmvis paucos, contendebat, dubiam eſſe belli aleam, & ſæpe à contempto hoſte cruentam edi pugnam. Hæc prudens viri, ætate provecti oratio, juvenibus à timore proficiſci viſa, quos inter Ioannes Ochſenſteinius: Haſenbergi, inquit, ſatis jam apparet te non agnomen ſolùm, ſed & cor leporis habere, ſed nobis contra hos paucos ſemiermes virium eſt. Inde ad Principem ſe vertens: Hunc, inquit, ruſticorum manipulum, hodie tibi ad veſperam, ut volueris, vel aſſum, vel elixum exhibebimus. Hoc dicto, equos ſuis quisque famulis tradunt, & propter loci naturam, equiti minus idoneam, pedites in hoſtem ire pergunt, famulos adſtare ſpectatores jubent, & ruſticis fugam inituris, effugii vias intercludere. Neque Helvetii pugnæ moram faciunt, magnis utrinque animis concurrunt. Nobiles egregiè ſe primo conflictu gerere, hoſtium ad ſexaginta, antequam quisquam eorum vulneratus eſſet, dejicere. Maxima verò pugna graveſcente, Helvetiis acriter ſe defendentibus, cùm diutius teneret pugna, ſub pondere armorum depreſſi, æſtu, & laſſitudine defectis viribus, cedere paulatim hoſti expedito, & laboribus aſſuetò, coacti ſunt, multique paſſim cecidere, inter quos nonnulli etiam abſque vulnere inventi ſunt. Principem ipſum, ſunt qui aſſerant, à ſuis monitum, uti ex tuto loco pugnam ſpectaret; id facere noluiſſe, alii viſo ſuorum periculo equo deſiliiſſe, ſuámque cum reliquis for-

V 2 tunam

nunciis exciti, Torbergum & Koppingam, Petri Torbergii arces, diruere. Lucernates cum tribus pagis Wolhuſam arcem & oppidum vaſtârunt, item Liclam, Rinacum, Baldegum. Tigurini & cum pagis junxere copias, quibus Verbigenum agrum vaſtârunt, & domum reverſi Rumlangum arcem ad Glattam oppugnatione captam igne delevere. Quoniam verò Auſtrio exercitus Brugis ac Badæ maxima ex parte propè Tigurum colligebantur, credebatur, Ducem denuò Vrbem obſeſſurum eſſe, quare pagi quatuor Tigurinis mille ſexcentos è ſuis ſubſidio miſerunt. Cæterùm Dux Leopoldus, cùm didiciſſet, Vrbi præſidium miſſum, rectà in pagos, qui magna copiarum parte nudati videbantur, exercitum ducere cœpit: ea re per exploratores Tigurini cognita, Pagi Tigurinos Vrbi ſuæ præſidio eſſe jubent, ipſi ſub ſignis diu noctúque magna celeritate Sempachum proficiſcuntur, & eodem die, quo Dux, cum copiis illuc perveniunt, qui erat 9. Iulii: pugnatum eſt illo ipſo die, Dux Leopoldus, Alberti ſapientis F. Alberti Imp. N. cæſus, atque cum eo è nobilitate 676. è quibus inſigniores coronatis & criſtatis galeis inſignes 350. Confœderati tam ſplendida victoria potiti bellum undique per Helvetiam circumferre cœperunt, & pœnas ſumere de his, qui fines ipſorum vaſtârant, cives ſpoliârant, bellum non laceſſiti indixerant, arces multæ dirutæ, oppida nonnulla capta.

2. *Gerardus de Roo.* lib. IV. p. 131. paulò aliter: Exacto tempore induciarum, Lucernates ſuis & ſociorum copiis inſtructi, Wolhuſium oppidum unà cum arce expugnant. Capfenbergo capto, Torbergicum inde pellunt, perque omnem Ergoviam, pagorum villarúmque incendia excitant. Tigurini quoque ſitu loci, Auſtriacis proximi, ex confœderatis civitatibus, mille ſexcentos milites evocant. Sempachum oppidulum præſidio muniunt, quò evaſurus ſit hoſtium conatus, interiori curâ obſervant. Leopoldus interim cum ſuis Sempachium properè ducit, loci præſidium, antequam ei auxilia à Tigurinis adferantur, aggreſſurus. Qui Tiguri erant, itinere

ejus

ejus explorato, arreptis & ipſi armis, eò advolârunt, factúmque eſt,uti eodem ferè tempore, utrique ad eundem pervenerint locum. Archidux conſpecto præter opinionem hoſtium agmine, ſuorum conſilia exquirit: Ibi nobiles plerique pugnæ avidi, in hæc verba prorumpunt: Hos nobis ruſticos DEUS malè multandos in manus dedit. Arripienda igitur rei benè gerendæ occaſio,neque ex noſtra dignitate eſt,tot armati cùm ſimus, alias operire copias. Hæc cùm inſolentius itentidem jactitarent, unus inter ipſos Ioannes Haſenbergicus, temerarium Sociorum conſilium,nimiámque virium fiduciam, reprehendens, non contemnendos eſſe ruſticos,quantúmvis paucos, contendebat, dubiam eſſe belli aleam, & ſæpe à contempto hoſte cruentam edi pugnam. Hæc prudens viri,ætate provecti oratio, juvenibus à timore proficiſci viſa, quos inter Ioannes Ochſenſteinius: Haſenbergi, inquit, ſatis jam apparet te non agnomen ſolùm, ſed & cor leporis habere, ſed nobis contra hos paucos ſemiermes virium eſt. Inde ad Principem ſe vertens: Hunc,inquit,ruſticorum manipulum, hodie tibi ad veſperam, ut volueris, vel aſſum, vel elixum exhibebimus. Hoc dicto, equos ſuis quisque famulis tradunt, & propter loci naturam, equiti minus idoneam, pedites in hoſtem ire pergunt, famulos adſtare ſpectatores jubent, & ruſticis fugam inituris, effugii vias intercludere. Neque Helvetii pugnæ moram faciunt, magnis utrinque animis concurrunt. Nobiles egregiè ſe primo conflictu gerere, hoſtium ad ſexaginta, antequam quisquam eorum vulneratus eſſet, dejicere. Maxima verò pugna graveſcente, Helvetiis acriter ſe defendentibus, cùm diutius teneret pugna, ſub pondere armorum depreſſi, æſtu, & laſſitudine defectis viribus,cedere paulatim hoſti expedito,& laboribus aſſueto, coacti ſunt, multique paſſim cecidere, inter quos nonnulli etiam abſque vulnere inventi ſunt. Principem ipſum, ſunt qui aſſerant, à ſuis monitum, uti ex tuto loco pugnam ſpectaret; id facere noluiſſe, alii viſo ſuorum periculo equo deſiliiſſe, ſuámque cum reliquis for-

tunam conjunxiſſe, neque tot viros egregios deſerere voluiſſe, prodidere. Id verò conſtat, ſtrenuè inter primos pugnantem eſſe occiſum. Inclinata nobilium acie, multi ex famulis fugere, deſertis heris. Ita victoria penes Helvetios fuit. Occiſorum præcipui nominis, Catalogum, quem ignorari ait *Naucler.* Gen.46.ſubjicit.

XXII. Secundi generis ſunt BURGUNDICA, AUSTRIACA poſteriora, & SUEVICA.

XXIII. BURGUNDICA ut feliciſſimè ſucceſſerunt; ita prolixiora ex variis Scriptoribus merentur Commentaria.

Poſſemus quidem breviter ex *Faſcic.tempor.*pag.90. *Meteran.* Hiſt.Belg.lib.1.pag.6. *Buchholtz.*anno Chriſti 1477. *Calviſ.*an.Chr.1476. *Naucler.*Gen.50.p.294. *Paral.Vrſp.*pag.428.rei geſtæ dare ſummam. Quia verò hæc, ſi quæ alia bella, luculentiſſimum, non tam fortitudini Majorum noſtrorum, quàm ſanctiſſimæ Dei curæ & Providentiæ, quâ elatis depreſſis, humiles erigit, præbent teſtimonium; magnos diverſarum Gentium audiemus authores, qui non modò hoſtis tanti nomen, militiam, opes, experientiam, terrorem; ſed & victorum laudem Scriptis ſuis poſteritati tradiderunt. Excellit hic 1. *Philippus Cominæus*, cujus integrum de hoc bello librum 7. in prima acie collocamus: Prius, quàm exhiberet Coneſtablium, cœpit diffidere ſuo populo, & propemodum eos deſpiciebat. Ex Italia enim circiter mille cataphractos evocaverat, iisque utebatur etiam in obſidione Noveſiana. Comitem verò Campobachium quadringentis equitibus præfecerat. Is, quoniam Andegavenſis familiæ partes, quæ bellum Neapoli, geſſit, ſequebatur, proſcriptus, & omnibus bonis exutus, in Galliam ſe receperat, & maximam partem cum Renato Siciliæ Rege, vel in provincia Maſſilienſi fuerat, vel in Lotharingia: pòſt etiam apud Ni[illegible]laum Calabriæ Ducem,

cem, à cujus morte, Carolus eum excepit, & magnum propterea numerum Italorum. Miſſus autem à Carolo in Italiam,ut equitatum cogeret,accepit ab eo quadraginta aureorum millia. Quumque per Lugdunum iter faceret: incidit in Simonem Papienſem medicum. Familiariter cum eo loquutus, Regi ſignificabat, ſi velit ſecum paciſci, daturum ſe Carolum in ipſius poteſtatem. In eandem ſententiam loquebatur etiam cuidam Regis apud Pedemontanos legato. Reverſus deinde ex Italia cum equitatu,denuo pollicebatur Regi,ſimulatq; futurus eſſet ad exercitum,ſe vel interfecturum eſſe illum, vel capturum: ſimul quomodo id perficeret, demonſtrat. Caroli conſuetudo ſic erat,ut parvulo equo vectus, & modico ſtipatus comitatu,totum exercitum obiret. In eo temporis puncto confirmabat ſe poſſe, quod vellet perficere. Ad hæc,ſi quando committeretur prælium,illo deſerto,ſe tranſiturum ad Regem,modò ipſe conditiones invicem præſtaret. Eam improbitatem atque perfidiam Rex ægrè tulit,& ut ſingularem aliquam virtutem oſtenderet,omnia per Contæum Carolo renunciat. Ille autem, quia putabat hoc à Rege fieri captioſè,fidem non habuit: & domeſticum proditorem multò majori benevolentia, quàm priùs,complectebatur. Quò magis apparet, Deum ipſi mentem omnem prorſus eripuiſſe. Occupata Lotharingia, & recuperato Sanctoquinto cum duobus Conneſtablii oppidis,& reliquis ejus facultatibus acquiſitis: injecta fuit mentio colloquii,quò Rex & ipſe venturus erat. Conſtituit enim exercitum ſuum ex diutino labore defatigatum reficere, & cohortes aliquot præſidio collocare per aliquot oppida Comitis Romantii in finibus Bernatum & Friburgiorum,quibus bellum inferre cogitabat. Primùm,quòd,quo tempore Noveſium circumſedit,incurſionibus vexaſſent Burgundiam. Deinde,quòd ipſorum opera potiſſimùm ſibi eſſet adempta ditio Pfirtenſis,ut ſuprà docuimus. Poſtremò, quòd Comitem Romantium,parte aliqua ſuæ ditionis illi diſpoliaſſent. Colloquium Rex valde urgebat, & hortabatur

 eum,

eum,ut Helvetios ſineret uti pace,neque miſeram & tenuem prædam ibi ſectaretur,& exercitum potius recrearet. Helvetii,quum ad fines ipſorum viderent illum habere præſidia, legatos de pace mittunt, & pollicentur quicquid ademerant,reſtituere. Sed Romantius contrà magnopere ſollicitabat,ut præſens opem ſibi ferret. Eo probato conſilio,ſtatuit omnino bellum eis facere: & priusquam illud ſuſcepit, cum Rege paciſcitur, ne propter Lotharingicum bellum ullus inter ipſos motus exiſteret. E Lotharingiæ finibus profectus,ubi cum exercitu in Burgundiam acceſſit: alii veniunt ab Helvetiis ad ipſum legati,cum amplioribus mandatis, quorum hæc erat ſumma: paratos eſſe Helvetios,non ſolùm reſtituere omnia,quæ occupâſſent: verùm etiam à quavis ſocietate diſcedere,& ipſi militem adverſus Regem ſubminiſtrare. Quum autem obſtinatè eis omnia negaret: ea ſpe dejecti,cum vicinis ad Rhenum civitatibus ineunt fœdus,in annos decem,ut ſuprà demonſtravimus, quo loco diximus,quemadmodum Caroli per Pfirtenſem ditionem præfectus, capitis pœna mulctatus fuit, qui quoniam inſolenter & protervè multa faciebat: defectionis cauſam dedit. Magno igitur ſtudio providere debent principes,ut iis,quas nuper occupârunt,provinciis,idoneos homines præponant. Nam is,de quo diximus,præfectus,cùm æquum eſſet,ut ejus ditionis populum humanitate quadam ſingulari ſibi adjungeret,crudeliter & avarè multa deſignabat, ſummo cum detrimento Caroli. Nam illa civitatum & Helvetiorum confœderatio,Rege authore facta,majores quàm plerique putant, Galliæ commoditates attulit,uſque eò,ut exiſtimem,inter alia multa,Regem hoc unum prudenter admodum excogitâſſe. Nam oppreſſo Carolo,qui ſe ipſi opponeret,nullus erat omnium Galliæ Principum. Maximum igitur ea res ad Galliæ ſalutem attulit momentum, quando ingente labore & ſumptu fœdus illud conciliavit. Helvetii, cùm ad pacem nullum viderent aditum ſibi patere,ſtatuunt illatum bellum defendere. Carolus in eam Sabaudiæ partem cum exercitu profectus,
quam

quam illi Romantio ademerant, & caſtellis aliquot recuperatis, obſidione cinxit Granſonium, quod oppidum Helvetii Caſtelgiônio, viro nobili ademptum, præſidio circiter octingentorum militum, lectiſſimorum hominum muniverant, eò quòd ipſorum finibus adjaceret: Ex Italia magni veniebant ad ipſum comitatus, atque etiàm à Sabaudia. Poterat è ſuis ditionibus maximam optimorum militum manum colligere; ſed præferebat eis exteros. Nam Conneſtablii cædes, ac aliæ quædam ſuſpiciones erant in cauſa, quamobrem ſuis non confideret. Tormentorum autem vim habebat ingentem: & quo majorem ad Legatos Italorum & Germanorum haberet authoritatem, magnificè inſtructus erat rebus omnibus, & quicquid omnino precioſum erat atque eximium in ipſius bonis, hoc eò ſecum advexerat. Per Inſubriam putabat habere ſe multos amicos, & de Mediolanenſi Ducatu varia ſecum in animo verſabat. Granſonio per dies aliquot circiter oppugnato tormentis, qui intus erant, illius poteſtati ſeſe permittunt. Eos omnes deinde jubet interfici. Convenerant tum Helvetii, non ita magno numero, ut ex ipſis audivi. Nam opinione pauciores copiæ intra fines ipſorum coguntur, & tunc aliquanto minores quàm hodie. Nam ab eo tempore, agriculturam & alias operas quotidianas belli ſtudiis commutare cœperunt. E ſociis autem vix pauci tum aderant. In celeritate enim totum erat poſitum, & tempore excluſi, non expectatis ſociorum auxiliis, cogebantur progredi, ut obſeſſis opem ferrent. In itinere, de deditione & indigna ſuorum nece cognoſcunt: Carolus, contra plurimorum ſententiam, conſtituit ad fauces montium, ubi tum illi conſiſtebant adhuc, obviam eis properare, minùs prudenti ſanè conſilio. Nam erat in loco æquiſſimo & percommodo, circumvallatus & tormentis, & parte aliqua lacus, ita quidem, ut ab illis nihil ipſi magnopere metuendum eſſet. Præmiſerat autem ad centum Sagittarios, qui ex adverſo ejus montis, aditum & anguſtias viæ ſervarent. Ipſe cum reliquis copiis ſequebatur. Primum agmen, & maxima

 ferè

ferè pars exercitus, quum adhuc eſſent in planicie, obvium habuerunt hoſtem: ac dum primi ordines ſtudent retrocedere, vulgus militum qui ſequebantur, quòd fugæ ſimilis ea videretur profectio, quum propius ventum fuit, fugæ ſe mandabant omnes: quo factum eſt, ut Helvetii impedimentis omnibus & tormentis & totius exercitus tabernaculis, & iis, quæ Carolus chariſſima habebat, potirentur. Deſiderati ſunt à Carolo ſeptem modò cataphracti: reliqui omnes, & in his ipſe, fuga ſalutem ſibi petebant. Iohannes Galliarum Rex, quo tempore prælio victus fuit ab Anglis, & captus apud Pictones, ferebatur amiſiſſe laudem omnem & gloriam rei militaris. Hoc ipſum multò rectiùs in Carolum aliquis dicat. Nam ille dum ſtrenuè præliatur, & fortiter ſeſe defendit, captus fuit. Ante id tempus ita ſe geſſit Carolus, ut e ſuis conſiliis laudem & emolumentum ferret. Prima autem hæc eſt calamitas, in quam ſua quadam obſtinatione incidit. Dici enim non poteſt, quantum hac una re vulnus acceperit. Nam ex amicis, quatuor Principes, qui rebus ſecundis ad ejus amicitiam acceſſerant: ad motum fortunæ ſe quoque moverunt. Comes Romantius, mercatori cuidam Helvetio, quum per ipſius ditionem iter faceret, ademerat currum onuſtum pellibus ovium. Ea fuit belli cauſa. Quòd niſi Carolum Deus planè deſtituiſſet, non eſt credibile, illum pro re tam exigua bellum ſuſcepturum fuiſſe: præſertim, cùm & Helvetii amplas proponerent conditiones, & propter ipſorum agri tenuitatem, nulla vel utilitas magna, vel gloria poſſet ex eo bello ſperari. Nec n. tam celebre tum erat ipſorum nomen, nec illæ facultates, quæ hodierno die. Qui primò fuerunt ad eum de pace miſſi legati & deprecatores, inter alia demonſtrabant, tantam eſſe ipſorum inopiam, ut calcaria & equorum frena per ipſius exercitum, pluris deberent æſtimari, quàm omnis ea pecunia, quæ ex ipſorum agris cogi poſſet. Hoc mihi recitavit, qui Princeps fuerat ejus legationis. Rex, qui multos habebat exploratores, à me ferè magna ex parte dimiſſos, certior factus de adverſo prælio, magnopere

pere fuit exhilaratus, & hoc unum graviter modò ferebat, quòd non major eſſet edita ſtrages. Morabatur a. Lugduni, ut & in ea propinquitate crebriores acciperet nuncios, & ut Caroli conſiliis occurreret. Magnopere enim metuebat, ne vi & armis ille ſibi Helvetios adjungeret. Sabaudiam enim Carolus habebat ſibi faventem: Mediolani Dux fœdere conjunctus erat, & Renatus Siciliæ Rex, cogitabat eum inſtituere hæredem. Itaque ſi fortuna comprobaſſet ejus conſilia, quicquid interjacet agri, inde ab Oceano Germanico uſque ad mare mediterraneum, id omne tenuiſſet: & occupata Sabaudia cum Lotharingia & Maſſilienſi provincia, noſtri bellum ei facere, niſi maritimum non potuiſſent. Verùm ubi infeliciter dimicavit, ad regem undique veniunt legati à ſorore etiam ipſius, Sabaudiæ domina, & avunculo Siciliæ Rege. Sed vix ægrè illos audiebat, & ad Carolum ire juſſit. Ipſe interea Germanos diligenter ſollicitabat, & obſeſſis undique viis, utebatur mendicis, & id genus hominibus internunciis. Germani ferociter reſpondebant, niſi Carolo bellum inferat, ſe pacem cum eo facere, ac ipſum decreviſſe oppugnare. Quocirca valdè ſollicitus erat, ne tandem cogeretur hoſtem ſe profiteri, multò magis etiam, ne quos amiſerat exploratores, interciperentur. Nunc videamus, quæ fuerit prælium illud ſecuta rerum converſio, & quemadmodum prudenter omnia ſua Rex inſtituerit. Hæc enim aliis conferent, qui per ætatem temerè multa ſæpe faciunt, & rerum exitus non prævident: in eo ſanè multùm vituperandi, quòd illos, quorum conſilia ſequi debent, aſpernantur. Statim, accepto detrimento, Carolus Contæum mittit ad Regem. Cum mandatis admodum demiſſis, omnino præter morem ſuum & naturam. Orat, ut ſervet inducias. Quòd ad collocutionem, ut conſtitutum erat, non venerit, excuſat: & brevi, quemcunque locum Rex ad eam rem delegerit, ſe venturum eſſe pollicetur. Rex humaniſſimè excepto illo, facilè patitur hoc abs ſe impetrari. Judicabat enim nondum veniſſe tempus, ut ſecus faceret: neque neſciebat,

 quan-

quantum eſſet populi ſtudium & voluntas erga Carolum, quò faciliùs putabat, eum ex aliqua tempeſtate poſſe emergere & eluctari. Conſtituit ergò ejus eventum belli expectare, neque partibus ullam præbere cauſam inter ſe paciſcendi. Habebatur quidem à Rege Contæus amicè, ſed vitare tamen non potuit, quin carmina quædam audiret decantari paſſim, ad Helvetiorum laudem, & infamiam Caroli compoſita. Galeacius autem Mediolani Dux, quanquam fœdere junctus erat Carolo, valde tamen fuit ejus calamitate recreatus. Cùm enim animadverteret, eſſe multos per Italiam, qui rebus Caroli faverent, metu adductus, amicitiam illius & fœdus ambiverat. Accepto autem nuncio de clade illius, confeſtim legatum ad Regem mittit, civem Mediolanenſem, hominem obſcurum. Is per alium quendam me adit, & literas ſui Principis reddit. Vt de poſtulatis illius cognoſcerem, Rex jubet. Nam iratus erat illi, quòd ſe relicto, transiſſet ad Carolum, præſertimqu um eſſent affinitate conjuncti. Legatus ad hunc modum locutus eſt: Ad Galeacium eſſe delatum, Regem in collocutionem venturum eſſe cum Carolo. Id multis de cauſis (in quibus tamen nihil erat ferè ſolidi) graviter eum ferre. Quòd ſi Rex jurejurando confirmet, non ſe pacificaturum eſſe, centum aureorum millia pollicetur. Rex ubi cognovit à me quid vellet: accerſito illo, & præter me nemine præſente: quæ tui ſit adventus, inquit, cauſa Cominæus expoſuit. Ad Galeacium autem hæc velim referas, facilè me carere poſſe ipſius muneribus, & triplo majorem pecuniæ ſummam me colligere quotannis, quàm ipſe faciat: de pace vel induciis facturum me eſſe pro judicio meo & arbitratu: Veruntamen, ſi meæ ſocietatis repudiatæ, & initi fœderis cum Carolo ipſum pœniteat, non repugnare me, quominùs ad priſtinum ſtatum revertamur. Ille, gratiis actis, magnopere petit, ut fœdus ad eum modum, ſicut antea pactum fuerat, pronuncietur: habere ſe plenam ejus rei procurandæ poteſtatem. Rex aſſentitur, & à prandio publicè recitantur induciæ. Cúmque legatus in Inſubriam hoc
ſtatim

ſtatim ſignificâſſet, Mediolani etiam fuerunt divulgatæ. Primus hic eſt ſcopulus, in quem Carolus impegit, accepta clade, nempe jactura potentiſſimi amici, qui nuper ante tres hebdomadas, ſplendida miſſa legatione, fœdus cum ipſo pactus fuerat. Renatus Siciliæ Rex cogitabat eum inſtituere hæredem, ut ſuprà diximus: eóque nomine Caſtelgionium miſerat Carolus, ut provinciæ Maſſilienſis poſſeſſionem occuparet, & ad devinciendum ejus regionis Proceres, dederat ei viginti aureorum millia. Verùm, ubi de pugna rumor increbuit, ægrè cum ſuis comitibus ille evaſit, & adempta fuit ei pecunia. Sabaudiæ Domina, quæ rebus Caroli ſummè favebat, quum de clade audiſſet, Renatum hortabatur ad conſtantiam, & acceptum detrimentum extenuabat. Vtebatur autem Provincialibus quibusdam internunciis, quibus interceptis, quod inter Renatum & Carolum clàm agebatur negotium, planè fuit detectum. Rex igitur confeſtim equitatum mittit ad fines provinciæ, & Renatum amanter ad colloquium evocat: niſi veniat, conſilium ſibi capturum eſſe dicebat. Venit ille tandem Lugdunum, & à Rege fuit exceptus honorificentiſſimè. Aderam, cùm primo congrederentur. Ibi tum quidam ex Renati familiaribus, Ioannes Coſſius Neapolitanus, vir honeſtus, & nobili genere natus, provinciæ præfectus, ad Regem: Mirum, inquit, videri tibi non debet, Renatum avunculum tuum cogitaſſe aliquando, Carolum inſtituere hæredem: nos ipſius neceſſarii, hujus conſilii fuimus authores. Tu enim, qui nepos es è ſorore, minùs amicè & liberaliter cum illo egiſti: Barrenſem arcem & Andegavenſem, quæ ſunt ipſius, occupaſti: nec ullam amoris aut benevolentiæ ſignificationem hactenus dediſti. Suaſimus igitur illi, mentionem aliquam futuræ donationis injiceret, ut ejus rei fama ad te perlata, leniorem te nobis & placatiorem redderet. Hanc Orationem Rex prudenter & benignè excepit. Verùm enim ille dixerat, & totius rei tractatio pendebat ab ipſo. Paucis deinde pòſt diebus, facta fuit compoſitio: & Renatus Carolo deſerto, Regi totum ſe dabat, amplius

ab eo

ab eo munerib. cohoneſtatus, non ipſe modò, ſed ejus familiares. Sed & Sabaudię domina, quę multis annis averſo animo fuerat à Rege fratre, Montagnium mittit, virum nobilem, qui me prius interpellato, quamobrem illa fuiſſet hactenus alienior à Rege, demonſtrat. Exitus orationis eò ſpectabat, ut illa, quanquam non diſcederet apertè ab amicitia Caroli, videretur tamen regis benevolentiam affectare. Legatus ab eo reſponſum tulit ſatis commodum & amicum, me internuncio. Dum hæc geruntur, interea multæ aliæ Germaniæ civitates, converſatione facta, magnis animis bellum adverſus Carolum parant: ita quidem, ut qui plurimùm ei noceret, is maximè crederetur officium feciſſe. Fugiente Carolo, Helvetii ingentem prædam fecerant, ſicut ſuprà diximus: verùm quantas conſecuti eſſent opes, ignorabant. Tabernaculum quoddam illius, longè pulcherrimum & exquiſitiſſimum, partitum fuit ab eis in multa fruſta. Patenas argenteas nonnulli, cùm ſtanneas eſſe putarent, viliſſimo precio vendebant. Adamantem ipſius, toto orbe celeberrimum, cui erant appenſi aliquot uniones, quidam, ubi reperiſſet, in pyxidem repoſuit, mox ſub currum abjecit: paulo pòſt reverſus, ſuſtulit, & ſacrifico cuidam vendidit aureo numo. Is deinde à ſui oppidi Magiſtratu, cui miſerat, accepit aureos duos. Breviter, quicquid eximium ille habuit, in eorum manus totum pervenit, eaque primùm occaſione, quæ ſit vis auri, cœperunt cognoſcere. Nam ad bellum educti, Regis impulſu & opera, magnas deinde conſecuti ſunt divitias. Et qui veniebant ab ipſis ad Regem legati, ſplendidis affecti fuerunt donis. Cauſam illi aliquam offenſionis habebant in Regem, quòd non ſe profiteretur hoſtem Carolo, ſed largitionibus permulſi remittebant iram. Tunc quoque primùm cœpit Rex eis polliceri penſiones annuas, quas deinde perſolvit. Et cùm altero prælio Carolum illi poſteà viciſſent: pactus fuit eis dare quotannis, ad quadraginta aureorum millia. Ejus pecuniæ dimidiam partem pendebat civitatibus: reliquum verò magiſtratibus privatim: ſic ut exiſtimem, eos inde à pri-

mo prælio fuiſſe auctos à rege decies centenis aureorum millibus. Carolus prælio victus, Loſanæ, quod eſt oppidum ad lacum Lemanum, reſtitit ægrotus: nam ex mœrore morbum contraxit, & ab eo tempore videbatur multum priſtini vigoris amiſiſſe. Colligebat tamen undique militem, & paucis in diebus magnas habuit coactas copias. Quicquid autem eſt ejus rei, non vidi quidem ipſe, verùm audivi; quum Tarentinus princeps, frater Neapolitani regis, commemorat omnia Regi. Is ante annum venerat cum inſigni comitatu ad Carolum, ſpe filiam ejus in matrimonium ducendi. Carolus autem ducebat tempus, & ſpe tunc alebat Sabaudiæ Dominam, quaſi ipſius filio daturus eam. Ille verò moram & tergiverſationem hanc graviter ferens, miſſo nuncio, petebat à rege, ut ſibi per Galliam, ſine periculo, ad parentem, à quo revocatus eſſet, tranſire liceat. Rex liberaliter reſpondit, neque dubitabat, quin & ille jam de Carolo minùs præclarè ſentiret. Sed antequam nuncius è Gallia reverteretur: convenerant Germanorum copiæ & auxilia, neque procul à Carolo conſederant. Tarentinus autem, qui ſuperiori prælio interfuerat, ſecutus mandatum parentis, pridie quàm altera pugna committeretur, diſceſſit. Obſidebat tum Carolus Moratum, quod eſt Comitis Romantii oppidum, in Bernatum finibus. Helvetii cum iis ſociis, qui tum aderant, ad triginta circiter millia peditum, & quatuor millia equitum, eò contendunt. Lotharingiæ Duci valde commodè accidit, quod ejus negotia curæ nobis eſſent. Rex enim & pecuniæ nonnihil ſuppeditabat; & magnum equitatum illi attribuit, qui in Germaniam ipſum deducerent. Amiſerat autem & Lotharingiam omnem & Vaudemontenſem ditionem, & magnam partem agri Barrenſis, & quod reliquum erat in eo, Rex occupabat, ſic, ut planè eſſet exutus omni poſſeſſione. Sed & promiſcua multitudo, ipſius imperio ſubjecti, & familiares etiam ejus, ultrò militabant Carolo. Quò minor ſpes erat, ex iſtis aliquando fluctibus & undis eluctandi. Deductus ad hunc modum, ope Regis, pervenit ad Helvetios, pauli-

ſper

ſpe ante prælium, exiguo comitatu. Noſtri enim equites, ubi ad fines eum deduxiſſent, domum redierunt. Ea profectio multùm ei profuit. Nam ſi aliam fuiſſet ingreſſus rationem, paucos erat habiturus amicos. Quo tempore in Helvetiorum caſtra venit, jam erant expeditæ utrinque acies. Totum enim triduum illi conſederant prope Caroli caſtra, loco munito: & commiſſo prælio, ſtatim primo concurſu, hoſtem in fugam conjecerunt, ſic ut nemo defendendi cauſa reſiſteret. E ſuperiori pugna ſeptem cataphractos tantùm deſiderabat Carolus, eò quòd Helvetii nullum haberent equitatum. Nunc verò longè ſecus accidit. Nam ipſorum equites fugientem hoſtem acerrimè perſequebantur. Tarentinus confirmabat Regi, Carolum habuiſſe ad viginti tria millia lectiſſimorum militum, præter calones, & eos qui aliis operibus erant deſtinati. Numeraverat autem ille omnem exercitum, quando pontem tranſiit, & inſtructiſſimum eſſe prædicabat. A prælio venit ad Regem Contæus, neque diſſimulabat, Carolum ex eo conflictu deſiderare ad octo millia, præter vulgus hominum. Quod reliquum erat temporis, conſumptum fuit perſequendo hoſte. Noctis autem interventu redibant omnes in caſtra. Carolus ex fuga in Burgundiam ſe recipit, ut aliis comparatis copiis, bellum renovaret, valdè autem conſternatus fuit ea clade, neque jam dubitabat de immutata voluntate & ſtudio amicorum, præſertim, quòd ſciret, quid jam illi, ſtatim à priori pugna, quæ ante treis hebdomadas commiſſa fuerat, cœpiſſent agere. Sequutus igitur conſilia quorundam, Sabaudiæ dominam, vel invitam jubet in Burgundiam adduci cum altero filio. Nam majorem natu, familiares aliò traduxerant, & ij, quibus hoc ab illo fuit injunctum, metu periculi cogebantur accelerare. Timebat autem, ne ad regem illa tranſiret: Ea cauſa fuit, ut eam accerſeret. Nam quòd Sabaudicam domum propugnaſſet, ideò ſe dicebat in hanc incidiſſe calamitatem. Vbi veniſſet illa: jubet in caſtellum Rovernum deduci, non procul à Divione, quod eſt inferioris Burgundiæ potiſſimum oppidum.

Cuſto-

Cuſtodias quidem illi ponebat: ſed tamen omnibus patebat ad eam aditus, in primis autem Marchio Rethelenſis & Caſtelgionius, quos Carolus cupiebat in matrimonium ducere illius filias, ad ipſam ventitabant. Natu major filius Philibertus, Cambericum, Sabaudiæ primarium oppidum abductus fuit. Quò cùm & Genevenſis Epiſcopus veniſſet, è Sabaudiæ Ducum familia natus, homo planè deditus ocio & voluptatibus: Rex apud eum, & quendam equitem Rhodium, à quo totus ille pendebat, hoc perfecit, ut arcem Cambericenſem, & Mommelianam traderent in poteſtatem Philiberti, ejúsque fratris. Ipſe interea caſtellum quoddam aliud, in quo matris illorum, ſuæ ſororis, erant ornamenta, ſervabat in ipſorum uſus: Illa, cùm & occupari Carolum, novo cogendo exercitu, & imminutam ejus videret apud ſuos authoritatem: cœpit inire conſilia, quemadmodum ope Regis illinc eriperetur. Vetus illi cum Rege & diuturnum interceſſit odium; alioqui niſi ſumma neceſſitate & anguſtiis coacta, non erat ſe in illius poteſtatem datura. Mittit igitur Rivelorum Pedemontaneum, virum nobilem. Hunc ubi quid vellet, ex me cognoviſſet, Rex accerſit, & collocutus, reſpondit: tametſi diſſideant, tamen in eo rerum ſtatu non ſe de futurum ſorori: Quòd ſi illa ſe ipſius fidei permittat: fore, ut eam eripiat, & ad ſe traducat: Eam rem ſe mandaturum eſſe Carolo Amboſio, Campaniæ præfecto, magna virtute viro. Certior facta de voluntate regis, aſſenſit, ſub ea conditione, ut Rex liberos & arces ſibi reſtituat, ac ſine periculo & fraude domum remittat, ſuámque dignitatem tueatur. Id ſi faciat, pollicetur ſe deſertis aliis, pacem cum eo facturam, & fœdus perpetuum. Acceptis conditionibus utrinque, Carolus Amboſius iter ingreſſus, & ſine maleficio profectus, feliciter negotium perfecit, & illam unà cum comitatu omni in proximam Galliæ partem, Regis imperio ſubjectam, adducit. Rex quum per alterum nuncium illi de periculo caveret: Lugduno diſceſſerat, ubi per ſex menſes commoratus fuit, ut Caroli conatus infringeret, ſervatis tamen induciis,

ductus. Nam hoc ipſo, dum ſineret eum progredi, & clàm ſummittebat ad erſarios: magis eum oppugnabat, quàm ſi bellum apertè feciſſet. Alioquin ille, pro ſuo ingenio & natura, poſthabitis rebus omnibus, in Regem iturus erat totis viribus, nec in eas, ut eſt credibile, calamitates incidiſſet. Lugduno Rex digreſſus, ad Ligerim contendit, & ſecundo flumine, ubi primùm navigatur, Turonum proficiſcitur: quo in loco de ſorore accepit, ac lætus eam adduci jubet. Adventanti obviam mittit ex nobilitate quàm plurimos. Ipſe quoque pro foribus & porta Pleſſii caſtelli, complexus illam: Gratiſſimus, inquit, eſt mihi tuus adventus, Burgundiæ domina. Illa, quod ex vultu ſtatim judicabat eum jocosè loqui, & facetè: Sum, inquit, Gallicana, modis omnibus parata gratificari tibi, & morem gerere. Vbi prolixè colloquuti eſſent, Rex mandat ſuis, ut ad ampliſſimam tractationem nihil reliquum facerent. Noverant alter alterius ingenium. Rex cupiebat illam primo quoque tempore domum redire: ſed & ipſa nihil aliud ſpectabat. Mihi fuit igitur injunctum à Rege: primùm, ut pecuniam illi ad neceſſarios ſumptus corrogarem. Deinde, ut fœderis & amicitiæ formulas notarem. Dehortabatur eam Rex ab iis, quorum anteà meminimus, matrimoniis: verùm illa per filias ſe excuſabat, quæ non poſſent à ſententia dimoveri. Octavo pòſt die, ſancito per jusjurandum fœdere, diſcedit, & maximo cum equitatu, quem illi rex attribuit, domum reducitur, omnibus, quæ Rex occupaverat, recuperatis. Carolus, ut ſuprà demonſtravimus, fugiens, in Burgundiam ſe receperat. Ibi per ſex hebdomadas moratus, novum parabat exercitum, ſed lentè tamen & remiſsè. Obſtinatione autem quadam magis, quàm alia quavis de cauſa, erat propemodùm ſolitarius, ut poſtea ſum dicturus. Nam ad Granſonium re infeliciter geſta, contriſtatus, in ægritudinem incidit, quæ tanta fuit, ut aucta bile & calore naturali, cogeretur à vino abſtinere, & uti pharmacis refrigerantibus. Ea verò triſtitia, ſic deinde prorſus immutavit ejus naturam, ut contraria eſſent adhibenda pharmaca, quibus

priſti-

priſtinum calorem recuperaret. Barbam tunc alebat prolixam, ſed conſilio medici detonſa fuit omnis. Et meó quidem judicio, per eum morbum deceſſit ei mentis plurimum & ingenii. Atque ad hunc modum vexantur omnes, qui morbis nullum invenire poſſunt remedium: inprimis autem principes faſtuoſi & ſublimes. Verùm in eo rerum ſtatu, primum eſt, ut ad Deum confugiamus, & peccatis veniam precemur. Alterum eſt, ut ex amicis, cui plurimum tribuimus, nos patefaciamus totos: & animi vulnus, quo affligimur, denudemus. Nam ad reficiendum animi vires, nihil eſt efficacius. Huc etiam ſi labores, & corporis exercitia, & honeſtæ accedant occupationes; magnum ea res momentum adfert. Vt enim aliquo modo affectus illi conſumantur, oportet. Carolus autem longè diverſam rationem ingreſſus, in hac animi perturbatione ſeſe abdebat, nec ullius amici levabatur oratione vel conſilio. Nam quia durus erat, & ſupra modum aſper in ſuos: nemo quiſquam audebat interpellare, & ſinebant eum vivere ſuo more, veriti, ne ſi aliter feciſſent, in malam partem acciperet. Interea, dum in Burgundia commoratur, multi ſimul in eum conſpirant: deſerunt eum amici & ſocii: & apud ſuos, quod rebus adverſis geri ſolet, in contemptum venire cœpit, & per Lotharingiam aliquot jam oppida rurſus amiſit. Quumque de illius adverſitate fama percrebuiſſet: Lotharingiæ Dux, coactis, quas potuit, copiis, quoniam in propinquo pleraque omnia, præter Pontemontium tenebat: venit ante Nancejum, in quo firmum erat præſidium militum, non unius gentis aut linguæ: & in his trecenti Angli, quibus præerat Cohinus, tenui quidem familia, ſed excellenti virtute. Hi, tametſi non oppugnarentur admodùm: impatienter tamen longiorem moram ferebant. Et certè vehementer Carolus errabat, quod opem illis non ferret. Nam ut ea loca tueretur, magis erat ex ipſius uſu, quàm ut Helvetios ulciſceretur, à quibus cladem, ſua quadam pertinacia & temeritate, acceperat. Sed quantumvis diligenter eum ſollicitarent obſeſſi, & auxilium implorarent: ipſe tamen nulla ne-

X ceſſaria

ceſſaria de cauſa diutiùs hæſit in Burgundia. Quòd ſi voluiſſet initio: poterat, ſine contentione, illis ſubvenire, quum nullam adhuc haberet adverſarius coactam manum. Et defenſa Lotharingia, per Lutzemburgum, inde à ſuis longinquioribus provinciis, iter habebat in Burgundiam expeditum. Itaque ſi fuiſſet ea vi mentis, qua ſolebat, aliter ei providendum erat. Intereà dum obſeſſi expectant ſubſidium, Cohinus Anglorum Dux, tormento interficitur, maximo ſanè cum detrimento Caroli. Nam unus aliquando vir magnum adfert ad ſalutem momentum. Neq; verò ſemper ad generis nobilitatem, ſed ad virtutem potiùs & ingenii bonitatem reſpiciendum eſt. Quò magis prædicari debet Ludovicus Rex, qui diligentiſſimè cavebat, ne ſuorum ducum, & excellentium virorum jacturam ullam faceret. Angli amiſſo duce, incipiunt de auxiliis deſperare: verùm non ſatis agnoſcebant, & quàm eſſet exigua Lotharingi potentia, & quàm magnas facultates haberet Carolus instaurandi exercitus. Longo jam tempore nulla geſſerant externa bella, quæ cauſa fuit, ut obſidionum non intelligerent rationem. Tandem in collocutionem veniunt cum oppidi præfecto, quem Carolus conſtituerat, minantur, niſi cum hoſte componat, ſe pacturos eſſe. Ille tametſi egregius alioqui vir, parùm erat animoſus, & ad preces converſus, multa quæ ad ſuam ſententiam facerent, demonſtrabat. Quòd ſi maſculè fuiſſet loquutus, & audacter, utiliùs, ut opinor, rem geſſiſſet. Verùm credibile eſt, aliud fuiſſe Dei conſilium. Impulſus igitur ab illis, deditionem facit, & biduo pòſt Carolus cum mediocri exercitu eò venit, & oppidum obſidione denuò cingit. Quòd ſi quorundam ſecutus conſilia, præſidiis vicina loca muniiſſet, brevi tempore Nanceium recuperâſſet, in quo parum erat annonæ, & facilè, ne qua importaretur, prohibuiſſet, & interea ſuas copias recreaſſet. Verùm longè diverſam rationem ſuſcepit. Dum ſea durat obſidio, ex domeſticis & familiaribus multi in ejus perniciem moliebantur, & jam undique fiebant in eum graves conſpirationes. Campobachius autem inprimis vitam illius petebat. Hunc ipſe
poſt

poſt mortem Nicolai Calabriæ Ducis, acceperat egenum & exulem, & ſtatim initio dabat ei quadraginta aureorum millia, quò per Italiam colligeret equitatum, ut ſuprà docuimus, & tunc quidem primùm in itinere, convertit ſe ad clandeſtina conſilia, nec unquam ab eo conatu deſtitit. Et hoc ipſo tempore, quum videret impeditiſſimas eſſe rationes illius, cum Lotharingo, & cum nonnullis ducibus, quos in Campania Rex habebat, conſilia communicabat, iisque promittebat ſe curaturum, ut ea, quæ ſint ad oppugnationem neceſſaria, deeſſent. Noſtris etiam hominibus pollicebatur, ſe vel interfecturum eſſe illum, vel capturum, eoque nomine petebat viginti aureorum millia, & ditionem aliquam in Galliis idoneam. Dum hæc geruntur, nobiles aliquot Lotharingi conabantur in oppidum ingredi, feliciter quidem alii: ſed ex iis capti fuerunt nonnulli, è quorum numero fuit Provincialis quidam Ciſronius, quo tanquam internuncio & interprete utebatur Campobachius ad Lotharingum, in iis quæ cum ipſo communicaret. Eum ilico ſuſpendi jubet Carolus, affirmans, quòd ſimul atque circumſeſſum eſt à Principe oppidum aliquod, & tormentis oppugnatum: ſi quis tum in illud ingredi, & obſeſſis opem ferre ſtudeat, hoc ei capitale. Hanc dicebat eſſe militiæ legem. Verùm ea non eſt apud nos uſitata, quanquam alioqui noſtra bella ſunt graviora Italicis & Hiſpanicis, quibus in regionibus ea lex locum habet. Ille, cùm ſe deploratum eſſe videt: nunciat Carolo, ſe quædam ei dicturum eſſe, quæ ad ipſius pertineant ſalutem. Eum ſermonem nobiles aliquot deferunt: & tùm fortè aderat Campobachius, qui de Ciſronii periculo certior factus, diligenter obſervabat omnia, metuens ne proderetur. Carolus reſpondit, eum ſervandi ſui cauſa colloquium obducere, ſimul quid vellet, jubet ſibi per alios nunciari. Hunc ſermonem excipit Campobachius, & collaudat: ſolus enim cum ſcriba quodam aderat. Ciſronius ait, ſe nemini, præterquàm ei ſoli dicturum eſſe. Carolus in ſententia perſiſtit. Inter eundem multos ille obteſtatur, ut Prin-

 cipem

cipem permoveant: habere ſe quod ei dicat, grave quiddam,& tanti momenti, ut nihil ſuprà. Ex iis, qui noverant, multos ad miſericordiam flexit, & hi denuo interpellaturi Carolum, excludebantur à Campobachio, qui pro foribus cubiculi verſabatur, & aditu prohibebat omneis, affirmans mandatum eſſe principis, ut è medio tolleretur: ſimul tribunum militum urgebat, ut acceleraret ſupplicium. Itaque ſuſpenſus ille fuit, ſummo cum detrimento Caroli, qui ſi humanior fuiſſet, & dicentem placidè audiiſſet: haud dubiè ſe ſuáſque provincias omnes ſervaſſet, præſertim, quum per Galliam multæ poſteà difficultates & incommoda ſint exorta. Sed eſt credibile, Deo longè aliter viſum fuiſſe, poſteaquam ille contra fidei & jurisjurandi religionem, Conneſtablium in poteſtatem Regis tradidit,& literis judicium inſtruxit in illius caput atque fortunas omnes. Nam etſi juſtiſſimam habebat odii cauſam in illum: tamen, quòd data fide cepit, ac deinde vendidit, nullà prorſus ratione poteſt excuſari. Vendidit enim non tam ut Sanctoquintinum recuperaret, & illius facultates acquireret, quàm, ut ne quod impedimentum à Rege ſibi inferretur, quominùs Nanceium occuparet. Niſi enim pactioni ſtaret, minabatur ei Rex per Legatos. Et ſicut apud Nanceium iniquè juſſit necari Cifronium, repudiato colloquio: ſic etiam eodem ferè loco circumventus fuit. Hæc autem omnia ſcribo, non quòd judicium ullum mihi ſumam, (hoc enim ſoli Deo convenit) verùm ut demonſtrem, quantoperè principes oporteat eſſe alienos ab ejusmodi facinoribus, quale videmus à Carolo fuiſſe commiſſum, & ut ne pravis conſiliis obtemperent. Nec enim raro fit, ut ipſorum familiares ad hujusmodi res eos impellant, partim adulatione, partim metu ne offendant: ſed ejusmodi conſiliariis nullum eſt genus hominum pernicioſius. Diximus, quemadmodum Deus conſtituit Campobachium, ut ulciſceretur Conneſtablii necem, eo ipſo loco, & eadem planè ratione, qua Carolus fuerat uſus, imò crudeliùs etiam. Nam cum ille, à quo benigniſſimè fuerat

ex-

exceptus, & ſenex & omnium rerum egenus, & exul, & à quo innumeris erat affectus beneficiis, prodidit. Et principiò, quum ad eam rem animum adjecit, aperuit ſe Simoni Papienſi, medico: & reverſus ex Italia cum equitatu, conſtans in ſuſcepta deliberatione, pollicebatur ſe traditurum eſſe Regi omnia, quæ Carolus per Lotharingiam cepiſſet: aut ſi Rex cum exercitu in illum iret, certo ſigno dato, cum ſuis copiis ad ipſum eſſe tranſiturum. Deinde, ſe vel capturum eſſe illum, vel interfecturum primo quoque tempore, cùm eſſet luſtraturus exercitum, qua quidem in re non facilè potuiſſet aberrare. Habebat enim hunc morem Carolus, ut ſimulatque deſcendiſſet ex equo, commoraturus alicubi in caſtris, ademptis gravioribus armis, & leviori equo vectus, cum parvo comitatu circumiret omnes copias, & rebus neceſſariis provideret. Eam nactus occaſionem, facilè poterat ille quod volebat perficere. Rex autem perfidiam hominis deteſtatus, & quòd induciæ erant, & quòd ignorabat, quamobrem ille ſuam operam, in re tam impia deferret, voluit omnino liberaliter agere, & per Contæum prolixè omnia Carolo ſignificabat, neque dubito, quin ille diligenter & ex fide recitarit. Carolus autem aliorſum accipiens, dicebat, quòd ſi reverà iſtud ageretur, Regem non ſibi fuiſſe denunciaturum. Et iſtud quidem multò antè, quàm Nancejum ille veniret, accidit, tantáque fuit ipſius obſtinatio, ut, arbitrer, eum nihil unquam ejus rei dixiſſe Campobachio. Nam ab eo tempore plus ei, quàm unquam aliàs, tribuebat. Obſidebatur Nancejum, tempore hyberno, cum paucis copiis & malè inſtructis, & pleriſque ægrotis. Ex primis ordinibus nonnulli conſpiraverunt in eum, ut diximus: multi etiam indignabantur (quod rebus adverſis evenire ſolet) & reprehendebant ejus omnia conſilia: ſed in ejus caput & vitam, nemo præter Campobachium, moliebatur. Lotharingus intereà ſollicitabat Helvetios pro auxiliis, ut prælio dimicaret. Ad eam rem prompta quidem erat illorum voluntas: & ſolùm reſtabat, ut pecunia conficeretur. Rex cauſam ejus

apud Helvetios magnoperè per legatos commendabat, & ſimul quadraginta francorum millia ſuppeditabat. Campaniæ quoque præfectus, habebat per ditionem Barrenſem circiter octingentos cataphractos, & magnam manum ſagittariorum. Itaque Lotharingus ad cùm modum adjutus à Rege, magnas conduxit Germanorum copias, tam equitum quam peditum, adjunxit etiam ſe illi magna Gallorum nobilium manus. Qui per Campaniam erat regis exercitus, non ſe quidem commovebat: ſed eventum belli expectabat. Tandem Lotharingus cum inſigni Germanorum comitatu, venit Sanctonicolaum, qui vicus à Nancejo duobus milliaribus abeſt. Erat id temporis in Gallia Luſitaniæ Rex, in nonum menſem. Cum eo Ludovicus Rex fœdus inierat adverſus Hiſpaniarum Regem eum, qui hodie rerum potitur. Et Luſitanus quidem, ſpe conſequendi auxilia venerat, quo bellum ex Cantabria vel Navarra in Caſtiliam moveret. Tenebat enim loca quædam & arces in finibus: & arbitror feliciter eum fuiſſe belligeraturum, ſi Rex ita, ut aliquoties conſtituerat eum adjuviſſet. Cùm verò mutata Regis voluntate, per annum aut eo ampliùs fruſtrà ſperaſſet: domi quoque rès ipſius magnum accipiebant detrimentum. Nam quo tempore in Galliam diſceſſit: pleiique omnes Luſitaniæ Proceres rebus ipſius favebant. Verùm ubi diutiùs abeſſet: languidiores facti, cùm Alphonſo & Iſabella, qui nunc Hiſpanias obtinent, paciſcebantur. Rex autem, quò minùs opem ei ferret, in excuſationem adduxit bellum Lotharingicum, ſeque vereri dicebat, ne ſi Carolus hoſtem feliciter oppugnaret: tota belli moles in Galliam transferretur. Luſitanus igitur, vir bonus, quò faciliùs quod petebat conſequeretur, Legationem ſibi ad Carolum conſobrinum ſuſcepit, compoſitionis tentandæ cauſa. Nam contra plurimorum ſententiam, in Gallias abiverat, ideóq; pudebat eum redire domum, nulla re perfecta. Ingreſſus iter graviſſima hyeme, venit ad Carolum ante Nancejum, & expoſitis, quæ acceperat à Rege mandatis, offendit in eo ſummam difficultatem.

tem. Commoratus ibi per biduum, parat abitionem. Carolus inſtabat,ut aliquandiu differret, & Pontemontii (quod à Nancejo quatuor milliaribus abeſt) ſubſiſteret, eúmque aditum ſervaret. De Germanis enim, qui erant Sanctonicolai,jam intellexerat. Ille excuſans,dicebat,nec armis ad eam rem,nec copiis,nec ulla re neceſſaria ſe inſtructum eſſe. Reverſus igitur Lutetiam, quum diu reſtitiſſet ibi, cœpit malè ſuſpicari de Rege, quaſi inſidiosè ageret, & adverſario ſuo Caſtiliæ Regi ſe cogitaret prodere. Mutatis ergò veſtibus, ne agnoſceretur, tribus tantùm comitatus, conſtituit proficiſci Romam,& ibi monaſticum vitæ genus amplecti. In itinere comprehenſus fuit à Robineto Normanno. Rex eo nuncio valdè fuit offenſus, & nonnihil eum puduit. Iubet igitur naves aliquot armari in Normannia,quæ domum ipſum reducerent. Cauſa belli quod gerebat cum Hiſpano,hæc erat. Habebat è ſorore Heinrici Caſtiliæ Regis,uxore,nepotem. Eam Iſabela ſoror Heinrici excludebat à ſucceſſione & principatu Caſtiliæ,& ex adulterio natam eſſe dicebat. Percrebuit enim fama, Henricum fuiſſe corpore malè affecto,ſic ut liberos procreare non poſſet. Et quanquam ſub ſpecie matrimonii nata erat ei filia: Caſtiliam tamen obtinuit Iſabela cum marito,Arragoniæ & Siciliæ Rege. Hanc puellam neptem ſuam, Luſitanus cupiebat in matrimonium dari filio Ludovici Regis Carolo,qui nunc rerum potitur, eáque da cauſa venit ad Regem, & quum infecta re diſcederet, valde indoluit,nec multò pòſt,quàm domum redierat,è vita diſceſſit. Diligenter itaque providere debent Principes,quos mittant legatos. Nam ſi illi, quos in Galliam priùs miſerat,fœderis ineundi cauſa,fuiſſent homines prudentes ac circumſpecti, diligentiùs explorâſſent de rebus noſtris omnibus,antequam principem ipſum, ut eam profectionem ſuſciperet, hortarentur. Cùm illud inter Regem & ipſos iniretur fœdus,aderam ipſe mandato Regis,cum aliis nonnullis. Hanc narrationem licebat præterire,ſed volui demonſtrare, quod antea non ſemel dixi: non debere Principes ipſos ejuſ-

modi profectiones obire, neque ſe alterius poteſtati ſubjicere. Vix iter diei proceſſerat Luſitanus, quum Lotharingus & Germanorum exercitus diſcederent Sanctonicolao, ut manus cum Carolo conſererent. Eo autem ipſo die venit eis obviam Campobachius, ut inſtitutum perficeret, & cum octingentis cataphractis tranſiit ad eos, indignè ferens, quòd nihil atrociùs in Carolum deſignaſſet. Qui Nanceii obſidebantur, ad deditionem ſpectabant: ſed certiores facti de Campobachii defectione, cœperunt ſperare meliùs. Nam in foſſam oppidi quidam ſe conjecit, ad eósque penetravit, & de Campobachio ac Germanorum auxiliis nunciabat. Adventante hoſte, Carolus, præter morem ferè conſilium indicit. Plurimorum hæc erat ſententia, ut Pontemontium ſe reciperet cum exercitu, & quę paſſim circa Nancejum tenebat oppida, præſidiis muniret: Germanos, importatis in oppidum cibariis, domum eſſe redituros: fore, uti Lotharingus pecunia deſtitutus, longo tempore non poſſit tantas denuo copias colligere: alimoniam autem omnem intra paucos menſes conſumptum iri: & oppidanos in majori tum difficultate, & anguſtiis rerum omnium eſſe futuros, quàm prius. Interea tempus & ocium ei ſupereſſe augendi exercitus. Vix enim quatuor habebat hominum millia in univerſum, ex iisque mille tantùm & ducenti erant ad prælium inſtructi & idonei, ut ex fide dignis accepi. Non deerat ei pecunia: Nam in arce Lutzemburgi habebat ad quadringenta & quinquaginta aureorum millia, quò faciliùs potuiſſet copias conducere. Sed perturbavit ejus mentem Deus, ac veluti tenebris circumfudit. Nam incitatus à nonnullis penè furioſis, & omnium deterrimum ſecutus conſilium, decrevit periclitari fortunam, & dimicare cum exiguis, quas habebat, & malè inſtructis copiis: tametſi de viribus ac numero hoſtium, & de Regis exercitu, qui non procul aberat, diligenter eſſet præmonitus. Vbi Campobachius ad Lotharingum tranſiiſſet cum ſuis cohortibus: Germani denunciant ei, ut è caſtris excederet, propterea, quòd proditorum nullum vellent apud

ſe

ſe ferre. Coactus igitur, recepit ſe Condium, quod eſt Caſtellum in propinquo, ſperans fore, ut Carolus profligatus & fugiens, in ſuas manus incideret. Decreverat autem vel interficere illum, vel capere: poſtquam id difficiliùs viſum eſt, neque facultas perficiendi dabatur: conſtituit, commiſſo prælio, tranſire ſtatim ab eo ad hoſtem, ut ſubita illa & inexpectata defectione, totum exercitum vehementiùs perterrefaceret. Hoc etiam pollicitus erat, ſi profugeret ille, non eſſe incolumem evaſurum, eò quòd è ſuis familiaribus eſſet diſpoſiturus ad quatuordecim equites, homines maximè fidos, quorum alii, progredientibus ad pugnam Germanis, fugæ facerent initium: alii verò diligenter & intentè illum obſervarent, ac fugientem interficerent. Ex iis, quibus hoc erat mandatum officii, treis equidem novi. His rebus procuratis, redit ad exercitum Caroli, quem deinde venientibus Germanis deſeruit. Atque hic videre licet, in quantas anguſtias & periculum ſe conjecerit Carolus, dum rectè conſulentibus non obtemperat. Poſteaquam propè & in conſpectu conſtitiſſent ambo exercitus: Burgundiones, qui duobus antè præliis victi, & pauci admodum erant, & malè inſtructi, primo ſtatim concurſu fuerunt profligati. Quos fuga periculo non eripuit, ii vel capti fuerunt omnes, vel interempti. In his fuit etiam Carolus. Et quoniam ei prælio non interfui, quemadmodum ſit interfectus, non facilè dixerim: ſed ab iis tamen audivi, qui viderunt eum ex equo dejici, & quòd capti eſſent, non poterant opem ferre. His quidem præſentibus, non fuit occiſus: verùm ſuperveniente poſtea nova cohorte interemptus, & in magno cadaverum numero, cùm non agnoſceretur, denudatus eſt. Torquem illius quendam, valdè precioſum, & eleganter fabrefactum, quem collo geſtare ſolebat, & honorificè circumferre, vidi poſtea Mediolani, quo in loco duobus aureis venditus fuit. Et hic quidem eſt exitus potentiſſimi Principis, quo majorem ad vicinos Reges atque populos authoritatem nemo habuit. Qua potiſſimùm re Deum in ſe vehementiùs concitarit: non facilè

dixerim,niſi quòd omnem,qua fruebatur,felicitatem,à ſuo pendere putabat ingenio & virtute. Præditus erat ſanè multis eximiis dotibus: operam dabat,ut homines excellenti virtute familiares haberet; multis cupiebat benefacere: ſuorum negotia & controverſias cognoſcebat ipſe, & liberaliter eos audiebat. Quamdiu cum eo vixi,ingenio erat ſatis placido: poſtea verò crudelior evaſit,quæ quidem res indubitatum erat ſignum futuri occaſus. In cultu corporis & veſtium luxu,aliisq; rebus omnibus propè nimius erat: legatis & externis hominibus magnum deferebat honorem: cupidiſſimus erat gloriæ, eáque fuit præcipua cauſa,cur bella ſuſciperet. Hoc enim ſpectabat in primis,ut ſicut priſci quidam heroes, celebraretur. Animi magnitudine & robore, & audacia nulli cedebat. Non facilè dixerim illine Deus, an ipſius populo magis fuerit iratus. Interfectus enim ipſe fuit, ut diximus, temporis ferè puncto, ſine ullo majore cruciatu: ſed ejus provinciæ ab eo tempore,perpetuis bellis divexantur, à quibus ob civiles inter ipſos factiones,non poſſunt expediri. Deinde,qui nunc eos propugnant ac tuentur, ſunt homines externi, nempe Germani, qui paulò antè fuerant hoſtes. Breviter, à morte Caroli nullam experti ſunt firmam amicitiam: & ſi quis eorum intueatur actiones, videntur non minùs perturbata eſſe mente, quàm ipſe Carolus. Repudiatis enim optimis quibúsque conſiliis, in ſuam ipſi perniciem moliuntur: & qui nunc etiam rerum ſtatus, videntur vix ægrè plagam hanc eſſe curaturi. Sic igitur ſentio,Deum prout vult, affligere aliquam gentem; tribuere illis Principem,& accommodare. Burgundicus populus longè florentiſſimus fuit ſub tribus ordine Principibus optimis & prudentiſſimis viris,ſupra centum & viginti annos. Tandem verò Deus excitavit eis Carolum, qui continuis bellis,laboribus atque ſumptibus eos exercuit, defatigavit & exhauſit, hyeme præſertim. Ante Neveſium autem factum fuit initium calamitatum,quæ deinde tribus aut quatuor adverſis prœliis durarunt, donec interficeretur. Quo quidem tempore

pore ſic erat debilitatum ipſius omne robur atque potentia, ut omnes, in quibus aut aliqua facultas erat, aut voluntas præclara: vel mortui eſſent, vel capti, vel graviter afflicti. Vidi equidem, & cognitam habeo potiſſimam Europæ partem: ſed florentiorem nullam novi provinciam, quàm erant hæ Caroli ditiones, quo tempore in iis vixi. Et nunc ecce Deus tam inſignem & potentem familiam, ac clariſſimorum virorum domicilium, noſtro orbe celeberrimum & honoratiſſimum, per centum, & eo plures annos, brevi temporis puncto, planè ſubvertit. Quum reliqui omnes circum populi divexarentur bellis, aliisque incommodis: hæc ſola domus feliciſſima ſemper fuit, ita quidem, ut externi multi Principes, ad eam, velut in opportuniſſimum portum, è fluctibus & tempeſtate ſeſe reciperent. Ludovicus Rex adoleſcens, cùm à parente ſuo diſſideret: ad Philippum Caroli patrem ſeſe contulit, honorificè admodùm & amanter ab eo, per ſex annos habitus. Eduardi Angliæ regis ambo fratres, Clarentius & Clocestrius, & è Lencaſtriis multi, rebus adverſis, opem & patrocinium ab hac domo petierunt. Breviter, ingens fuit ejus familiæ ſplendor & gloria, & nunc ecce miſerabiliter eſt afflicta, ſic, ut vicinis omnibus exemplo eſſe poſſit. Eſt nimirum Deus, à quo ſalus regnorum omnium, & incrementum, & occaſus, & initia dependent.

II. Sequitur F. *Abrahamus Bzovius*, Polonus, Dominicanus, qui an. Ch. 1476. ſ. 3. ex variis ſcriptoribus ita nobis Tragœdiam Burgundicam depingit: Eas vires, ut Sixtus conjungeret, Alexandrum Forlivienſem Epiſcopum, ſedis Apoſtolicæ Nuncium, apud Fridericum Imperatorem, & Principes Imperii hactenus retinuit; Iulianum verò nepotem Card. Legatum, ad Regem Galliarum, ac præterea Epiſcopum Sibenicenſem, ad Carolum Burgundiæ Ducem, & fœderatos illi ſocios deſtinavit, qui pacem inter diſſidentes conciliarent, & conciliatos contra Turcas moverent. Enimverò in hunc annum, operante Ludovico Rege, in Carolum Ducem ingens exarſit bellum, ſuam ſimultatem

palàm

palàm aperire Ludovicus, & jungendorum, & disjungendorum animorum efficaciſſimus artifex: cordi non habuit, quòd induciæ inter ſe ac Carolum eſſent renovatæ, ſuſcipiendique belli nova conditione, res Francica periclitaretur. Ergo miſſis primùm ad Sigiſmundum Auſtriæ ducem Oratoribus, pervicerat, ut cum Helvetiis, ſopitis veteribus inimicitiis, pacis iceret fœdera, eoque modo Feretenſem Ducatum à Burgundionis poteſtate (quem ob acceptos ingentes numos illi oppignerarat) vi, violentiáque liberaret. Quod & ſtatim effectum eſt. Neque id ſatis eſſe ducens, aliâ indignitate Carolo officere perquiſivit. Renatum Lotharingum, Renati Andegavenſis ex Yolenda filia, Friderico Vadani montis Comiti nupta, nepotem, contra illum ſubagitaverat, ut in Lucelburgenſem Caroli Ducatum, excurſionem faceret. Carolus heroici, & excelſi vir animi injuriam non ſibi tolerendam exiſtimabat. Contrà Renatus jure ſe hoſtem illum habere, prædicabat; quòd res Neapolitanas ſibi jam animo Carolus deſtinaret. Fridericus enim Princeps Tarentinus, Ferdinandi Neapolitani Regis filius, ad eum venerat, ſpe filiæ illius ſibi deſpondendæ. Prætereà Renatus ſenior, quòd filium Iohannem, ac ex eo nepotem Nicolaum amiſiſſet, neque ullam maſculam prolem haberet, non hunc Renatum Lotharingum, ex ſorore natum, ſed Carolum hæredem ſuum nuncupaturum, ac imprimis brevi provincia illi ceſſurum; &, quod non poſtremum fuerat, in Regnum Neapolitanum jus dono daturum pollicebatur. Quæ omnia, cùm non ipſi modo Renato Lotharingo, verùm etiam Ludovico Regi graviſſima, & intolerabilia viderentur; & verò Sixti Pontificis, qui rebus Regis Ferdinandi affinis, & Caroli amici impensê favebat, arbitrio geri crederentur; Ludovicus ante omnia in Sixtum aliquid molitus, de univerſali Eccleſiæ Concilio agendo, ſuos Oratores ad diverſos Principes miſit. Cúmque id non ſuccederet; de ſuo Regno habendum Lugduni Concilium præceptum vulgavit, & omnes Pontifices, ac majorum Eccleſiarum Rectores ad ſuas ædes

intra

intra à ſe conſtitutum diem adeſſe imperavit: mox Renatum juniorem, in Carolum Burgundionem concitavit. Carolus, promotis caſtris, Lotharingum adortus, magna ditionis parte eum pepulit, dehinc rerum felici ſucceſſu elatus; in Helvetios Lotharingi ſocios progreſſus, primò caſtris ad Granſonem poſitis, arceque expugnata: deinde Fortuna ſeſe vertente, ab Helvetiis feſtinato acceſſu obrutus, fædéque fuſus, ac ſtratus ac caſtris exutus, amiſſis impedimentis, totiúsque exercitus opibus, & ſua pretioſa ſupellectile, ita ut vix ex inſequentium manibus ſeſe eripuerit. Paulò pòſt iterum ad Moratum, in confinio Allobrogum oppidum, acie ab iisdem victus, cùm ad Nanſeum reduxiſſet exercitum in ipſa obſidione, ab Helvetiis circumventus ac trucidatus interiit. Deſertum fuiſſe conſtans fama erat à ſuis, inſigni perfidia Campobaſſi Neapolitani, qui aliquando à Carolo colapho pulſatus, vindictæ occaſionem in id tempus diſtulerat. Duo potiſſimùm ex Italis ſub Carolo militabant, Galeotus, & Nicolaus Campobaſſus, qui Andegavenſes in expeditione Neapolitana contra Regem ſecuti, fortuníſque propterea exuti, ad Carolum profugerant. Galeoti fides omnibus conſtans, & pervia erat. Campobaſſum vulgus perfidum inſimulabat. Aſſecutus fuerat apud Carolum magnam authoritatem, neque minùs Ludovico Regi charus erat. Cum hoc proditore multa & varia per internuncios machinabatur, ne Carolus Helvetios ſibi adjungeret. Neque verò defuit officio, data fide Simoni Papienſi medico, aliisq; miniſtris Regiis, ſe Carolum vel interfecturum, vel rapturum, vel ſi quando committeretur prælium, illo deſerto, ſe cum omni equitatu ad Regem tranſiturum. Et quidem Ludovicus Rex ea fretus perfidia, ſubdolè aperuerat Carolo, omne Campobaſſi conſilium, ac promiſſa, ſpe concepta, ut Carolus mox in illum ſæviret, atque Italos milites eum in modum oſtenderet; quorum equitatum cupiebat ipſe ad ſe traducere. Simul etiam colloquium cum Carolo petierat, ut vel illum dolo interficeret, vel ſaltem ab Helvetiis ac Italis averteret.

teret. Hortabatur præterea, ut Helvetios ſineret in pace, néve tam tenuem ſibi ſectaretur prædam: ac Legatos Helvetiorum captioſa de pace ad eum mittendos procuraverant, paratos, quicquid ademerant, reſtituere, fœdus cum illo ferire, ab Rege diſcedere, Caroloq; contra illum militare. Cæterùm Carolus cùm ſtrophas machináſque Galli, ad ſe avertendum opinaretur, à bello inferendo dimoveri non potuit; quamquam & nuncius Apoſtolicus Sibenicenſis Epiſcopus: & Alfonſus Luſitaniæ Rex, qui hoc anno in Gallias advenerat, diſſuaderent. Omnino, Helvetios ulciſci ſtatuebat & Lotharingiam, Sabaudiam Provinciam, Helvetiorum Montana, atque adeò totum regnum Arelatenſe Burgundiæ aſſerere; quin & in Italiam penetrare ambiebat. Id verò Ludovicus mirandum in modum metuens, Renato juniori, ex ſuis cohortibus, quas ſimulatim (ne pax violata videretur) exauctoraverat, ſuppetias miſit; & quibuscumque potuiſſet modis hominem perdere laboravit. Non erat omnino difficile factu Carolo victoriam de hoſtibus reportare, atque fines Imperii à mari Septentrionali, ad Mediterraneum uſque proferre; niſi favor illum divini numinis deſtituiſſet, atque tenebras menti offudiſſet. Noxæ fuiſſe tradunt, quod Eccleſiaſticorum bona, in id bellum compilaſſet; alii, quod in Lauſanenſes captos nimis ſævus, quingentos, & duodecim ex eis captivos patibulis affixiſſet: alii, quod Ludovicum, Comitem S. Pauli, Comitem Stabuli, quo cum conſilia contra Ludovicum communicabat, Ludovici prodidiſſet, & ad certam necem tradidiſſet. Vtut eſt; pugnavit imperterritus, & ne in Ludovici manus veniret, in conferto peditatu velut ignotus decertans, tribus vulneribus confoſſus interiit, die tertio inventus, nudus inter occiſos, facie ad glaciem cujusdam torrentis aut paludis congelata, cognitus eſt à Iohanne Baptiſta Columnio, ab Antonio fratre & Matthæo medico illius familiaribus captivis. Fama erat diuturna apud Burgundiones & alias quasdam gentes, elapſum ex hoſtium manibus Carolum, viſitare loca religioſa Sanctis conſecrata; maximéque

Ger-

Germaniæ Sanctos, quos in bello offenderat, ſepteni, quam voverat, pœnitentia placare. Habitúsque eſt in Germania quidam mendicus pro Duce Carolo,qui non comedebat, niſi ſuper nudum ſolum accumbens, & ex fictili teſta pannis abjectiſſimis tectus,ſic pœnitentiam agens ſcilicet. Hic à multis accepit lautiſſima fercula (nam quicquid afferebatur, ex conditionibus votivæ pœnitentiæ comedere,ſed cubans tamen ſolo,audebat) volebant enim multi ſuperſtitioſi, & etiam ambitioſi, tam potenti Duci, eleemoſynam largiri. Rogatus aliquando, Num eſſet? tacebat; admonitus verò,ut pauperum rationem haberet,cum in Principatum reverteretur,annuebat modeſtiſſimè. Auditum eſt aliquando ex eo. Pauculi anni reliqui ſunt meæ peregrinationis. Cùm autem quidam, ei ceu Principi (nihil enim dubitabant,eum eſſe)vel genu poſito,vel verbis exhiberet honorem; abnuebat, & refugiebat,dicens: Nondum tempus adveniſſe. Erant quoque,qui multa in eum conferrent officia,ſperantes aliquid magni ab eo quondam recepturos. Ex his,quæ accipiebat,nonnulla è re ſua pauperibus erogabat. Quinque annis Germanis illuſit,& poſtea nuſquam viſus fuit. Tantus autem error ejusce opinionis alicubi invaluit,ut multi gemmas,equóſque venales exhiberent, diſtraheréntque, dilata ſolutione eo uſque,donec Dux pœnitendi curriculum absolviſſet. Ducis cadaver,nudum repertum,in æde S.Georgii apud Nanſeum, Regio funere, Renati munificentia conditum eſt. Exinde eo loci,in quo ſtrata jacebant cadavera,Sacellum, & Cœmiterium conſtructa ſunt,delegatò Sacerdote, qui labes animarum perenni ſacrificio expiaret. Antequam pugnaret, ſocii, amicíque plerique pacariorum ſuaſu à Carolo diſceſſerant; Fridericus Tarentinus à patre Rege revocatus commeatu ſumpto, in Italiam redit; aliquantò pòſt,ad Ludovicum profectus, Reginæ Franciæ ſororem Sabaudam in matrimonium accepit,Renatus ſenior accitus,ad Ludovicum venit,& honeſtis conditionibus cum Rege tranſegit. In primo congreſſu princeps amicorum illius, Coſſa Neapolita-

nus Ludovico; Delatum eſt,inquit,majeſtati tuæ, hunc Dominum, Regémque meum, ſpem hæreditatis Duci Burgundiæ injeciſſe. Vera ea delatio eſt. Ego hujus oſtentationis,conſiliique author fui; non ut res deduceretur ad exitum,ſed ut hæc fama ad majeſtatem tuam perveniret,utque majeſtati tuæ hic metus injectus,admoneret te hunc eſſe avunculum tuum, & mitiùs cum eo ageres in rebus Andegavenſis Ducatus (eripuerat Rex) quem illius juris eſſe noſti.Hoc ſi ſcelus eſt,mihi,non avunculo adſcribito. Libera Neapolitani oratione delectatus Rex, & illum dilexit, & avunculum complexus, cum eo de provinciæ comitatu,ad hunc modum tranſegit. Erat Renatus plenus dierum, ſuis liberis princeps, cujus filia,Angliæ Regina, ab Eduardo,de familia Ducum Eboracenſium in cuſtodia tenebatur. Ejus liberandæ cauſa, Ludovicum ſibi hæredem Provinciæ Renatus inſtituit. Præterea,Ludovici ejuſdem voluntate Carolum Cenomanorum Comitem, excluſo Renato, in reliquis ſcripſit ſucceſſorem. Quibus delinitus Ludovicus,Pontifices,& majorum Eccleſiarum Rectores,quos ad Concilium adeſſe juſſerat,ad ſuas ſedes redire juſſit, Conciliúmque diſſolvit,Balvam Cardinalem Andegavenſem,quem ferè duodecim annis in cuſtodia habuerat, dimittere permiſit. Avinionem interceptam reſtituit,maximè cùm ex Cardinalis Sancti Petri literis,ad Patriarcham Antiochenum datis intellexiſſet, Sixtum Pontificem, ceſſioni Renati Senioris, quam Carolo Burgundo fingebat ſe velle facere,nedum non conſenſiſſe,aut quicquam, quod jura Neapolitani Regni tangeret,conceſſiſſe, ſed neque ad ea facienda requiſitum fuiſſe. Sixtus præterea,cupiditate recipiendæ Avinionis,quod culpa Legati nepotis, ea civitas diceretur,id temporis amiſſa, delendæque notæ cura,facilè ad detrimentoſas pactiones ſe adduci paſſus eſt; inter quas una fuit, quòd Carolo Borbonio, Archiepiſcopo Lugdunenſi perpetuam Galliarum Legationem promiſerit, eundémque ad XV. Calendas Ianuarias, Cardinalem S.R.E.tituli S.Martini in montibus renunciaverit. Fuit

& hæc altera, ut Fridericus Ferdinandi filius, qui Burgundi filiam procabatur, eam non amplius, ſed Annam Sabaudam Regis Ludovici ſororiam duceret, & nomine dotis, Ruſcinonenſem ac Ceretanum Comitatus, de quibus inter Ludovicum, & Ioannem Aragonum Regem, Ferdinandi Patruum controverſia armis dirimebatur, nec aliud acciperet. Ioannes ſanè Aragonum Rex inter alios plurimùm allaboravit, ne Conciliabulum illud Epiſcoporum à Ludovico indictum celebraretur, quod & neque ad fidei Chriſtianæ negotia tractanda indictum, & magno fidelium, ac infidelium ſcandalo, ad perturbationem reipublicæ Chriſtianæ indictum fuiſſet. Epiſcopi Pampilon.& Helenen.quamquam diœceſes in regno Galliarum haberent, venire contradixerunt, rémque ordini Eccleſiaſtico, infamem execrati damnaverunt. *Surita annal.libro decimo nono, capite trigeſimo nono & 62. Mejerus Annal.libro decimo ſeptimo, Guaginus libro decimo, Æmilius in Ludovico XI. Roſieres Tomo quinto, Comineus libro octavo, Mutius libro vigeſimo nono, Papienſis epiſtola* 647. 648. *Panvinius in Sixto quarto, Barlandus capite centeſimo vigeſimo octavo, Volaterranus libro tertio.*

Hunc exitum habuit Caroli Burgundi ambitio, qui Regium titulum apud ſuos, Maximiliano autem genero, Romanorum Regnum adeò cupidè expoſcebat, ut Fridericus Imperator, Sixtum Pontificem interpellaverit, qui Franciſcum Gonzagam, Cardinalem Mantuanum in Germaniam, Legatum Apoſtolicæ Sedis mitteret, ad Conventum Principum Electorum, atque aliorum, in quo de utriusque honoribus deliberaretur. De Maximiliano majores difficultates objicebantur; propter quas ne amici quidem Electores, imò & neceſſarii, Friderico requirenti id temporis aſſentirent. Ergò, ut eas Fridericus ſuperaret, Sedis Apoſtolicæ auxilium imploravit. Neque difficulter Sixtus, Legationem Mantuano decrevit, quòd in eo Conventu Principum, magna ſe poſſe conficere exiſtimaret; præcipuè contra Turcas. Papienſis Cardinalis quamprimum eam Franciſco

ciſco Cardinali Legationem decretam fuiſſe intellexit, pro eo valdè ſollicitus, lætabatur quidem plurimum, quod à Cæſare peteretur: quod verò à Sixto mitteretur, vehementiùs angebatur. Cauſam explicabat; Exitus conſiliorum, ſcribit, in ea natione ſunt novorum ſemper conſiliorum initia, magniſque apud eas gentes conatibus nihil unquam perficitur. epiſtol.648.

Ita Carolus Burgundus, ſine titulo Regio deſiit in humanis eſſe.

Thomas Baſinus ejus æqualis hæc de illo reliquit. Fuit, *inquit*, vir magni, & alti animi Carolus, ſi illam animi magnitudinem, moderato ac prudenti conſilio temperare potuiſſet. Verùm ipſe (ut ſæpe mos ſolet eſſe Principibus) ſuo fidens ſenſui & conſilio, & contra ſapientis præceptum, ſuæ nimis innitens prudentiæ, plerumque rejectis conſiliis ſanis, & parùm perpenſis, ex ſententia ſua quidnam fieri vellet, decernebat; quæ res profectò ultimum illi attulit exitium. Initio, cùm imperare cœpit patre defuncto, modeſtum ſe ſatis, & dignum principatu oſtendit. Iuſtitiæ enim cultui deditus, peſſimam conſuetudinem civilium inter duas, plureſve familias pugnarum cohibuit, & reſtinxit: nec quemquam nobilium in alium, aut inferioris etiam ſtatus hominem, quod paſſim antè actis temporibus diu aſſuetum fuerat, via facti quicquam præſumere, ſeu attentare permiſit. Tenebat tunc Curiam publicam bis, aut ter ſingulis hebdomadis in palatio ſuo, in qua omnes Proceres, ac nobiles domus ſuæ aſſidere oportebat; ubi omnibus, quicunque vel ubicunque eſſent, facultas dabatur accedendi ad Principem & libellos ſuos ſupplices afferendi; ad quem per Cancellarium ſuum, vel aliquem de conſilio ſuo prope aſſiſtente, illico reſponſionem conſcribi faciebat. Moribus etiam probis, & honeſtis tunc erat. Ferebatur enim tam eſſe caſtus, ut nullam fœminam, præter conjugem propriam, vel ei adhinnire vellet, quod nonnulli variis, & differentibus viis, in vitium detorquebant, livore, aut odio, vel levitate potius, quàm veritatis amore. Habebat nempe circa ſe plures,

quibus

quibus vel ipſius continentia, vel quæ de eo communis æſtimatio, habebatur, parum placerent: eò quòd ſe libentius voluptatum miniſtros, atque turpitudinum illi exhibuiſſent, quæſtum, variáque lucra talibus ex miniſteriis venantes, uti apud complures Principes, & tyrannos videre eſt, & fieri ſolet. Religioni erat ſatis deditus, diligens excellentes Cantores, quemadmodum Pater ejus fecerat. Vnde ſemper honeſtam & magnificam tenuit Capellam, & cum ſuis Cantoribus cantu delectatus, etiam privatim aliquando cantavit. Vini & cibi ſobrius, & temperans fuit; ita profectò, ut ſi quemadmodum initio cœpit, perſeveraſſet, ſingularis inter egregios Principes fuiſſet unus non injuria computandus. Adrianus Barlandus aliquot Principibus comparabat. In hoc, *inquit*, Cæſarem illum dictatorem, aut Scipionem Africanum, aut Metellum præclarum Ducem referebat, quòd in ſuo exercitu nihil eorum paſſus eſt eſſe, quibus corrupti & effœminati militum animi à ſtudio rei militaris averterentur. Aberant enim adipata convivia, atque obſonia. Exulabat commeſſatio: exulabant reliqua omnia ad luxuriam pertinentia. Vulgari cibo contenti, procul à fame ſervabantur, adque obeunda militaria officia, hoc pacto expeditiores ibant. Prælia multa ſic aſſumpſit, ut militem ſæpius nil tale cogitantem, juſſerit acceptis armis in hoſtem ire, pluvio interdum cœlo, & graviſſimis tempeſtatibus, quum minimè educturus putaretur. Et quod mirum videri poteſt, nec provectior quidem ad conſerendas cum hoſte manus cunctantior factus, quo ſæpius victor abiiſſet, hoc magis incertum pugnæ eventum experiendum opinabatur. Nullo unquam prelio vicit, quo non ſtatim ſit fugientem hoſtem inſequutus. Adeò nihil ſpatii datum ab eo perterrito. Inter milites ſuos, neque morum, neq; fortunarum, ſed virium reſpectu alium alii præferebat, & erat in his tractandis nunc ſeverus, nunc facilis. Haud enim omni loco ac tempore, ſed quum non procul abeſſet hoſtis, coërcere eos, & comprimere ſolebat. Ita factum, ut nunciationi prælium exeundi tempore,

ſemper eos,& paratos, & intentos haberet. Deſertorem, ac fallacem militem acerrimè puniebat,cætera plerumque diſſimulans. Quendam patibulo ſuffixit,qui aniculæ gallinam ſubtraxerat. Amabat etiam ſuos uſque adeò, ut nullo non benevolentiæ officio proſequeretur. Adverſa valetudine laborantes, & ſaucios medicis committebat fideliſſimis. Alexandri magni factus æmulus,nihil audiebat libentiùs,nihil majore animi voluptate ſolebat legere,quàm authores,qui de Alexandro quippiam ſcripſiſſent. Vnde factum erat,ut omnia illius egregia, & laudabiliora facinora memoriæ mandaverit,oblatáque occaſione imitari ſtuduerit. Vnum erat,in quo meritò culpari potuit, præcipitatum conſilium. Nam & bella quædam ſuſcepit,nullo prudentum conſilio, quos ſecum habebat, in conſilium abhibito. Campobaſſum belli Lotharingici dehortatorem ſuſceptique jam deponendi authorem,invadendæ Lotharingiæ cupiditate flagrans,non modò atroci convicio petiit,verùm etiam alapa pulſavit. Hunc tamen tam præcipiti, ac præferoci conſilio virum in caſtris metandi, Hannibalem,in conficiendis itineribus Iulium,aut Alexandrum quemdam dixiſſes. Algoris enim & ſolis juxta patiens fuit. Multæ illi frigidæ hyemes,ac torridæ ſub pellibus actæ æſtates. Itinera tanta celeritate confecit ut ſæpius de ſuo adventu, præmiſſis nuntiis anteverterit, ſæpius hoſtem de improviſo oppreſſerit.*Chron.Brabantiæ Ducum.*

III. *Simlerus* lib.1.pag.59. An.Chr.1476. ingens & difficile bellum noſtri cum Carolo Burgundo geſſerunt. Sed hujus quoque potiſſima cauſa fuêre Auſtrii Principes. Nam Sigiſmundus Auſtriæ Dux bello diu infeliciter adverſus Helvetios geſto,cùm pacem non ex animi ſententia cum illis feciſſet,ut aliquo modo ipſis malè faceret, Regiones quaſdam habebat in Sequanis & Rauracis vicinas Helvetiis Carolo Duce Burgundiæ, Principe illa æſtate potentiſſimo,& magni animi ac faſtus, oppigneravit, exiſtimans fore, ut plerunque inter vicinos fieri ſolet,ut aliquæ controverſiæ inter ipſos orirentur.

rirentur. Miſêre tum Helvetii Legatos ad Burgundum, petentes ut veterem amicitiam Burgundicæ domus cum Helvetiis renovaret, & pacis capita cum Sigismundo nuper inita quatenus ad Regiones ipſi oppigneratas ſpectarent, confirmaret: verùm hi aditum ad Principem nunquam impetrare potuerunt, obſiſtente illis Hagenbacho, quem Princeps nuper partæ Regioni præfecerat, & plurimùm amabat. Fuit hic Hagenbachus præcipua fax belli; nam & Helvetios multis verborum contumeliis affecit, & eorum hoſtis ſemper apud illum receptus erat, Heudorffio & Eptingero, & quibusdam aliis nobilibus, qui noſtris bellum indixerant, & in eorum Mercatores graſſabantur. Idem tyrannide gravi premebat Sequanos ſibi ſubjectos, quam cum illi ferendo non eſſent, ſupplices Sigismundum Auſtrium veterem Dominum deprecabantur, ut redempto ſuo pignore, rurſus ſuæ poteſtati ſe vendicaret, idq; à Principe clementiſſimo, & qui propter facilitatem morum ſimplex cognominatus eſt, facilè impetravêre. Verùm Burgundus ſolutionem pignoris recipere nolebat, & Hagenbachus quotidie acerbiori Imperio premebat ſubditos, vicinis quoque moleſtus erat. Acceſsêre etiam aliæ offenſiones inter Burgundum & Helvetios, quòd Remontius Comes ejus cliens, aliquot currus pellibus onuſtos illis interceperat. Interea Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui Burgundum maximè oderat, & quantum eſſet robur in peditatu Helvetiorum, prælio ad Baſileam cum illis geſto, expertus fuerat, fœdus cum illis fecit, & quamvis bello ſe non immiſcuerit, tamen Helvetios ad id clam incitabat, & pecunias illis ſubminiſtrabat, ne inopiâ coacti pacem facerent. Ejusdem opera Sigismundus Auſtrius reconciliatus Helvetiis, ſe quoque peculiari fœdere illis junxit. Acceſsêre mox ad idem fœdus Renatus Lotharingiæ Dux, & ampliſſimæ urbes Argentoratum & Baſilea cum ipſorum Epiſcopis: Colmaria item, & Seleſtadium, & mons Bellicardi, & quædam aliæ urbes. Interea Hagenbachus Briſiaci captus fuit, ac Auſtrius pretio pignoris Baſileæ depoſito recepit omnem ſuam

ditionem, ac publico judicio Hagenbachum damnatum capite mulctavit. Interim Carolus adverſus Epiſcopum Colonienſem bellum gerebat, quòd ſibi illius Epiſcopatus advocationem vendicaret, ac Noveſium oppidum ſupra Coloniam obſidebat: adverſus hunc Imperator Fridericus totius Imperii auxiliis inſtructus caſtra poſuit, idem Helvetiis eorúmque Confœderatis pro Imperii jure & majeſtate edixit, ut Burgundo domi bellum inferrent, quò ejus vires diſtraherentur. Sed mox ſe Auſtrium eſſe, hoſtémque Helvetiorum oſtendit, nam cùm illi in Burgundiam penetraſſent, & Burgundos ad Ellicartum viciſſent, captis etiam aliquot oppidis, ipſe pacem cum Burgundo fecit, qua Principes Imperii & civitates, quæ Imperatorem bello juverant, continebant, ſolis exceptis Confœderatis, Sigismundo, Renato, Helvetiis & Vrbibus ſuprà nominatis. Carolus bello adverſus Imperatorem & Germanos liberatus, omnes ſuas vires contra fœderatos convertit: facta ſunt utrinque lævia aliquot prælia: ſed tribus pugnis, quibus Dux ipſe interfuit, de ſumma rerum certatum eſt. Primò ad Granſonium oppidum, ad lacum Ebrodunenſem qui hodie etiam Neocumenſis dicitur, id ante ab Helvetiis captum, Dux per deditionem receperat, præſidiariis militibus contra datam fidem partim laqueo necatis, partim lacu ſubmerſis: Sed brevi poſtea prælio ab Helvetiis victus crudelitatis & perfidiæ pœnas luit: ac tum quidem non magnum numerum militum amiſit, equitatu pedites in fuga defendente, cùm Helvetii carerent equitatu, neque enim fœderatorum Equites in tanta feſtinatione advenire potuerant: ſed opum vim magnam amiſſis caſtris perdidit. Pugnatum deinde eſt ad Moratum in Aventicis & ingenti prælio confœderati hoſtes vicerunt. Dicuntur enim Burgundorum cæſa XXVI. millia, & noſtra ætate ingentes oſſium cumuli cladis ejus teſtes ſuperſunt. Tertia pugna ad Nancejum Lotharingiæ commiſſum eſt: oppugnabat id oppidum Burgundus, ſed Helvetii Renato Lotharingo VIII. millia, reliqui fœderati III. auxilio miſere, habebat ipſe lectiſſi-

ctiſſimas alas Equitum, ad ſexcentos, maxima parte Gallos, his viribus aggreſſus Ducem, cujus longæ majores copiæ erant, ipſum vicit, Dux ipſe in fuga ab Helvetiis cæſus morte ſua bello finem impoſuit.

IV. Nec omitti debet *Gerardus de Roo*, cujus verba ex lib. VIII. pag. 311. hæc ſunt: Carolus Helvetios adorſus Granſejam, ſub Iura monte ad lacum, civitatem, primùm expugnat, qui arcem præſidio tenebant, acriter ſeſe defendunt, mox vitam incolumem fore perſuaſi, deditione facta, miſerè omnes aut ſuſpenſi aut ſubmerſi periêre. Carolus præſidio civitati & arci impoſito, abiens, obvios habuit Helvetios illos, qui ſuis auxilio miſſi, ſerò advenerant. Sublato clamore conſeritur pugna, Burgundi fuſi fugatique, non multos quidem milites, ſed maximas opes & eximiam ſupellectilem amiſêre, cujus pretium plerique illorum ignorabant. In ea erant vaſa aurea atque argentea, & pretioſæ veſtes. Currus item trecenti, commeatuum ingens copia, & tormentorum bellicorum magna vis, in hoſtium poteſtatem venêre, qui Granſeja oppido cum arce recepta, ſocios ſepulturæ mandârunt.

Carolus reſtauratis apud Loſanam viribus, & exercitu aucto, Moretum expugnare aggreditur, in quo mille præſidiarii, à Bernatibus collocati, egregiè ſe defendebant. Quos cùm acerrimè, hinc Carolus, illinc Romontius, oppugnarent, Helvetii vires colligunt, & cum ingenti exercitu, oppidum liberaturi, accurrunt. Erant cum iis Baſilienſium, Argentoratenſium, ac reliquarum Civitatum auxilia, Sigismundi item equites, quos ducebat Henricus Comes Goritienſis, & Renatus Lotharingius, qui auxilio Ludovici regis fruſtratus, Helvetiorum arma tum ſequebatur. Committitur atrox & cruentum prælium, ab ea parte, in qua Carolus ipſe curabat. Burgundi ſuis ipſi tormentis implicati, diſſipatis ordinibus fugere coacti ſunt. Ad triginta hominum millia cæſi, aut lacu ſubmerſi, dicebantur. Incommodè accidit, quod Romontius, ab altera oppidi parte oppugnationi intentus, de ſociorum periculo nihil ſcire potuerit,

fuerit, qui depugnato jam prælio, machinis in mœnia exploſis, & ipſe fuga ſalutem quæſivit. Caſtra Helvetii Renato donavêre, qui ab ipſis & cæteris fœderibus adjutus, omnem propè ditionem, Carolo in Sequanos profecto, paucis diebus, recuperavit, præter Nancejum, quod tamen tertio obſidionis menſe, ditione in ſuam poteſtatem rediit.

Carolus has rerum vices ægerrimè ferens, comparato exercitu ipſa hyeme Lotharingiam ingreſſus, Nancejum iterum arctiſſima obſidione cingit. Quò cùm Renatus & ipſe cum aliquanta ſuorum manu acceſſiſſet, viribus ac numero impar, retrocedere coactus eſt, & Burgundi eo loco, quem ille reliquerat conſedêre. Eo errore decepti, Germani pedites ducenti quinquaginta, dum in Renati caſtra tendere ſe putant, pro ſociis hoſtes offendêre. Cæſi ſunt ad centum octoginta, reliqui beneficio noctis effugêre. Renatus iterum paterna ditione excedens, auxilia à vicinis Helvetiis conquirebat.

Erant in caſtris Caroli ad Nancejum, qui omittendam eſſe obſidionem, & tempus gerendis rebus magis idoneum eſſe expectandum, ſuaderent. Ille verò propoſiti tenax, & præfracto animo turgidus, neminem audiebat, fato ipſum jam in exitium rapiente, quod cujus fortunam mutare decrevit, ejus conſilia confundit prius ac corrumpit. Fiunt igitur levia aliquot prælia, oppidanis interdum excurrentibus, donec tandem Renatus, cum Helvetiis aliorúmque Confœderatorum auxiliis adveniens, rectà ad Caroli caſtra duxit, quæ cùm ab ea parte foſſa ſatis profunda, munita offendiſſet, monſtrato à quatuor Helvetiis, domo exulantibus, itinere, per rivulum quendam eum caſtrorum locum invaſit, ubi bellicæ machinæ poſitæ erant. Fit acerrimum prælium, in quo Carolus omnibus copiis exutus, tribus adverſis vulneribus acceptis occubuit, non ſine inſigni proditione Nicolai Campobaſſæi Neapolitani, qui cùm ab initio Lotharingicam expeditionem diſſuaderet, colapho ab eo percuſſus, vindicta in id tempus dilata, cum ſuis ad hoſtes transfugit. Incidit Caroli cædes in Nonas

nas Ianuarii, anni ſeptuageſimi ſeptimi. Corpus ejus tertio die pòſt inter cæſos repertum, cùm ob faciem gelu tumefactam non agnoſceretur, Ioannes Baptiſta adoleſcentulus, ex Columniorum familia, qui galeam ejus geſtare ſolebat, id agnovit, cujus teſtimonio adſtipulati ſunt, Antonius Caroli frater nothus, & Matthæus Luſitanus, ejusdem medicus. Renatus ejus corpus Nanceji ante D. Georgii aram ſepeliri juſſit. Neque tamen deerant, qui vivere ipſum adfirmarent. Hunc habuit finem Carolus, qui ſi pacem bello prætuliſſet, & amicos retinere, quàm hoſtes parare, maluiſſet, inter omnes ſui ævi Principes, feliciſſimus degere potuiſſet, nunc dum præ ſe omnes contemnit, & ab omnibus timeri deſiderat, neminem ipſe timens, dum bellum amat, bello perit. Vxores habuit tres, Catharinam Caroli ſeptimi Francorum Regis filiam: Eliſabetham Borboniam, & Margaritham Eboracenſem, Eduardi Anglorum Regis ſororem: ex ſecunda unicam ſuſcepit prolem Mariam, ex aliis nullam.

XXIV. AUSTRIACORUM poſteriorum nomine ea intelligimus, quæ contra Sigiſmundum Auſtriæ Archiducem, ejûsque aſſeclas, pro fœderis Helvetici incremento, geſta ſunt.

Siml. l. 1. p. 75. Nam mox ab inito fœdere Schafhuſianorum cum Helvetiis bellum Auſtrii cum Helvetiis, & nominatim cum Scaphuſiis geſſerunt. Cùm n. Helvetii juſſui & imperio Pii Papæ obtemperantes, Sigiſmundo Auſtrio arma intuliſſent, pace deinde facta, rurſus propter Mulhuſios, qui Helvetiis ſeſe junxerant, & Scaphuſianos, bellum ab Auſtriis redintegratum eſt, & Helvetii magnis copiis in Sequanos deſcendêre. Eodem tempore Peregrinus Heudorffius Scaphuſios Rotevilæ accuſavit, & ut proſcriberentur, effecit: Reos hic peragebat Fulachios cives Scaphuſianos: eſt autem hæc vetuſta & nobilis familia, quæ olim poſſedit arcem ad

Catarhactas Rheni, ſed inde pulſa ab Alberto Auſtrio poſtea rurſus per inſidias eandem occupavit. Hoc igitur nomine accuſati ſunt à Heudorffio Fulachii fratres Ioannes & Conradus, & tam ipſi, quàm Scaphuſiani, qui cives ſuos in cauſa juſta & æqua defendebant, proſcripti ſunt. Miſere hoc bello Helvetii Scaphuſianis firmum præſidium, cùm quo illi multas excurſiones in vicinum Auſtriorum agrum in Hercyniæ juga, Hegoiam, Latobrigos, aliaq; loca fecerunt; demum verò Waldshuto (quod oppidum intra Rheni & Ardæ confluentes, in aditu Hercyniæ ſylvæ Auſtriis paret) obſeſſo, pax facta eſt, in qua Sigiſmundi Auſtrii ſumptu & opera Scaphuſii proſcriptione ſunt exempti.

XXV. Succedit bellum SUEVICUM, non occaſione modò & eventu, ſed & inſignibus aliquot cladibus valde memorabile.

a. Enarrant hoc bellum *Naucl.* Gen. 50. pag. 2. 303. *Calviſ.* an. Ch. 1499. Nos nucleum dabimus I. ex *Simlero*, lib. 1. pag. 70. b. Sequitur bellum ultimum Auſtrium, quod noſtri Suevicum vocant, hujus ſemina jacta ſunt à Friderico Imperatore, ſed id, poſt obitum ipſius, à Maximiliano Imperatore, filio ejus, geſtum eſt. Effecerat Fridericus Imperator ut Principes nonnulli, & civitates, & plurimi è nobilitate fœdus facerent, quod magnum fœdus Suevicum nuncupârunt, idque præcipuè ad opprimendam libertatem Helvetiorum factum credebatur, & ipſe quoque huic fœderi præfuit: hoc autem boni contulit Germaniæ, quòd paſſim itinera tuta reddidit, graſſatoribus captis & ſupplicio affectis, dejectisque illorum arcibus. Erant jam diu inimicitiæ inter Auſtriorum clientes vicinos Helvetiæ & noſtram nationem, & quotidie animi utrinque magis exacerbabantur, ac intolerandis contumeliis Helvetii ab illis afficiebantur: Rhetos etiam Auſtrii novis oneribus gravabant, & veteri poſſeſſione quorundam locorum exuerant,

rant, ideò ut utrinq; contra vim hoſtium tutiores eſſent, fœdus perpetuum invicem fecêre. Ludovicus præterea XII. Gallorum Rex, avidus Mediolanenſis Imperii, quod jure ad ſe ſpectare contendebat, Helvetiorum amicitiam & fœdus ambiebat, idque tam periculoſo tempore neutiquam negligendum noſtris viſum eſt. Tandem igitur anno 1499. poſt multas actiones pacis fruſtra tentatas, ad arma ventum eſt. Pugnatum eſt hoc bello ſæpius, ſed Helvetii ſemel tantùm victi propè Conſtantiam, eodem die iterato prælio hoſtes fuderunt, & præterea ipſi atq; Rheti octo aliis partim juſtis pugnis, partim levioribus præliis victores fuerunt: ad Lucii clivum, Treiſæ, Hardæ, Fraſtenzii, & in Malſæ campis, & propè Baſileam & Sylvam, quæ fratrum ſylva nuncupatur, in Leimia valle, & poſtremò ad Dorneggum Salodoriorum arcem. Tot præliis cùm fracti eſſent animi Auſtriorum, tandem opera & interceſſione Ludovici Sfortiæ Mediolani Ducis, miſſo ad id Galeatio Vice-comite, pax facta eſt, qua Helvetiis ſua libertas intacta manſit, & in poſſeſſione omnium locorum, quæ antehac Auſtriis ademerant, confirmati ſunt: præfectura quoque rerum criminalium in Turgea, quæ hactenus penes Conſtantienſes fuerat, his addita eſt. Atque hoc (excepto Rhetorum bello cum Ioanne Iacobo Mediceo Muſſii Domino) ultimum bellum eſt, quod ad hunc uſque diem Helvetii contra exterorum Principum vim & potentiam pro patria libertate geſſerunt. Ordo pugnarum, ex *Svvizero*, talis eſt:

1. Pugna ad *Lucii Clivum.* Rhæti munitionem ad Lucii Clivum expugnant interfectis Auſtriorum 400. Rex Francorum inito cum Helvetiis fœdere auxilia ſua promittit.

2. Ad *Treiſam*. Tigurini, Lucernates, Suitii, Subſylvani, Tugini, Glaronenſes & Abbatiſcellani tranſeuntes Rhenum, ad Treiſam cæſis 300. Suevis ſigna militaria duo & tormentum unum bellicum capiunt, ac Treiſam vicum incendunt.

3. *Pugna Hardiana.* Pugna Hardæ committitur. Helve-

Helvetii cæſis 1500. Suevis victores evaſere, omniaque tormenta ac ſigna bellica in ſuam poteſtatem redigunt.

4. *Pugna ad Bruderholtz.* Milites Helvetii mille, in Sequanam regionem excurſione facta, redeuntes 8000. Suevorum & Auſtriacorum obvios habent ad Sylvam, quæ fratrum nomine nuncupatur; ibique prælio commiſſo, Helvetii victores, hoſtium 600. ceciderunt. Inter quos Comes Tierſtenianus & Nobiles quàm plures ceciderunt.

5. *Pugna in Schvvaderloch.* Suevi, Conſtantiam egreſſi, Helveticum præſidium, quod proximè ad urbem fuerat collocatum, in fugam disjiciunt. Helvetii recollectis viribus Suevos præda onuſtos adoriuntnr & 2500. cædunt, reliquos fugere cogunt. Capta ſunt eo prælio ſigna militaria duo & bellica tormenta majora quatuordecim.

6. *Pugna Fraſtentziana.* Helvetii in Eſtionum regionem proficiſcuntur & exercitum Auſtriacum Fraſtentzii vincunt, cæſis hoſtium 3000, partaque præda non contemnenda. Et tormenta majora 4. minora 500. capta ſunt.

7. *Pugna in Malſæ campis.* Rhæti in Malſæ campis 4000. Auſtriacos cædunt: Potiti ſunt vexillo Tyrolenſi, ſignis militaribus ſex & tormentis bellicis majoribus 8. Reliqui Auſtriacorum fuga Meronam elabuntur, & obſides 33. à Rhætis datos in fruſta concidunt.

8. *Pugna Dorneccana.* Suevi Dorneccum, Salodorenſium arcem, exercitu 15000. militum obſident. Salodorenſes, Tigurini & Bernates primo obſidionis die cum Suevis congrediuntur, & pugna commiſſa victoriam obtinent. In eo prælio ſupra tria millia hoſtium cæſa, ſigna militaria 9. tormenta bellica majora 8. & præda non contemnenda capta.

II. Ex *Gerardo de Roo*, Bibliothecario Auſtriaco lib. 11. pag. 405. In finem hujus anni inciderunt belli Helvetici (ipſi Suevicum vocant) initia & apparatus, cujus hæ potiſſimum fuerunt cauſæ. A primo tempore, quo Maximilianus à Sigiſmundo adoptatus, ipſo adhuc vivo,

vivo, ditionum ejus imperium ſuſcepiſſet, ſæpe ab Helvetiis confœderatis petierat, uti concordiam & fœdus, quod ipſis cum Sigiſmundo interceſſerat, ſecum quoque confirmarent. Illi eo prætextu id quæri ſuſpicati, uti Suevico fœderi implicarentur, reſpondent: Cùm Sigiſmundus ſuarum ditionum imperio ſeſe abdicâſſet, nullo fœderis jure aut religione ampliùs ſe teneri, neque ex re ſua videri, fœdus ullum cum quoquam facere. Hoc eorum reſponſo, nova animorum exacerbatio orta, & belli quaſi ſemina jacta eſſe videbantur. Iam enim à multis annis plerique principes, & nobilitas omnis, Helvetiis infenſi infeſtique erant, ob aſſertam armis libertatem, quod cùm ſcirent ipſi à Suevico fœdere, in quo plurimum poterat Nobilitas, tantoperè abhorrebant, atque ea de re, non apud illos tantùm, ſed apud Suevos etiam cæteráſque vicinas Germaniæ gentes odium incurrebant, cui obſtinato animo obviam ire, quàm libertatem amittere malebant. Inter hæc Conſtantia celebris ad lacum Podamicum civitas, quæ hactenus immunem ſe ab utrorumque ſocietate continuerat multis utrinque promiſſis ſollicitata, per eos dies Suevico ſe fœderi conjunxit, eoque ſtatim Cæſaris & ſociorum legati convenêre, fœduſque & ſocietatem cum ea civitate firmavêre. Accedebat ad has animorum offenſas, vetus quædam ſimultas, inter Atheſinos Cæſaris ſubditos & Griſones, (ut vocant) Rhætiæ populum, Curienſi ditioni parentem, quæ in eum uſque diem ad varios ſubinde arbitros rejecta, componi non potuerat. Cumque res ad arma jam ſpectare videretur, Curienſes, quòd impares ſe adverſariorum viribus putarent, Tiguri, in publico Helvetiorum conventu, ad Idus Decembris eorum ſe fœderi adſociavere. Id ubi audiviſſent, qui Cæſaris & Suevici fœderis partes ſequebantur, Conſtantiam, & ipſi frequentes convenêre: ubi de belli gerendi ratione, qua parte, quiſque & quibus hoſtem viribus aggrederentur, deliberatum eſt. De hoc bello deinceps dicturus admonere lectorem volui, non eſſe conſilii omnia prælia, velitationes agrorum, oppidorum, pagorum

Helvetii cæſis 1500. Suevis victores evaſere, omniaque tormenta ac ſigna bellica in ſuam poteſtatem redigunt.

4. *Pugna ad Bruderholtz.* Milites Helvetii mille, in Sequanam regionem excurſione facta, redeuntes 8000. Suevorum & Auſtriacorum obvios habent ad Sylvam, quæ fratrum nomine nuncupatur; ibique prælio commiſſo, Helvetii victores, hoſtium 600. ceciderunt. Inter quos Comes Tierſtenianus & Nobiles quàm plures ceciderunt.

5. *Pugna in Schvvaderloch.* Suevi, Conſtantiam egreſſi, Helveticum præſidium, quod proximè ad urbem fuerat collocatum, in fugam disjiciunt. Helvetii recollectis viribus Suevos præda onuſtos adoriuntnr & 2500. cædunt, reliquos fugere cogunt. Capta ſunt eo prælio ſigna militaria duo & bellica tormenta majora quatuordecim.

6. *Pugna Fraſtentziana.* Helvetii in Eſtionum regionem proficiſcuntur & exercitum Auſtriacum Fraſtentzii vincunt, cæſis hoſtium 3000, partaque præda non contemnenda. Et tormenta majora 4. minora 500. capta ſunt.

7. *Pugna in Malſæ campis.* Rhæti in Malſæ campis 4000. Auſtriacos cædunt: Potiti ſunt vexillo Tyrolenſi, ſignis militaribus ſex & tormentis bellicis majoribus 8. Reliqui Auſtriacorum fuga Meronam elabuntur, & obſides 33. à Rhætis datos in fruſta concidunt.

8. *Pugna Dorneccana.* Suevi Dorneccum, Salodorenſium arcem, exercitu 15000. militum obſident. Salodorenſes, Tigurini & Bernates primo obſidionis die cum Suevis congrediuntur, & pugna commiſſa victoriam obtinent. In eo prælio ſupra tria millia hoſtium cæſa, ſigna militaria 9. tormenta bellica majora 8. & præda non contemnenda capta.

II. Ex *Gerardo de Roo*, Bibliothecario Auſtriaco lib. 11. pag. 405. In finem hujus anni inciderunt belli Helvetici (ipſi Suevicum vocant) initia & apparatus, cujus hæ potiſſimum fuerunt cauſæ. A primo tempore, quo Maximilianus à Sigismundo adoptatus, ipſo adhuc

vivo,

vivo, ditionum ejus imperium ſuſcepiſſet, ſæpe ab Helvetiis confœderatis petierat, uti concordiam & fœdus, quod ipſis cum Sigiſmundo interceſſerat, ſecum quoque confirmarent. Illi eo prætextu id quæri ſuſpicati, uti Suevico fœderi implicarentur, reſpondent: Cùm Sigiſmundus ſuarum ditionum imperio ſeſe abdicâſſet, nullo fœderis jure aut religione ampliùs ſe teneri, neque ex re ſua videri, fœdus ullum cum quoquam facere. Hoc eorum reſponſo, nova animorum exacerbatio orta, & belli quaſi ſemina jacta eſſe videbantur. Iam enim à multis annis plerique principes, & nobilitas omnis, Helvetiis infenſi infeſtique erant, ob aſſertam armis libertatem, quod cùm ſcirent ipſi à Suevico fœdere, in quo plurimum poterat Nobilitas, tantoperè abhorrebant, atque ea de re, non apud illos tantùm, ſed apud Suevos etiam cæteráſque vicinas Germaniæ gentes odium incurrebant, cui obſtinato animo obviam ire, quàm libertatem amittere malebant. Inter hæc Conſtantia celebris ad lacum Podamicum civitas, quæ hactenus immunem ſe ab utrorumque ſocietate continuerat multis utrinque promiſſis ſollicitata, per eos dies Suevico ſe fœderi conjunxit, eoque ſtatim Cæſaris & ſociorum legati convenêre, fœduſque & ſocietatem cum ea civitate firmavêre. Accedebat ad has animorum offenſas, vetus quædam ſimultas, inter Atheſinos Cæſaris ſubditos & Griſones, (ut vocant) Rhætiæ populum, Curienſi ditioni parentem, quæ in eum uſque diem ad varios ſubinde arbitros rejecta, componi non potuerat. Cumque res ad arma jam ſpectare videretur, Curienſes, quòd impares ſe adverſariorum viribus putarent, Tiguri, in publico Helvetiorum conventu, ad Idus Decembris eorum ſe fœderi adſociavere. Id ubi audiviſſent, qui Cæſaris & Suevici fœderis partes ſequebantur, Conſtantiam, & ipſi frequentes convenêre: ubi de belli gerendi ratione, qua parte, quiſque & quibus hoſtem viribus aggrederentur, deliberatum eſt. De hoc bello deinceps dicturus admonere lectorem volui, non eſſe conſilii omnia prælia, velitationes agrorum, oppidorum, pago-
rum

rium devaſtationes,& accepta utrinque ac illata damna ordine recenſere, ſed ſummis rerum veſtigiis inſiſtere, quòd ſingulatim omnia ex Iohanne Stumpfio, pars etiam ex Baſileenſium rerum ſcriptore peti poſſint. Initium hujus belli apud Vennones ortum eſt, ubi Atheſini aliquot, juſſu (ut ferebatur) Oenipontani Conſilii, quod ſuperiorum Auſtriæ provinciarum regimen vocant, Munſterdalium quoddam Collegium (à quo vicinæ ditioni nomen, quaſi Monaſterii vallem dicas,) invadere tentantes, ab accolis repulſi, octodecim ex ſuis amiſêer. Locum illum ſub Maximiliani imperio eſſe Atheſini contendebant, contra quorum injurias Griſones eum ſuo præſidio firmârunt. Curienſis verò præſul Henricus ab Heven, Cæſaris & Suevorum partibus addictior, Fürſtenbergam arcem præfecto illius Tirolenſi tradidit, quo facto invidiam ſibi & odium apud ſuos excitavit. Cæſariani interim, & Suevorum confœderati Helvetios bello adoriuntur, qui pleraque loca hoſtibus opportuna pręſidiis munierant: vaſtantur agri, novíſque copiis utrinque confluentibus, belli quædam quaſi præludia fiunt. Griſones Maienfeldæ præſidium ſatis firmum collocaverant. Eum locum ſub Malantio in Rheni ripa ſitum Tſchudius Lupinum, Glareanus Magnam, alii Majevillam vocant, eamque illic olim cultam aſſerunt. Hunc Brandeſii fratres Ludovicus Thuringus, & Sigiſmundus, compoſito cum civibus quibuſdam dolo, nocte quadam Valdutio arce egreſſi, capiunt, præſidiariis cæſis, oppidum & arcem quadringentis viris defendendum committunt. Guttembergæ item, ac aliis vicinis arcibus, Cæſarianos aliquot equites locant. Accerſuntur ab utriſque auxilia, & Griſones hoſtem priores aggreſſi, quadringentos occidêre: inter quos Vlmenſis civitatis ſigniferum eſſe inventum memoriæ proditur: qui vexillum dentibus apprehenſum mordicus retinens, multis confoſſus haſtis, dimittere noluerat. Valdutium inde expugnatum: captus in eo Ludovicus Brandeſius, Raperſuillam miſſus eſt. Liber Grunbeccii manuſcriptus, Brandeſium narrat, accepta fide publica ad col-

loquium

loquium vocatum, ipſum, & arcem dolo captum: quod ſi ita eſt, aut neſcivit, aut ſcire diſſimulavit Stumpfius. Arx, ablata divite præda, incendio evaſtata eſt, Majenfelda quoque capta, qui in præſidio erant, Curiam in cuſtodias ducti & cives quatuor qui portam, Brandeſiis reſeraverant, capitali ſupplicio affecti. Sub finem Februarii à legatis Philippi Palatini, Baſileenſis, Argentoratenſis, & aliarum civitatum tentata pax, obſtinatis utrinq; animis, convenire non potuit. Ludovicus verò Gallorum Rex, ad primum hujus belli nuncium, miſſis ad Helvetiorum pagos legatis, pacem iis ac fœdus amicitiamque obtulit. Sperabat enim hac occaſione, implicito iis bellis Cæſare, Mediolani imperium, cui jamdudum inhiabat, faciliùs occupari poſſe. Neque Helvetii, hoc rerum ſtatu, tanti regis conjunctionem ſibi negligendam putabant. Fit igitur fœdus ad annos decem, fruſtrà id ſuis artibus impedire ſatagente Mediolanenſium duce. Interim Maximilianus, bello Geldrico tum occupatus, acceptis de Helvetiorum rebus, & fœdere cum Gallis icto nuntiis, præfecto caſtris Alberto Saxoniæ duce magnis itineribus Friburgum advolat, inde, ad Imperii principes, miſſis paſſim nunciis, ac literis auxilium convocat. In Walgovia (quæ olim Druſiana eſt dicta) quindecim pugnatorum millia, ex Tirolenſi agro evocata, collocat. Hi ad VI. Calendas Aprilis Rhenum trajecti, pagos aliquot agri Sangallenſis exurunt, Helvetios ſuis auxilio miſſos, Werdembergam vicinum oppidum ſe recipere compellunt. Inter hæc, qui Conſtantiæ erant, cùm hoſtem ad ſeptem millia haud procul abeſſe audiviſſent, ſub Wolfgango Fürſtenbergico Comite egreſſi, non expectantibus eorum adventum Helvetiis, pagos quosdam in hoſtili ſolo diripiunt & incendunt. Præda onuſtos, & negligenter absque ordine domum redeuntes, adortus hoſtis, nonnullos cœdit, & aquis mergit, reliqui Conſtantiam fugâ evasêre. Ita variante Martis alea, uno eodemque die, utrique & victi & victores fuêre. Poſt hanc velitationem, Helvetii, uti Conſtantienſibus incommodarent,

Suader-

Suaderlochium vicinum civitati nemus, præſidio muniunt. Dum hæc iis locis fiunt, Atheſini Münſterdalium iterum ingreſſi, villarum ac prædiorum excitato incendio, caſtra inter Malzium & Letſchium pagos metantur. Inde cùm per ea loca nemo ſe moveret, circa ferias quinquagenarias populabundi in Engadinorum agrum irruunt: ea gens in Vennonibus ad Oeniſontem incolit. Engadini à milite imparati, ſatis magna pecuniæ promiſſa ſumma, obſides triginta tres dedere, ii Meranum miſſi ſunt; Griſones verò ad ſeptem millia in Vennones profecti: partem copiarum per montis crepidinem circumire, & à tergo hoſtium ſubſidere jubent, ipſi cum reliquis lento inceſſu ad caſtra illorum pergunt. Qui præmiſſi erant, uti & quo tempore conſtitutum erat, igni excitato ſignum ſuis dantes, hoſtium equitatum, in quem inciderant, turbant, & loco cedere compellunt. Stabant Atheſini tribus inſtructis ordinibus, hoſtem à fronte operientes, qui, cùm ex equitum trepidatione periculum à tergo eſſe animadvertêre, manipulos aliquot eò mittunt, à quibus ducenti primo impetu cæſi, mox verò, ubi ſocii aliis poſt alios nunciis addere gradum juſſi, ſuis laborantibus auxilio venêre, Atheſini poſt acerrimum conflictum fugientes, multos amisêre, vel ab hoſte cæſos, vel Atheſi ſubmerſos. Qui ſupererant, hac clade exacerbati, (factum hîc narratur, non laudatur) Engadinorum obſides Merani ad unum occidêre. Quatuor hominum millia cecidiſſe refert Stumpfius. Caſtra hoſtibus prædæ fuêre, Glorium oppidulum, & Malzium, pagus, à victoribus incenſa. Poſt hanc pugnam Cæſar ipſe in Valgoviam primùm, atque inde aſſumto milite in Vennones advolans, Engadinorum agrum ferro & igne depopulatur, in armis repertos trucidat: mox Veldkirchium, ac inde Conſtantiam redit. Inter hæc Ludovicus Rex, miſſis ad Helvetios nunciis indicat, Mediolani Ducem, etſi aliud præ ſe ferat, Cæſari tamen ſtudere, & auxilia clàm ſummittere, cui uti vicem rependant, occaſionem eſſe. Habere ſe in animo bellum illi facere, nec dubitare, quin ditione

exu-

exui poſſet,ſi aliquot hominum millia ſibi ex ipſorum pagis conducere liceret. Helvetii ſatis hoſtium ſibi eſſe, ſeque ſuis indigere reſpondent: quod etſi graviter ferebat Rex, quòd tamen Cæſar eo bello à rebus Italicis diſtineretur, inſignia aliquot tormenta bellica cum ſuis artificibus, magnámque pulveris vim ad ipſos miſit. Militem verò in Veromanduis & Picardia, locis opportunis diſponens, Philippum Principem, Cæſaris filium, etiam literis deterrere conatus eſt, ne patri auxilia ſuppeditaret. Is eo tempore, adductâ ex Hiſpaniis ſponsâ, nuptiis celebrandis,& rei uxoriæ intentus: Burgundicorum equitum turmis aliquot ad Patrem miſſis, cætera quietus,agebat. Circa idem tempus Maximilianus,contractis undique copiis, totis in bellum viribus incumbere ſtatuit. Quod videntes Helvetii, ſua & ipſi præſidia,quæ vicinas hoſti oras inſederant,novo milite corroborârunt, imprimis verò Tigurini, mille quingentos ad Suaderlochium mittunt, ne qua vis illâc à Conſtantienſibus ingrueret. Itaque Cæſar ad medium Iulium Conſtantiâ egreditur: ſequentibus eum, longo ordine, omnibus civitatum imperialium & Confœderatorum copiis. Cúmque rectâ in hoſtium exercitum ducere ſtatuiſſet, qui, tormentis ante aciem in æditiori colle diſpoſitis in procinctu ſtabant, Principes quidam illum adeunt,prælium deprecantur, magnas inter Imperiales animorum diſſenſiones, varia eſſe conſilia, verendum, ne in tam variis hominum voluntatibus, confuſione orta, res in diſcrimen adducatur. Cæſar prudenter hæc ab iis conſiderata, & diem jam propè vergentem videns,diſploſis tormentis in civitatem rediit. Per eoſdem dies Ludovicus Mediolanenſium Princeps,uti pacem faceret, Galeacium Vicecomitem, propinquum ſuum, cum mandatis in Sueviam legaverat. Gallorum etiam Rex, quamvis Helvetiis auxilia, & mitteret & polliceretur, ne tamen bellum inter ipſos, quàm pacem malle videretur, ſuum & ipſe legatum miſit, Caſtellæ præſidem. Factis igitur decem dierum induciis, utrorúmque legati Tigurum convenêre. Ibi quòd Caſtella-

 num

numi viderent ſub pacis procurandæ prætextu id agere, uti bellum produceretur, & Helvetii aliâs à pace non alieni, Regis promiſſis onerati, duriores ſeſe exhiberent, ſoli Galeacio conficiendi negotii poteſtas facta. Eo adnitente, Schafhuſii conventus indicitur. Ad Cæſarem interim profectus, capita quædam deſcripta ſecum attulit, quibus ille pacem fieri adſentiebatur. Schafhuſii Helvetiorum & Curienſium audita cauſa, alius Baſileæ dies edicitur. Cæſar eò miſit Caſimirum Brandenburgicum, Iohannem Dalburgum, Vangionum Antiſtitem, Philippum Naſſovium, Paulum Liechtenſteinium, Cyprianum Serentinum Cancellarium, & Iohannes duos, Abenſpergicum, & Tungenſem, cum centum equitum comitatu. Aderant Helvetiorum quoque & Griſonum, Curiæque & Sangalli oppidorum legati. Hos inter Vice comes exponit, ſe Principis ſui mandato, uti pacem faceret, miſſum, hortari, & orare, ad æquas conditiones animos convertant, & qui ab alteris injuria ſeſe affectos putarent, cauſam agere incipiant. Hæc ubi dixiſſet, qui à Cæſare aderant, ſumptis actorum partibus, in hunc ferè modum verba fecere. Cùm inter Maximiliani Cæſaris ſubditos, & Curienſis ditionis Griſones, de finibus controverſia incidiſſet, hique legitima diſceptatione rejecta, armis rem gerere priores cœpiſſent, Helvetios, quorum nihil intererat, fœdere tum demum facto, ex inſito ipſorum animis in Auſtriacos odio, non pauca illius loca, bello minimè indicto invaſiſſe, ferro & igne obvia quæque fœdaſſe, idque abſente illo, & alibi occupato. Qua in re, etſi cùm ipſi, tum Imperio rebelles, nihil ad ſummam injuriam reliqui feciſſent, Cæſarem tamen, pacis ſtudio, capita quædam perſcripſiſſe, quæ ſi Helvetii admitterent, quod ſanè debeant, pacem ſe libenter fieri permiſſurum. His auditis, poſtquam Galeacius capita de ſcripto recitâſſet, Helvetii reſpondent, non ſe priores arma ſumpſiſſe, ſed Curienſibus vicinis & confœderatis, contra injuſtam vim, ſuppetias tuliſſe, gravium ſcelerum objectione & contumeliis provocatos: innocentiam ſuam defendiſ-

ſe, nc-

ſe neque ob id contra Imperii dignitatem feciſſe quam in omnibus ſuis fœderibus ſemper excepiſſent. Quod ad pacis capita attineret, cùm ea longè diverſa ſint ab iis, quæ Schafhuſium miſſa fuerant, neque hæc, neque iſta admitti poſſe, niſi multa remittantur. Galeacius ad hæc & legati Cæſaris, ne nihil procederet, petiere, ut & ipſi, quibus ſtare vellent conditionibus, ſcripto declararent. Id ubi factum, Galeacius magnâ induſtriâ conciliandis partium articulis, quà addendo, quà adimendo, quædam etiam mutando, uſus, nihil ad rei ſummam perficere potuit. Dilato igitur negotio, per equos celeres Vlmam, quò Cæſar abierat, profectus, eò rem adduxit, ut ad finem Septembris pax fieret. Ejus conditiones hæ fuerunt primariæ: Quas ad Rheticonem montem (Pretigoviam hodie tractum illum vocant) Cæſar ditiones ab Amaſianis Comitibus, quorum proſapia interierat, acceptas poſſederat, earum incolæ ipſi, uti ante bellum, dicto audientes ſint: fœdus cum Griſonibus ictum ſervent: neque, quòd ab illo deſciviſſent, pœnis aut multa afficiantur. Diſſidium, quod inter Curienſes & confines Tirolenſes tenuerat, Friderici Auguſtani præſulis arbitrio decidatur, à quo nulla eſſet provocatio. Accepta bello damna, cædes, prædationes, incendia, injuriæque & contumeliæ perpetua oblivione obliterentur. Oppida, arces, pagi, villæ ac prædia manu capta, priori quæque domino, uti nunc ſunt, reddantur, quod quisque in ea juris ante bellum habuerat, retineat. Eorum cives, inquilini, cæteriique authores ac habitatores in priſtinum locum reſtituantur, neque fraudi cuiquam ſit offenſionum cauſas eo bello vel dediſſe vel accepiſſe. A contumeliis, injuriisque & jurgiis abſtineatur: quod uti fiat, judices utrinque conſtituantur, qui lites omnes, quæ intervenire poterant, ex æquo & bono dijudicent. Præter has conditiones, aliæ quædam controverſiæ, arbitri & legatorum diſceptatione, diſcuſſæ ſunt. Sub hac pace comprehendi Cæſar voluit Auſtriæ domum, Ludovicum Mediolanenſem, Principes electores, cæteróſque Imperii ordines, Argentoratum & Baſileam,

cum earum Epiſcopis, aliáſque Imperiales Sueviæ, & ad Rhenum civitates, Helvetiis vicinas. Hi Galliæ Regem, ejus confœderatos, Sangallenſes, Abbacellenſesque & Curienſes nominabant. Ita finem habuit bellum Helveticum, quo etſi nunquam ad ſummæ rei dimicationem ventum, multi tamen ab utraque parte mortales periere, quorum numerum, quidam ad viginti millia prodidere. Acer erat Maximilianus, & belli ſciens, magnaque Suevorum & Imperialium auxilia habebat, ſed quorum viribus Helvetii quaſi pro communi omnium una quadam civitate, & ex unis manibus depugnantes reſiſtebant, neque inferiores Seſe declarabant, donec utrique bello defatigati, pacem æquis conditionibus lubentes accepere.

XXVI. Tertii generis bella ſuſcepta ſunt in gratiam Fœderatorum: *ubi tamen notandum*

XXVII. A. Geſta quædam fuiſſe ab Helvetiis, pro Helvetiis, contra exteros.

Tale eſt 1. Abbatiſcellanum, de quo *Siml.* lib. 1. p. 57. Illis annis pace facta quies & otium fuit Confœderatis. Cæterùm anno 1401. cœpit bellum, quod Abbatiſcellanum vocatur, & ſeptennio integro duravit. Eſt autem Abbatiſcella regio Helvetiæ in Alpibus, ſupra caput Acronii lacus ſita, quæ hodie una eſt ex pagis confœderatis, tum verò nondum fœdere tenebatur, ſed parebat Abbati S. Galli. Erat tum temporis Abbas Cuno à Stouffen, inter hunc & Abbatiſcellanos controverſiæ ortæ ſunt, de quibus cùm ſæpe judicio contendiſſent, tandem armis quoque contendere cœperunt. Abbati conjunctæ erant urbes ad lacum Acronium, Abbatiſcellani quoque in hoc fœdere fuerant, ſed Abbatis opera exempti ſunt. Ex his oppidis collecto exercitu Abbas congreſſus cum Abbatiſcellanis, ingenti prælio vincitur. Cives oppidi S. Galli poſt hanc pugnam ſocietatem cum Abbatiſcellanis fecêre, & præterea Suitii. Abbatis partes

partes tuendas Dux Auſtrius ſuſcepit. Abbatiſcellani verò aliquot præliis ſuperiores, vicinis regionibus longè lateque in poteſtatem redactis, everſis multis arcibus Nobilium, captis nonnullis civitatibus, coëgerunt tandem Abbatem pacem petere, ſalva ipſis libertate relicta.

Nauclerus Geneſ. 47. pag. 268. Circiter annum M CCC XCVII. Abbacellenſes defectionis ſuæ materiem quæſière. Iſti Abbacellenſes fuerunt homines ipſius monaſterii, ſed, ut prædictum eſt, ab eo defecerunt, recuſaverúntque Abbati & monaſterio ſolita & conſueta præſtare ſervitia: ſed nec ſtüram, cenſus aut redditus debitos ſolvere curabant, prætendentes ſe prægravatos & indebite tractatos: unde Abbas, ut rebellionem eorum domaret, ligam fecit cum VII. civitatibus imperialibus circa lacum, Conſtantia ſc. Vberlingen, Lindou, Ravenſpurg, Wangen, & ad S. Gallum. Cùm his Abbas ducens adverſus hos ruſticos, qui confugientes ad montana, & lapidibus uſi de monte celeri curſu deſcendentes, in fugam verterunt exercitum Abbatis & civitatum dictarum, interfeceruntque CC L. ex eis. Hac victoria potiti ligam fecerunt cum Suitenſibus & Glariſſis, invaſeruntque vicinos nobiles, quorum ſubditos induxerunt ad rebellionem, itaque pari modo ſervitia, cenſus aut redditus debitos præſtare recuſaverunt, nec finem fecerunt: unde coacti nobiles, invocabant ducem Auſtrtæ, ut eis ſuccurreret, attentoque pro majori parte ſui eſſent miniſteriales. Erat rebellio hæc ſatis moleſta Principi, & libenter abſtinuiſſet, ſciens, quæ antea paſſus fuerat à ſuis propriis hominibus, adhæſeruntque multi Abbatiſcellenſibus. Tandem tamen victus prece nobilium & civitatum prædictarum, Anno M CCCC IV. in vigilia corporis Chriſti duxit exercitum juſtum contra oppidum S. Galli, quod fovet partes Abbacellenſium, & dum vaſtare cœpiſſet agrum, ac ſine ordine hinc inde palarentur Auſtrii milites, excurrentes Abbacellenſes, occiderunt aliquot notabiles viros, ex eis comitem Hermannum de Tierſtain, de Lan-

denberg militem, Hermannum de Clingenberg militem, Iohannem de Halvyl & nonnullos alios. Cum his ruſticis confœderabat ſe Rudolphus Comes de Werdenberg, qui ſine armis & equo pedes ſequebatur ruſticos. Nam dux Auſtriæ Fridericus eundem paulò antè fugârat è patria. Ordinavit autem idem dux mille ducentos viros ex ſuis nobilibus & civitatibus ligæ, qui Abbatiſcellam expugnare debebant, hi cùm venirent ad clusam, eam aperiunt, & ingrediuntur: hoc videntes Abbacellenſes, qui fuerunt vix quadringenti numero, de præcipiti monte curſim deſcendunt, adverſus aſcendentes, & eos lapidibus miſſis laceſſunt, ex eisque in fuga occiſi ſunt trecenti & quinquaginta ad minus. In iſtis diebus habebant confœderati ligam juratam cum duce Auſtriæ, & nihilominus aſſiſtentiam fecerunt Abbacellenſibus, gloſſantesq; ſingulares aliqui ad iſtos declinarent non juſſu aut permiſſu ligæ. Sed excuſare ſe non poterant, quia terras, & alia de domo Auſtriæ, ab ipſis Abbacellenſibus recipiebant. Circa hæc tempora duxerunt Abbacellenſes in Marcam, quæ erat ducis Auſtriæ, & eam oppreſſam dono dabant Suitenſibus, à quo tempore tota Marca defecit ab Auſtriæ domo, cùm antea per multa tempora Suitenſibus reſtitiſſent. Anno igitur M CCCC VI. prædicti Abbacellenſes multas injurias Auſtriæ intulerunt principibus. Eodem anno Abbacellenſes XXXV. caſtra metati ſunt contra duces Auſtriæ, regnabantque in magna ſuperbia, prætendentes omnium ſupplantare dominia: placuit hoc vicinis ruſticis, ex quibus multi deficientes à ſuis dominis, illis adhæſerunt, tunc tota vallis Rheni, cum Abbacellenſibus conjurabant. Videntes hoc nobiles nonnulli ſe cives fecerunt Duregi, relicto duce Auſtriæ, quem tamen precibus antea induxerant, ut belligerare contra prædictos ruſticos cæperat. Et quamvis ipſe dux contemplatione nobilitatis tutandæ onus belli agnoverat, ipſi tamen nobiles hoc non attento ſtipendia ab eodem duce ad opus prædictum exigebant, prout hoc in longum deſcribit materna lingua Eberardus Miller, miles & Sculte-

Scultetus Thuricenſis. In illis diebus oppidani de Winterthur cives facti ſunt in Durego: fertur tamen id falsò peractum. Nam Hermannus Comes de Sulz, provinciæ Auſtriæ advocatus, propterea Sculterum in Winterthur ſubmerſit in flumine. Circa annum M CCCC VI. obſederunt Abbacellenſes Brigantiam prætendentes, ut ferebatur, quòd expugnatis Brigantinis non vellent quieſcere, donec omnem extirparent per totam Sueviam nobilitatem: nam civitates imperiales illis, ut prædictus Eberardus ſcribit, plurimum favebant. Erat tum in caſtro Brigantino Guilielmus ejuſdem loci Comes, unde convenerunt Epiſcopus Conſtantienſis, Comes Rudolphus de Montfort, & militia de vicinia, cum ſatis juſto exercitu, ducebantque contra obſidentes pro liberatione obſeſſorum, factâ pugnâ in fugam vertuntur ruſtici, dimiſſis tormentis, machinis, & impedimentis ſuis. Deinde anno M CCCC VIII. in die S. Hilarii, cùm eſſet frigus intenſum, obſident Abbacellenſes rurſus Brigantiam, quos tamen inde fugârunt auxiliatores comitis Guilielmi, occiſis ferè omnibus, de quo latius ſequitur. Anno M CCCC VIII. Abbacellenſes, cùm multa caſtra nobilium deſtruxiſſent, obſederunt in menſe Ianuario caſtrum Brigantiæ, ubi quaſi omnes gladio ſunt extincti per Guilielmum Comitem Brigantinum, & auxiliatores ſuos. Et ecce Berengarius Nobilis vir de Landenberg magna voce clamâſſe fertur, interficiamus mulieres cum parvulis ſuis, ne fortè vivendo repullulent in perniciem nobilitatis, quæ per continuum ſeptennium graviſſima damna ab his fuiſſet perpeſſa.

2. *Bilitionenſe.* Siml. l. 1. p. 58. Anno 1422. Helvetii exercitum per ſummas alpes in Lepontios Bilitionum duxêre, oppidum hoc à Comite Monſaxio venditum tribus pagis Helvetiorum, dux Mediolani, qui ad ſe id ſpectare contendebat, per inſidias interceperat: ideoque illius recuperandi cauſa aliquoties Helvetii exercitum trans alpes duxerunt, primum hoc anno, quem diximus, deinde anno M CCCC XXV. & ſequenti quoque, ac oppidum quidem capere non potuerunt, vicinas

tamen valles quæ ad ducem Mediolani ſpectant longè lateque vaſtârunt. *Suizerus* ann. Ch. 1422. Dux Inſubrum Bilitionum capit, quod Helvetii rurſum obſident, & 900. Inſubrorum cæſis, vexillum Mediolanenſe capiunt. Ceciderunt in eo prælio Helvetiorum 375. Alii tamen aliter, ut monuimus ſup. p. 281.

3. *Lepontinum.* Siml. p. 61. Proximo anno poſt bellum Burgundicum, pugnatum eſt ab Helvetiis contra ducem Mediolanenſem in Lepontiis, ad pagum Iornico nomine. Cauſa belli fuit, quòd Lepontinæ vallis incolæ, qui Vraniis parent, conquererentur de quibusdam injuriis vicinorum, quòd veteri poſſeſſione & fructu quarundam ſylvarum ab illis pellerentur, cùm autem legati Helvetiorum hanc controverſiam non potuiſſent componere, Vrii evocatis in auxilium confœderatis ſuis, exercitum Bilitionum duxerunt: ſed cùm ingruente hyeme id obſidere non potuiſſent, præſidium ſexcentorum hominum Lepontinis in pago Iornico reliquerunt, hos adorti ſunt Mediolanenſes inſtructiſſimo exercitu, verùm ipſi occupatis anguſtiis locorum 1400. occiderunt, reliquos è Lepontina valle profligârunt. Pugnatum eſt circa Idus Nov. Anno 1478. ac proximo Decembri opera Regis Gallorum pax inter Mediolanenſes & Helvetios facta eſt.

XXVIII. B. Ab Helvetiis contra Helvetios, cujusmodi eſt

I. *Bellum Tigurinum. Simler.* lib. 1. p. 58. Cæterùm anno 36. poſt milleſimum & quadringenteſimum, graviſſimum bellum civile, Auſtriorum potiſſimum artibus & opera, in Helvetiis conflatum eſt, primùm quidem inter Tigurinum pagum & Suitium, cui poſtea ſeſe omnes fœderati junxerunt, ac Auſtrius Princeps, qui primò ſeſe Suitiis junxerat, poſtea cum Tigurinis fœdus fecit, & illis ſuppetias tulit. Pugnatum eſt aliquoties, urbs quoque Tigurina ab Helvetiis obſeſſa eſt: ſed nullum magis memorabile prælium eſt, quàm quod propè Baſileæ mœnia decertatum eſt, anno 1444. die 26. Aug.

Ad-

Adduxerat in Sequanos & Rauracos numeroſiſſimum exercitum Ludovicus primogenitus filius Regis Gallorum, qui poſtea Rex fuit hujus nominis XI. partim à Papa Eugenio ad diſſipandum Concilium Baſileenſe, partim à Friderico Imperatore contra Helvetios vocatus, cum hoc ingenti exercitu mille ſexcenti Helvetii congreſſi maximam ſtragem ediderunt, & ipſi quidem occubuerunt, ſuperati multitudine hoſtium, ſeu ita attriverunt hoſtium exercitum, ut mox relicta Germania in Galliam redierint; ſic, ut hæc pugna memorabilis Lacedæmoniorum prælio ad Thermopylas comparanda videatur, ob inſignem ferocitatem paucorum militum, qui pro totius patriæ, imò Germaniæ ſalute, contra innumerabiles pene hoſtium copias pugnârunt. Sæpe hoc bello induciæ factæ ſunt, ideóque annos ejus alii aliter numerant, & vulgò Septennale dicitur: Sed initia belli jacta ſunt anno 1436. & firma pax facta & confirmata eſt anno Domini 1450. Proximo anno poſt pacem factam Abbas S. Galli fœdus fecit cum 4. Pagis Helvetiorum.

Nauclerus, Gen. 49. p. 281. Dum hi motus in regnis pluribus flagrarent, etiam Germani ſuis armis inquieti fuêre, Suitenſes inteſtinas ſeditiones concitârunt, aggreſſi Duricenſes, fœderis neglecti causâ. Rem geſtam hoc modo ſcribunt: Olim an. Dom. M CCC LII. prædicti Suitenſes cum multis ſibi confœderatis inierunt confœderationis ligam cum Duricenſibus perpetuò duraturam, & taliter exſtitit proviſum à partibus, qui inveniri non poſſet modus, quo prædicta confœderatio valeret dirumpi. Erant hæc patentibus cyrographis, & neceſſariis cautelis, partiúmque ſigillis confirmata atque jurata. Fuit autem in hac confœderatione expreſſè cautum, ut quælibet pars ſeorſum confœderare ſe poſſet, ſalvo prioris confœderationis ligamine, cum quibuscunque principibus civitatibus aut univerſitatibus. Exceptum erat, vel ſaltem excipi debuerat imperium, & Imperator, maximè, cùm Duricenſium civitas ſit imperialis. Hâc ligâ per centum & amplius annos continuatâ, ſubortæ ſunt inter eos diſcordiæ haud contemnendæ, quamob-

rem cives Duricenſes circa annum Domini 1433. ſe cum illuſtriſſima domo Ducum Auſtriæ, ſalva tamen priori confœderatione, perpetuò colligârunt. His ita concluſis Suitenſes cæteriq; confœderati cœperunt indignari Duricenſibus, quos & requiſierunt, ut novam confœderationis ſponſionem dimitterent, vel ſuper ea coram ipſis juri ſtarent. Non obſtante Duricenſium exceptione legitima, aſſerentium, quod contra eorum ligam non feciſſent, & id conſtaret ex literis patentibus, quibus cavebatur, qui quilibet partium ligæ ſe liberè cum aliis quibuscunque & quandocunque confœderare poſſet ſalva prioris confœderationis obligatione (prout & Bernenſes nuper cum civitate Baſileenſi, & quondam cum Duce Sabaudiæ ſe colligavêre.) Obtulerunt ſe quoque iidem Duricenſes ad ſtandum juri coram Bernenſibus & Solodorenſibus, eorundem Suitenſium confœderatis, & pluribus aliis Principibus & univerſitatibus. Nihilominus, Suitenſes ipſi minus contenti de his oblationibus, & niſi coram ſuæ univerſitatis tribunali juri ſtarent, bella ſunt comminati. Interea illuſtriſſimus Princeps Albertus Dux Auſtriæ, pro parte ſuæ domus, & ducum Auſtriæ petivit terram, quæ dicitur Ergoja, cum multis caſtris, ac oppidis per dictos confœderatos ante per annos multos violenter occcupatam, quam terram confœderati nec reſtituere, nec coram competenti judice ſuper his juri ſtare voluerunt: Gladio, inquiunt, quæſivimus, nec niſi gladio compulſi reſtituemus. Quid plura? Suitenſes cum ſuis confœderatis omnes ad arma habiles feruntur juraſſe, quod quantum per ipſos ſtaret, quod bella atque lites contra principem Auſtriæ, nec non cives Duricenſes, non ante finirent, niſi prius prædictos Duricenſes ad dimiſſionem confœderationis cum dicto principe & domo Auſtriæ nuper confirmatæ, & ad reſtitutionem cyrographi ſuper confœderatione confecti, & ad ſtandum juri coram eis compuliſſent. Feroces populi mox cum ſuis confœderatis, ſecluſis tamen Bernenſibus & Solodorenſibus, in Duricenſes, qui ab eorum liga deſciviſſent comparato exercitu in eorum agrum

cuncta

cuncta devaſtantes exivêre anno Domini 1443. Quibus cum Duricenſes prælio congredi præſumpſiſſent,uſque ad internecionem cæſi ſunt ab ipſis Suitenſibus. Id factum eſt propè Capellam S.Iacobi leproſorum extra muros Duricenſes. Ibi enim, ut aliqui referunt, cives cum ſuis pauſabant,deliberabántque. Ex tunc quadringenti viri per Suitenſes ordinati præcurrentes, ſigno, quo nobiles ac Duricenſes,videlicet rubea cruce,utebantur,falſo aſſumpto,tanquam amici illius permixti ſunt, initáque pugna hi fugam faciunt,ſecúmque ad fugam multos trahunt. At ubi ejus opportunum viſum fuit improviſos intra capellam, & extra manentes crudeliter occidunt. Tanta verò in victos crudelitas ac rabies fuit, ſicut refert Æneas Sylvius,ut eo in loco partæ victoriæ epulantes congeſtis necatorum corporibus menſas & ſedilia ex illis appararverint,& aperientes hoſtium cadavera cruorem biberunt,corda dentibus lacerantes. Nonnulli tamen ex illis anno ſequenti, hoc eſt, 1445. juxta leproſorium S.Iacobi extra portas Baſileenſes ejus crudelitatis,ut creditum eſt à quibusdam,pœnas ſolverunt.

Gerardus de Roo, pag.197. Anno 1444. Helvetiorum civitates, quæ Suitenſium partes contra Tigurinos ſequebantur, miſſis certatim nuntiis, eos ſollicitabant,ut fœderi, quod cum Auſtriacis principibus habebant,renunciarent,neque vicinorum in ſe odia & arma excitarent. Tigurini, in nullius injuriam, aut contumeliam fœdus abs ſe factum,reſpondent,quod ſervare,uti jurati ſint,ita in animo haberent. Itaque res in apertum bellum erupit. Erant apud Tigurinos Iacobus Hochbergicus Marchio, & Ludovicus Comes Helfenſtainius,cum multis nobilibus,ad octingentos quadraginta quinque equites,peditum verò duces erant Iohannes Rechbergicus, Thuringius Halovilius, & Burcardus Monacus, viri ſtrenui. Præter hæc præſidia ab Auſtriacis miſſa ab initio ſperaverant Tigurini acceſſuras, & ab Helvetiis nonnullis copias auxiliares,hi verò omnes ob Auſtriacum fœdus,ab illorum ſocietate diſceſſerant. Excitantur utrinque villarum, pagorum, ac prædiorum incendia,

dia,ſollicitantur ad defectionem,arces ac oppida: nonnullæ ſe dedunt,aliæ vi expugnatæ, quædam etiam in favillas redactæ ſunt. Tandem ſub Iunii menſis finem, Helvetii omnes Tigurum urbem obſidione cinxêre. Non longo tempore pôſt,Ludovicus, Caroli Regis filius (Delphinum vocabant Principem à Rege dignitatis gradu ſecundum) cum triginta pugnatorum millibus,rectà Baſileam ire perrexit. Adventus ejus cauſæ feruntur duæ. Sunt,qui ab Auſtriacis accerſitum affirmant,ut Tigurum obſidione ſolveret, ac Helvetiorum contumaces ſpiritus frangeret. Alii Eugenii artibus evocatum eſſe dicunt, uti Concilium Baſileenſe diſturbaret. Huic obviam profecti Helvetii,dum pauci cum plurimis egregiè pugnant,propè ad unum cæſi,multo ſuorum ſanguine victoriam emptam,reliquêre raro exemplo & quod cum Spartanorum conflictu ad Thermopylas conferre poſſit; numero enim Galli hîc ut illic Perſæ,ſuperiores extitêre. Ad Tigurum quoque malè ab Helvetiis pugnatum,& obſidione urbs ſoluta eſt.

Felix Faber, de obſidione plura urbis Tigurinæ,& clade ad S.Iacobum, quam de occaſione, origine & ſucceſſu belli ſcribit. Addam tamen ejus quædam, tanquam authoris ζυγχρόνυ verba ex Hiſtor. Suev. lib. 1 pag.144. Hoc autem Swiceris videbatur intolerabile, ut oppidum fortiſſimum Thuricenſe,per quod eſt introitus & exitus in terras hoſtium eorum, & per quod nobiles inimici eorum eis obſtaculum præſtare poſſent, ne ad placitum in terras extra montana ſe diffundere valerent. Iccirco inceperunt graviſſimis injuriis civitatem Thuricenſem vexare,& undique moleſtare non paucis annis. Cùm autem Swiceri viderent,cives Thuricenſes tribulationibus eorum non frangi, congregati omnes armata manu contra civitatem Thuricenſem properaverunt,& eam per duos menſes & tredecim dies obſederunt,anno Domini 1443. In die autem Sanctæ Mariæ Magdalenæ decreverunt ſimul committere bellum juxta Capellam S. Iacobi,ubi leproſorium eſt in campo ultra Limam fluvium. Swiceri autem injuſtiſſima

ma fraude uſi, ultra quadringentos de ſuis ſignaverunt ſigno nobilium & Thuricenſium, rubeis videlicet crucibus, abſcondentes albas cruces proprias. Dum ergò nobiles & Thuricenſes audacter de civitate erumperent contra inimicorum cuneos,adjunxerunt ſe eis Swiceri illi, fallacibus ſignis ornati, & dum congrediendum eſſet, ſimulabant mendaciter ſignati fugam, alióſque fugere ſecum cogebant. Quos Swiceri ſecuti cædebant eos,& in capella Sancti Iacobi plures occiderunt, & ſic decepti cæſi & proſtrati ſunt multi Nobiles,& maximè cives Thuricenſes,inter quos & pater meus diu cum aliis ſtans juxta fluvium, ſeque defendens occubuit ſanguine mercatus æterna præmia,de quo minus dubito,quàm ſi in lecto mortuus fuiſſet,quia dicit Leo Papa & habetur 23.q.8. ſi quis pro veritate fidei & defenſione patrię mortuus fuerit,à Deo cœleſte præmium conſequetur. Hoc etiam probat lex civilis ff. de injur.& Tullius inquit,nullum eſſe periculum,quod ſapiens pro ſalute patriæ arbitretur vitandum. Et Ariſtot.3.Ethicor. Principaliter, inquit,dicetur fortis, qui contra bonam mortem erit impavidus pro defenſione patriæ. Hac virtute fortitudinis genitor meus ornatus ſtetit imperterritus, nec fugam cum aliis formidoloſis iniit, ſed cum fortibus manens uſq; ad mortem certavit contra hoſtes, eligens potiùs glorioſè mori,quàm ignominioſè fugere,exemplo Eliazari 1.Maccab.& Codri Regis Athenienſium,& Mutij Romani & ſuorum CCC.ſociorum.

2. *Bellum Sangallenſe & Abbatiscellanum poſterius*, de quo Simler. lib. 1. pag.70. An.Chr.1490. aliud civile bellum in Helvetia exortum eſt. Abbas S.Galli novum cœnobium Roſaci ædificare cœperat; & illud jam penè abſolverat: hoc ægrè ferentes cives S.Galli, Abbatiscellani, & ſubditi imperio Abbatis, tum quòd nollent, religione ducti, oſſa & reliquias S.Galli loco moveri, tum quòd metuerent ne uberrima Negotiatio linificii ab ipſis Roſacum transferretur,& conſpiratione facta, ſubitò armati confluunt, & novum ædificium diruunt. Abbas verò hac injuria commotus,quatuor pagos

gos,quibus fœdere junctus erat,in auxilium evocat: ſex alii pagi ſequeſtri pacis, S. Galli cives cum fœderatis ipſorum hortantur,ut jure cum Abbate contendant,verùm cùm illi oſtenderent ſibi atrocem injuriam contrà vetera privilegia, novi cœnobi ædificatione illatam, ideo ſe juſtam cauſam habuiſſe eorum quæ fecerint,neque tamen ſe jure ſiſtere vellent,quatuor pagi quibusdam aliis in ſocietatem aſcitis copias in Turgeam duxerunt: ſed bellum hoc abſque ſanguine confectum eſt: primi omnium Abbatiſcellani pacem cum Helvetiis fecerunt,& Rheguſcorum vallis illis eſt adempta: poſteà obſeſſa urbe S.Galli, pax inter ipſos & Helvetios facta eſt,opera Georgii comitis Sarunetum, & Gaudentij comitis Mætſchij, atque Conſtantienſis Senatus: ſubditi quoq; Abbatis pecuniâ multati in gratiam recepti ſunt.

XXIX. C. Ab Helvetiis vel omnibus, vel plerisque,pro Confœderatis exteris, Pontifice præſertim; ejúsque in repetendo Ducatu Mediolanenſi ſociis, Imperatore, & Duce Mediolanenſi; atque Rege Galliarum.

XXX. Pontificiæ expeditiones potiſſimùm numerantur [a] duæ; [b] reſtitutione Ducatus Mediolanenſis, præliisque [c] NOVARENO & [d] MARIGNANNO celeberrimæ.

(a) Ita diſtinguit *Stumpfius*. Prima incidit in annum Chriſti 1510.ab omnibus ſuſcepta Helvetiis: ſecunda in annum 1521. Tigurinorum maximè & Tuginorum. Placet tamen paulò fuſiùs enarrare, quoties ſuperioribus ſeculis Helvetii arma pro Pontifice, Imperatore, atque Mediolanenſi Duce ſumſerint, Spræcheri, quod perſpicua brevitate ſe commendet, Palladem ſecuturi.

An-

Anno 1496. Carolo, Italiam ingredi volente; Ludovicus Maurus, Dux Mediolani, Imperatorem Maximilianum, & Papam Alexandrum, in auxilium, contra illum vocat: qui, ſub prætextu, ac ſi contra Vrſinos iis opus haberet, 4000. confœderatos conſcribit.

Anno 1500. die 17. Ian. Galeatius Vicecomes, Ducis legatus, Curiam Rhætorum venit; & ex Rhætia, atque etiam Helvetia, præſertim ex iis, quibus ſtipendia à Ballivo non erant perſoluta, 5000. (contra ſevera tamen magiſtratus edicta) conſcribit: horúmq; & Cæſareanorum ope, in recuperanda majore Ducatus parte, utitur.

Anno 1513. Maximiliano Imperatori in obſidenda urbe Divione in Burgundia, Confœderati cum exercitu præſtò fuêre.

Anno 1510. poſt Fœdus inter Iulium II. Pontificem Max. & Confœderatos Helvetios & Rhætos, opera Matthæi Schineri, Cardinalis & Epiſcopi Sedunenſis, initum, 6000. ex iſtis (contra Alfonſum, Ferrariæ Ducem, ut ille ajebat) in Italiam educuntur: ſed eorum opera Gallos Mediolano pellere conabatur. Galli, dolo cognito, ſe muniunt, Confœderatorum exercitus, absque juſſu Magiſtratus, & præter tenorem fœderis, ulterius progredi recuſat: moxque à ſuperioribus ſuis revocatus, nullis receptis ſtipendiis, domum revertitur. Et quanquam anno 1512. multi ex Confœderatis, Pontifici Max. ob non ſoluta ſtipendia, irati, Gallicas partes ſequuti; prælio ingenti ad Ravennam, ipſo die Paſchatis, interfuerint: & cum Gallis de victoriâ gaudentibus, optima præda onuſti, domum redierint; paulò poſt tamen eodem anno 20000. Confœderati, auſpiciis ſummi Pontificis in Italiam veniunt: & cum Venetis, qui Papæ jam reconciliati erant, conjuncti, Cremona & Ticino urbibus, primo impetu captis, Gallos toto Mediolanenſi Ducatu ejiciunt; ſic, ut præter arcem Mediolani, nihil illis reliquum manſerit. Helvetii, Ciſalpinas provincias, Luganum, Locarnum, Mendriſium, & Vallem Madiam; Rhæti, Volturenam, Comitatum Clavennæ & Bormium, Pontificis juſſu, recuperant.

Anno

Anno 1513. die 6. Iun. 4000. Confœderati non exſpectato auxilio Vlderici Baronis ab Alto Saxo, & aliorum 8000. Confœderatorum, Gallicum exercitum, ex prima nobilitate & ſelecta turba conflatum, (ſub ducibus Ludovico Trimolio, & Ioh. Iacobo Trivultio, contra Maximilianum, Mediolani Ducem, cui Confœderati ex fœdere inſerviebant) ad Novariam, ingenti prælio ſuperant: hoſtium circiter 8000. occiſis; gloriâ perpetuâ cum præda opima, exinde reportata. Confœderatorum 1800. tunc cecidêre; plerique tormentis bellicis, contra quæ audacter currebant, petiti. Præ cæteris, virtus & conſilium Iacobi Mottini, ex Valle Lepontina oriundi Helvetii, & glorioſa ipſius mors, celebratur.

Anno 1515. die 13. Sept. pugna cruenta ad Melignanum (non procul ab urbe Mediolani, ad S. Donatum, major conflictus erat) inter Franciſcum Galliæ Regem, & Confæderatos Helvetios ac Rhætos, Maximilianum Mediolani Ducem tutantes, exſtitit: biduo pugnando conſumpto. Confœderati pridie victores, poſtridie ſuperveniente in Regis auxilium Venetorum exercitu, non tam victi, quàm deſtituti, qui latera tegeret, equitatu, nuſquam interruptis ordinibus, tormentis etiam bellicis conſervatis, & ſauciis ſecum aſſumptis, loco ceſſêre 5000. ſuorum deſideratis; & fruſtrà exſpectato, Cæſaris Maximiliani, cum ſummi Pontificis promiſſo auxilio, domum tandem rediere. Ita Mediolanum, & cætera Inſubriæ loca, in Gallorum poteſtatem venêre. Ex Rhætis, inter alios, ſtrenuè pugnando, tunc occubuêre, Rudolphus à Salis, longus ob proceritatem vocatus, & longâ militiâ clarus; Lucius item Gugelberg à Mooſs, Conſul Curienſis, qui anno 1499. in bello Suevico, pro patria multa prudenter geſſerat.

Anno 1516. Cæſar Maximilianus Mediolanum recuperare tentans, per juga Rhætica ac Volturenam iter inſtituit. Helvetiorum tunc quidam & Rhætorum copias magno numero ſecum habuit. Sed cùm exercitui Confœderatorum minus fideret, & nervo etiam belli deſtitueretur, re infecta ad ſuos rediit.

Anno

Anno 1521. Leo Decimus, Pontifex Romanus odio Gallorum, Franciſcum II. Sfortiam, Ludovici filium, Mediolanenſi Ducatui reſtituere conatus, aſtutia Cardinalis Sedunenſis, Confœderatos de Milite interpellat, eò ad oppidorum, Parmæ, Placentiæ & Rhegii, cuſtodiam ſe uſurum ſimulans: (Contra Gallum enim, ne pacem perpetuam, anno 1516. initam, violarent, Magiſtratus militem denegabant) eum tamen in Italiam perductum, occupando Ducatui Mediolanenſi deſtinat: (aliis extra fines ditionis Papæ proficiſci conſtanter recuſantibus) Gallos expellit: Franciſcum Ducem reſtituit: & voti compos factus, præ nimia lætitia moritur.

Anno 1525. Pontifex Max. & Veneta Respub. ex tenore fœderis cum Gallo initi, Helvetiorum & Rhætorum copias conſcribunt: quibus Octavius Sfortia & Ioh. Iacobus Mediæus duces dati. Hi cùm in ſtatum Mediolani perveniſſent, mox iterum dimiſſi fuêre.

Anno 1526. auſpiciis Confœderatorum Regni Galli Helvetiorum & Rhætorum cohortes Florentiam uſque proficiſcuntur: ut Clementi VII. ſummo Pontifici contra Cæſarianos & Columnenſes, auxilio eſſent.

(*b*) Non ſemel Helvetius miles Mediolanenſi Ducatui fuit fatalis. An. Chr. 1411. Helvetii ſecundam in Mediolanenſem Ducatum expeditionem ſuſcipiunt, expugnatisque arcibus quibusdam, & regione depopulata, domum revertuntur. Vertente poſtea ſeculo, anno 1512. toto recuperato Ducatu, Ducem reſtituunt; id quod modò ex Spræchero, & ſup. p. 288. ex *Schvvizero* monuimus.

(*c*) Atqui de hoc quidem prælio breviter agunt *Calviſius* & *Buchholtzerus* an. Chr. 1513. paulò fuſiùs *Bzov.* an. Chr. 1513. S. 13. *Ad Novariam pugnatum eſt circiter duas horas; cecidêre ex hoſtibus ad X. M. omnia impedimenta, viginti duo majora tormenta, cum omnibus equis, tormentorum uſui deſtinatis in victorum poteſtate remanſerunt. Victores, tanquam triumphum ducentes, eodem die Novariam redierunt; quo facto tantum ſibi apud cunctos mortales nomen conciliârunt, ut*

multi conſilij magnitudine, mortis evidentiſſima contemtione, in pugnando virtute, & exitus felicitate expenſis, hoc facinus, omnibus ferè præclaris Græcorum & Romanorum geſtis, anteferre auderent. Idem & Epiſtolam, quâ Helvetiis victoribus Leo X. eſt gratulatus, habet Sect. 21. Omnium verò fuſiſſimè rem geſtam narrat A. Paulus Iovius, Hiſt. l. XI. p. 167. Eo modo Helvetii nemine hoſtium, qui contrà iret, in itinere conſpecto, Novariam pervenerunt, magnáque gratulatione & lætitia omnium, quum donati vino largiter jentaſſent, vix unius horæ ſpatio ad quietem deſumpto, novi duces in conſilium deſcenderunt. Nam priores, ut qui antea moveri retro caſtra reducique tormenta conſpexiſſent, jam hoſtes ad Riottam conſtitiſſe didicerant: edoctique ab incolis de natura loci ſitúque camporum, & de vado, ripa, & flexibus decurrentis amnis, priusquam hoſtes ab urbe longius recederent, confeſtim audendum, fortibúsque animis invadenda caſtra judicabant: vel exigua namque mora hoſtem emitti è manibus rebantur, quòd non poſtea, ut æqua conditione confligerent, occaſionem eſſent reperturi. Nam aliâs quoque Gallorum cohortes, aliásque turmas equitum adducente Stuardo Albaniæ regulo, alpes tranſiſſe cognoverant: quæ copiæ magno incommodo ipſis adverſæ forent, hoſtibus verò peropportunæ, atque adeò tanquam utiliſſima ratione bellum trahentibus expectandæ cenſerentur. Tum verò exſurgens Craſſius Tigurini pagi magiſter, vir eximiæ authoritatis: Nolite, obſecro invicti fratres (inquit) differendo committere, ut conſilium ingentibus animis ſuſceptum importuna Altoſaxi atq; auxiliorum expectatione corrumpatur. Id n. una maximè celeritate tutum & eventu felix evadet. Nec quicquam aliud nobis rectè & naviter decernentibus, quàm maturè facto opus eſt, ne tantæ occaſioni, quæ in hanc ſpem rei benè gerendæ nobis offertur, & levi temporis momento præverti poteſt, nequaquam impigrè deſimus: ſatis nanque erunt, vel paucæ cohortes invictæ virtutis ad opprimendos hoſtes, dum nihil nos antè auſuros, quàm ſe conjunget Altoſaxus

toſaxus exiſtimant. Vicimus profectò,ſi victoria egregio conſilio concepta atque explorata,intrepidis animis & fortibus dextris quæratur. Tum verò cuncti ad unum duces atque ſigniferi nullam moram ſibi afferunt,quin peroranti Craſſio ſtatim accedant: de ratione ineundæ pugnæ graviter decernunt, edicitúrque militibus,ut cibo & quiete corpora curent,& poſt ſecundam vigiliam ad vexilla coëant: quid fieri velint ante auroram Duces imperaturos. At Maximilianus,qui dudum legiones paternæ proditionis recordatione ſuſpectas,ipſoſque eoſdem hoſtium geminos Duces,qui patrem cepiſſent,tanquam deſtinante fortuna ad exitium Sfortiani nominis datos,illos quoq; recentis adhuc perfidię memoria infames infanus campos,tanquam ſibi fatales aſpiciens anxio fatiſcentique animo ſuprema volutabat: tum primùm ſeſe erigere confirmaréq; : præclarum ergà ſe gentis ſtudium,tantúmque animorum ardorem admirari: complere ſingulos centuriones, hiſque prolixè teſtari, quibus Imperium,fortunas ſalutémque deberet,gratias ingentes relaturum. Sed dum intentis omnium animis in eventum futuræ pugnæ arma pararentur, & Sol jam in occaſum inclinaret,mirum dictu, & quod memoriæ prodendum videtur,Gallorum canes relictis caſtris magno continentique agmine Novariam intrârunt,admiſtique Helvetiis,qui in ſtatione erant,eorum crura lambere,caudas adulanter quatere,demiſſiſque blandè auribus ſingulis applaudere cœperunt,tanquam Helvetii jam ipſorum eſſent domini,aut certè futuri,ut mox apparuit. Primus omnium Iacobus Mottinus ex Altorfio, nequaquam agreſti ingenio vir,& Italicę gnarus linguę, tanquam auguralis diſciplinæ, uti ab eo eventu credi par eſt, non imperitus, omine accepto ad Maximilianum contendit, eique victoriam de Gallis eſt pollicitus,quòd à majoribus gentis eſſet obſervatum in auſpiciis præliorum,procul dubio eorum fore victoriam,ad quos hoſtium canes tanquam ex infelicibus caſtris ad tuta fortunatáque hoſpitia perveniſſent. Igitur Helvetii Duces ſimulando aliud,quàm quod parabatur,tym-

pana tota nocte pulſari & circumferri per urbem jubent: ut ſpeculatoribus,ſi qui adeſſent,exeundi ſpeciem præberent: ideóque hoſtes quos tota die in armis fuiſſe conſtabat, etiam nocte eadem inſtructos in equis diſtinerent. Cæterùm imperatur omnibus,ut cibo & ſomno corpora firment & lucem opperiantur: ut quisque Virtutem ſuam pulcherrima decoris contentione in præclara luce oſtenderet: nec ignavos porrò impunè terga vertere,aut deſerere ordines auſuros. Hæ ſiquidem Helvetiorum ſeveriſſimæ ſunt leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præ metu turpia atque indigna viro forti tentaverint,à proximis commilitonibus ſtatim obtruncentur. Ita major metus minorem vincit, & metu fœdæ mortis,decora mors non timetur. At paulò antè quàm diluceſceret,Duces ex omnibus copiis (erant eæ ad novem millia peditum) mille ſpectatæ virtutis deligunt, qui octo falconibus præſint, & Maximilianum equitésque ejus,qui admodum erant pauci, ſed primæ nobilitatis,comitentur. Reliqui in duas ſeſe acies pandunt, & diverſo itinere, nequaquam ſtrepentibus tympanis,ſilentique prorſus agmine ad hoſtes feruntur. At Trivultius,qui tametſi inveteratæ prudentiæ dux habebatur,paucos tamen feſſósque pedites antequam adveniret Altoſaxus,egreſſuros adverſus firmiſſimas copias, aut quicquam de fortuna prælii tentaturos non putabat,uti hoſtium aciem in conſpectu eſſe cognovit,Tramulium cæterósque duces excitat: ſigna canere,tormenta in adverſos collocari, & cuncta pro neceſſitate periculi, quæ uſu & diſciplina didicerat adminiſtrari jubet. Temporis tanta fuit exiguitas, hoſtiúmque tam paratus ad dimicandum animus,ut Galli equites vix ad frænandos equos & galeas induendas tempus habuerint: utpote qui magna parte diei & noctis intenti ad imperia in armis conſtitiſſent: & ſerò demum, quòd Novariæ pacata omnia nunciarentur, in tabernacula ad quietem ſe recepiſſent. Satis tamen opportuno tempore levis armatura equeſtris uti expeditior, extenſo ad lævam longiſſimo cornu, venientibus mille Helvetiis

occur-

occurrit, qui ut hoſtium tormenta declinarent, quòd his jam peterentur, ſinuoſo circuitu ad Moram fluvium contendebant: ut inde ponte ſuperato, terga hoſtium & tabernacula adorirentur. Erat enim is amniculus quanquam ſuo decurſu lenis, ſi vado tranſiretur, quòd mediam æquaret coxam, pediti calceato & jam pugnanti valde incommodus. Hunc Ludovicus Sfortia ab emiſſario Seſithis amnis ad ubertatem agri, indito ſuo cognomine, in ea prata deduxerat. Itaque Helvetii ad pontem patenti via procedentes tormentis hoſtium ex tranſverſo peti, ingruentéque per alveum & utramque ripam procella equitum vehementer premi cœperunt. Tum verò Mottinus præſenti animo conſilium mutat, & Maximilianum, qui inſultantibus Epirotis magno in diſcrimine verſabatur, pugna excedere, & continuò in urbem reverti jubet: ut belli caput acerbitati fortunæ expoſitum ſperatæ victoriæ conſervaret. Eum verò generosè renitentem, & ut ſe communis ſortis caſum ſubire pateretur conſtanti animo deprecantem, duo centuriones cum totidem manipulis fræno arreptum, & detractis caſſidè criſtis, indutáque vili chlamyde ut paludamentum tegeretur, ex acie ſubducunt, conglobatóque equitum agmine in urbem redire cogunt, ut inde periculo vacuus, ipſorum virtutis ſpectator, maturæ victoriæ nuncium expectaret. Itaque Mottinus ea ſollicitudine liberatus, nutantem ſuorum aciem, quæ jam tres falcones amiſerat, ſauciis in medium receptis componit, & vi facta magnóque impetu provectos Epirotas propellit, interfectóque ibi Alexio Boſigio nobili Græco Epirotarum alæ præfecto latè profligat. Eodem quoque impetu defertur ad hoſtium caſtra, cæſiſque lixis, & ſtationis militibus perturbatis, impedimenta capiuntur. Paulò autem antè quàm hæc à Mottino fierent, aliud agmen capto per adultæ ſegetis campos longiore itinere, parvóque ob id à tormentis accepto detrimento, in latus hoſtium impetum fecit. Conſtiterat eo loco Gallica acies tripartita: Hinc Tramulius, Robertus illinc cornibus præerant: Trivultius medium

pana tota nocte pulſari & circumferri per urbem jubent: ut ſpeculatoribus,ſi qui adeſſent,exeundi ſpeciem præberent: ideóque hoſtes quos tota die in armis fuiſſe conſtabat, etiam nocte eadem inſtructos in equis diſtinerent. Cæterùm imperatur omnibus,ut cibo & ſomno corpora firment & lucem opperiantur: ut quiſque Virtutem ſuam pulcherrima decoris contentione in præclara luce oſtenderet: nec ignavos porrò impunè terga vertere,aut deſerere ordines auſuros. Hæ ſiquidem Helvetiorum ſeveriſſimæ ſunt leges, ut ſub oculis ſpectantis exercitus, qui præ metu turpia atque indigna viro forti tentaverint,à proximis commilitonibus ſtatim obtruncentur. Ita major metus minorem vincit, & metu fœdæ mortis,decora mors non timetur. At paulò antè quàm dilucefceret,Duces ex omnibus copiis (erant eæ ad novem millia peditum) mille ſpectatæ virtutis deligunt, qui octo falconibus præſint, & Maximilianum equitéſque ejus,qui admodum erant pauci, ſed primæ nobilitatis,comitentur. Reliqui in duas ſeſe acies pandunt, & diverſo itinere, nequaquam ſtrepentibus tympanis,ſilentique prorſus agmine ad hoſtes feruntur. At Trivultius,qui tametſi inveteratæ prudentiæ dux habebatur,paucos tamen feſſóſque pedites antequam adveniret Altoſaxus,egreſſuros adverſus firmiſſimas copias, aut quicquam de fortuna prælii tentaturos non putabat,uti hoſtium aciem in conſpectu eſſe cognovit,Tramulium cæteróſque duces excitat: ſigna canere,tormenta in adverſos collocari, & cuncta pro neceſſitate periculi, quæ uſu & diſciplina didicerat adminiſtrari jubet. Temporis tanta fuit exiguitas, hoſtiúmque tam paratus ad dimicandum animus,ut Galli equites vix ad frænandos equos & galeas induendas tempus habuerint: utpote qui magna parte diei & noctis intenti ad imperia in armis conſtitiſſent: & ſerò demum, quòd Novariæ pacata omnia nunciarentur, in tabernacula ad quietem ſe recepiſſent. Satis tamen opportuno tempore levis armatura equeſtris uti expeditior, extenſo ad lævam longiſſimo cornu, venientibus mille Helvetiis

occur-

occurrit, qui ut hoſtium tormenta declinarent, quòd his jam peterentur, ſinuoſo circuitu ad Moram fluvium contendebant: ut inde ponte ſuperato, terga hoſtium & tabernacula adorirentur. Erat enim is amniculus quanquam ſuo decurſu lenis, ſi vado tranſiretur, quòd mediam æquaret coxam, pediti calceato & jam pugnanti valde incommodus. Hunc Ludovicus Sfortia ab emiſſario Seſithis amnis ad ubertatem agri, indito ſuo cognomine, in ea prata deduxerat. Itaque Helvetii ad pontem patenti via procedentes tormentis hoſtium ex tranſverſo peti, ingruentéque per alveum & utramque ripam procella equitum vehementer premi cœperunt. Tum verò Mottinus præſenti animo conſilium mutat, & Maximilianum, qui inſultantibus Epirotis magno in diſcrimine verſabatur, pugna excedere, & continuò in urbem reverti jubet: ut belli caput acerbitati fortunæ expoſitum ſperatæ victoriæ conſervaret. Eum verò generoſè renitentem, & ut ſe communis ſortis caſum ſubire pateretur conſtanti animo deprecantem, duo centuriones cum totidem manipulis fræno arreptum, & detractis caſſidè criſtis, indutáque vili chlamyde ut paludamentum tegeretur, ex acie ſubducunt, conglobatóque equitum agmine in urbem redire cogunt, ut inde periculo vacuus, ipſorum virtutis ſpectator, maturæ victoriæ nuncium expectaret. Itaque Mottinus ea ſollicitudine liberatus, nutantem ſuorum aciem, quæ jam tres falcones amiſerat, ſauciis in medium receptis componit, & vi facta magnóque impetu provectos Epirotas propellit, interfectóque ibi Alexio Boſigio nobili Græco Epirotarum alæ præfecto latè profligat. Eodem quoque impetu defertur ad hoſtium caſtra, cæſiſque lixis, & ſtationis militibus perturbatis, impedimenta capiuntur. Paulò autem antè quàm hæc à Mottino fierent, aliud agmen capto per adultæ ſegetis campos longiore itinere, parvóque ob id à tormentis accepto detrimento, in latus hoſtium impetum fecit. Conſtiterat eo loco Gallica acies tripartita: Hinc Tramulius, Robertus illinc cornibus præerant: Trivultius medium

agmen tuebatur, proximáque inter equitum acies Germanorum phalanx intra modicam foſſam ſe receperat, quòd vallum novi ac admirabilis artificii ad præliorum caſus, quo ſe includeret à Sedanio inſtitutum, in eo hoſtium improviſo ſuperventu defigi atque erigi nequiviſſet. In hanc itaque Helvetii, circumducta ad dextram acie concitatis animis ſe converterunt, quòd victoriam ſibi facilem tum fore intelligerent, quum hoſtilis exercitus præcipuum robur facto cuneo perrupiſſent. Id Galli duces è proximo conſpicati, tormenta ſtatim in confertos dirigi & lata ſtrage ordines perrumpi, mox in latus fatiſcentis agminis equites cataphractos vehementi impetu procurrere jubent. In eo tumultu Bernenſium tribunus in adverſum os pila verberatus, & Antius Aman Zuchius pugnantes cadunt: nihil tamen horum milites vel ducum morte, vel periculo ſuo, vel commilitonum horribili clade perterriti, ſeſe collectis viribus in globum è diſciplina componunt: equites magna vi propellunt, & ſtatim, uti antea decreverant, ſuperata foſſa Germanos adoriuntur. Ibi continuò cruentum & atrox prælium ſubortum eſt: nullæ tamen utrinque voces, ſed horrendus armorum fragor & ſummiſſi cadentium gemitus audiebantur. Germani, ut commilitones ſuperiore anno ad Ticinum cæſos ulciſcerentur, & ut belli gloriam ante quatuordecim annos apud Sylvam nigram in Rauracorum finibus amiſſam, novo decore redimerent, ardentiſſimè præliabantur. Helvetii verò, ut veteres & proprios hoſtes è Germania profugos, in contumeliam Cæſaris pro Gallo mercede pugnantes aliquando delerent, paribus animis & viribus decertabant. Interea dum collato pede cum Germanis res gereretur, Trivultio atque Tramulio impedimenta capta trucidatósque caſtrorum cuſtodes, atque omnia in tergo tumultu & cædibus compleri nunciatum eſt. Cujus rei fama adeò Gallorum animos turbavit, ut eo magna pars equitum, dum quisque ſollicite ſuis ſarcinis impedimentisque proſpiceret, ad recuperandam prædam ſine imperio convolarint. Parte quo-

que

que altera eodem penè temporis momento, tertia Helvetiorum acies à fronte ſeſe oſtendit. Quæ dum tormenta à Gallis in oppoſitam ſylvam fruſtrà emitterentur, quod inter arbores ad fallendum hoſtem inutiles miniſtros, qui armatorum ſpeciem facerent, aſtutè reliquiſſet, per obliquum ſenſim irrepſerat, inclinatis humi corporibus, & attractis per cuſpides majoribus haſtis, ut prætervolantes globos evitarent. Tanta fuit contemptio incidentium pilarum, & tantus incumbentium impetus, ut Galli & Cantabri pedites, cadente Aloiſio Beamontio ipſorum duce, & cum his cohortes duæ Ligurum & Sallaſſorum celeriter cæſæ fuſæque ſint, & capta inſuper tormenta victores in fugientium terga converterint. Quod ubi conſpexêre cæteri equites, tormenta ſcilicet ab hoſtibus occupata, in quibus Galli ſemper plus fiduciæ, quàm in dextris atque virtute omnibus bellis poſuiſſent, deletos jam propè Germanos, tentoria capta, atque hoſtes ſternere omnia, & campo latè potiri, inter pudorem & metum terga verterunt. Duces perculſis omnibus, ipſi ſatis ut intrepida re impavidi, turbatos ordines convertentes ſe, ad diſſonos clamores ſociorum inſtruere conari: conſiſtere & pugnare cogere, adhortari præfectos atque ſigniferos ut metum ponerent, & paucos agreſtes feſſos, inermes, & jam vulneribus debilitatos tantiſper ſuſtinerent, dum levis armatura circumfunditur. Germani prælii pondus ſuſtinent, & pugna omnibus locis reparatur. Sed nil his vocibus cohortantium atque imperantium ducum permoti equites, ſeſe in turpiſſimam fugam dederunt. Quoniam Helvetii, quanquam dux eorum Mottinus tormento diſcerptus concidiſſet, potiti caſtris cruenti atque feroces jam ſiniſtrum latus equitum invaſerant. A dextra verò & in tergis major acies infeſtis cuſpidibus territos & confuſos acerrimè perurgebat. Perierunt in reparanda acie Monfalco Albanianæ alæ præfectus, & Coriolanus Trivultius ſummæ ſpei adoleſcens. At Germani, qui plus dimidia parte cæſa, amiſſiſque duobus vexillis & Florantio duce graviter vulnerato, aliquandiu conſtantiſſimè

mè depugnarant,uti ſe ab equitatu deſeri,reliquum peditatum undique deletum, & tormenta capta conſpexére, quòd fuga turpis & minimè tuta videretur, erectis ſuo more cuſpidibus, dedentes ſeſe,à victore hoſte clementiam quæſiverunt. In eo gravi tumultu Sedanius impotenti dolore percitus,ut Florantio & Gemeſio filiis in tanto vitæ diſcrimine circumventis extremam opem ferret,adacto cataphractorum vehementi cuneo, ad mediam hoſtium aciem penetravit,filióſque jacentes inter cadavera, & multis fœdatos vulneribus, ita erexit & ſuſtulit,ut ſemianimes ſarcinæ modo cervicibus equorum aſportati,cum ſumma paternæ pietatis & bellicæ virtutis laude,ad parata jam futuris bellis decora ſervarentur. Ita Helvetii triplici agmine dimicantes, ſeſqui horæ ſpatio & memorabile prælium & graviſſimum bellum confecerunt. Nec tamen vel tanta hoſtium ſtrage edita ad prædam diſcurſum eſt, quanquam pretioſa ſupellex ducum, & cuncta opulenti exercitus impedimenta multorum animos allicerent. Viri enim patriæ diſciplinæ memores,quòd neminem armatum in acie vivum capere,nec vertentem terga inſequi liceret, medio in campo confertis ordinibus in multam diem immoti conſtiterunt, ne Galli equites aut Ducum aſtu aut ſuo pudore concitati regrederentur, & ſpoliandis cadaveribus occupatos opprimerent. Verùm adeò pertinax & intenta hoſtium fuga fuerat,ut Trivultius voce rauca pulverulentus adequitans,nec adhortationibus,nec contumeliis,nec authoritate Imperii ſigna ſiſtere, aut præcurrentes abjectis haſtis equites retinere valuerit. Conſtat Grittum ejus infauſtæ expeditionis comitem, qui unà profugiebat,ſæpius in turba properantium dixiſſe,hodie,ut video, equites veterani, qui tam effuſè calcaribus ſtudetis,jam non eſtis Venetorum cataphracti,ſed nobiles Galli,qui eos fugaces fœminas appellare conſueviſtis. Nunquam enim acciderat,ut invicti forunatiq; antea duces,tanto inſtructi exercitu, à paucis peditibus ludente Fortuna funderentur. Ferunt Gallicum equitatum in fuga deleri potuiſſe, ſi Maximi-

Maximilianus ducentos ſaltem cataphractos habuiſſet. Nemo enim è Gallis equitibus (tantus enim evadendi ardor) lanceam ultra Seſithem tulit: inſecuti tamen ſunt fugientes ex intervallo Sylvius Sabellus & Corradinus Cribellus cum expeditis turmis ad Trecatum uſq; oppidum. Pagani verò ab agris atque omnibus vicis ad prædam effuſi, ubi ſepes, foſſæ, conciſáve arvorum itinera palantes & trepidos morabantur, ipſi plures conſpecta præda paucos & curſu feſſos crudeliter opprimebant. Vix dum confecto prælio & adhuc ſpirantibus qui ceciderant, ſupervenit Altoſaxus lupina pelle contectus, atroci vultu, promiſſa & perhorrida barba hoſti formidandus. Is quòd ſerò cum cohortibus advenifſet, præ dolore gemens freménſque barbam convellebat, quòd incruentis alabardis inglorius confecto bello, domum redire cogeretur. Enimverò Vertius ille, de quo antea diximus, Gallicæ factionis Helveticus inchoata jam pugna, ex acie Olegium profugerat, exitiali mendacio deletos Helvetios, Maximilianum captum, atque omnia adverſa in prælio obveniſſe renuncians. Quo nuncio commotus Altoſaxus, qui & ipſe dudum ſuperato Ticino Olegium pervenerat, uti cautum Ducem, & de legionum ſalute ſollicitum decebat, paululum ſubſtitit, ſed mox auditis tormentorum fragoribus, tametſi vera eſſe quæ Vertius attulerat magna ex parte putabat: opinione tamen invictæ virtutis primarum cohortium, fractas attritáſque Gallorum vires ſe inventurum ratus, juſtis paſſibus ad hoſtes properavit. Paucos verò poſt dies, quum Altoſaxus in concilio Helvetiorum ab æmulis atque invidis tarditatis accuſaretur, & indicio Vertii qui perfidioſè vanum rumorem attulerat, ſuſpicionem criminis præclarè diluiſſet, Vertius conquiſitus atque ita damnatus eſt, ut more majorum in fruſta ſecaretur. Eodem die Helvetii collecta ſuorum cadavera humeris in urbem reportârunt, ut optimè de Republica meritis juſta ſolverentur. Deſiderati ſunt in ea victoria mille circiter & trecenti, è quibus ſupra ſeptingentos tormentis diſcerptos retulêre, quum ferè

totidem ſauciati è prælio diſceſſiſſent. Periêre a.in partibus Gallorum ad octo millia omnis generis. B. FRANCISCUS GUICCIARDINUS, lib. XI. p. 75. & deinc. Nihil amplius Galliæ Regi, quin omnia, quę ſuperiore anno amiſerat recuperaſſet deerat, præter Novariam & Comum: quæ duæ Vrbes ſolæ in univerſo Mediolanenſi Imperio, Maximiliani Sfortiæ nomen tuebantur. Sed hujus belli gloria maximo cum reliquorum omnium decore, non Gallis, non Germanis, non Hiſpanorum, non Venetorum armis erat deſtinata: Verùm ſolis Helvetiis, contra quos Gallicus exercitus idoneo præſidio Alexandriæ ad tranſpadanas res tuendas relicto, tot ſucceſſibus, hoſtium qui ſe mœnibus incluſerant, confeſſione, & Hiſpanorum jam aperto metu, ferox Novariam contendit: præterea hominum memoriæ, quaſi quædam præteritarum rerum imago & ſimilitudo obſervabatur: hanc eandem eſſe Novariam, in qua Ludovicus Sfortia hujus Ducis pater captus fuerat: eoſdem eſſe in Gallico exercitu duces, Tramolliam & Ioannem Iacobum Trivultium, & cum filio quędam eſſe vexilla, ac duces eorummet pagorum militare, apud quos pater proditus ferebatur: quas ab cauſas Tramollia, ſe eodem in loco, in quo patrem captivum dederat, filium pariter ipſi captivum daturum ſuperbè ad Regem ſcripſerat. Galli magno impetu mœnia verberarunt, ſed in hujuſmodi loco, unde in Vrbem deſcenſus difficilis admodum & periculi plenus erat, Helvetiiſque adeò illos contemnentibus, ut Vrbis portam caſtris adverſam, nunquam claudi ſint paſſi: itaque ſatis magno mœnium ſpatio diruto, Galli valdè ferociter impreſſionem fecerunt, quam ſumma Virtute, qui intus erant, propulſârunt: quare Galli in caſtra reverſi, & novos Helvetios eodem die Novariam ingreſſos, atque Altoſaxum, magni nominis ducem cum longè majoribus copiis expectari certiores facti, ejus expugnandæ ſpe dejecti, magis jam victoriam ex hoſtium perturbatione & pecuniæ inopia, quàm armorum impetu ſperantes, ſequenti die ad alterum ab Novaria lapidem receſſerunt. Has verò ſpes fregit, Mottini

ni unius ex Helvetiorum ducibus ferocitas, virtúſque ardentiſſima: qui multitudine militum in Novariæ forum convocata, ac vehementiſſimis verbis, ut Altoſaxi, qui proximo die venturus erat, ope minimè expectata, hoſtes in caſtris ſuis adorirentur, illos eſt hortatus: neque gloriam atque victoriam, quam ſibi propriam comparare poterant, communem, imò prorſus aliorum fieri paterentur: propterea, quòd ut ſequentia ea quæ præceſſerunt ad ſe trahunt, & acceſſio id ipſum, cui acceſſit, tegit & obſcurat: ſic non ipſis, ſed iis, qui ſupervenirent laus ejus victoriæ omnis tribueretur. Quò res (ajebat Mottinus) difficilior periculoſiorque videtur, eò faciliorem tutioremque exitum habebit: nam quanto eventa magis improviſa atq; inexpectata ſunt, tanto magis homines terrent ac perturbant: nihil minus nunc Galli quàm noſtrum impetum expectant, cumque hodie tantùm caſtra mutarint, ea non poſſunt niſi confuſa & ſine munitione eſſe: ſolebant Galli abſque noſtro peditatu pugnam capeſſere non audere, ab aliquot autem annis ſine nobis, ſed nunquam contra nos pugnare ſunt auſi. Quantus, dii immortales, pavor, quanta erit conſternatio, quum ſe tanto furore, tam improviſo ab iis, quorum virtus atque ferocitas illorum cor & vires eſſe ſolebant, invadi cernent? nec vos illorum equi tormentaque moveant, quibus quantum illi contra nos fidant, aliàs experti ſumus. Gaſto Foiſſeius tam ferox belli Dux, cum tot cataphractis, tot tormentis, nonne ſemper nobis in patentibus campis iter liberum reliquit, quum ante duos annos non aliis armis quàm iſtis haſtis armati ad Mediolani portas uſque deſcendimus? Habent nunc ſecum pedeſtres Germanorum copias: & hoc illud eſt quod me movet, quod me accendit, quum eodem tempore ei qui tanta avaritia, tam ingrato animo labores ſanguinemque noſtrum contempſit, ipſum nunquam ſibi Regnoque ſuo pejus conſuluiſſe, & iis qui illorum operam ad victum noſtrum nobis eripiendum idoneam exiſtimarunt, Germanos Helvetiis nequaquam pares eſſe, eandem quidem linguam, eandem diſcipli-

ſciplinam habere: ſed non eandem Virtutem, eandemque ferocitatem oſtendendi occaſionem habeamus: unicus labor erit in tormentis occupandis, eum autem leviorem faciet, quòd non munito in loco ſint poſita, inexpectata impreſſio, noctis tenebræ, invadendi impetus: breviſſimum temporis ſpatium eſt, quo nos poſſunt lædere: idque tumultu, timore & ſubdita confuſione interruptum, reliqua facillima ſunt, non audebunt equites in haſtas noſtras incurrere: multò minùs ignava illa Gallorum atque Vaſconum turba ſeſe nobis immiſcebit: non minùs prudentia quàm ferocitas noſtra in hac deliberatione elucebit: ad tantam rei militaris famam gens noſtra aſcendit, ut nominis noſtri gloria, niſi aliquid extra omnium hominum expectationem, & communem conſuetudinem aggrediamur, jam conſervari non poſſit: & quando Novariæ ſumus, locus nos admonet, nos alia ratione veterem infamiæ notam in hac eadem Vrbe Novariæ cum Ludovico Sfortia contractam delere non poſſe: eamus igitur, Dei Opt. Max. impiorum, execratorum, nominiſque ſui hoſtium ultoris ope freti: eamus in non dubiam facilemque, ſi viri erimus, victoriam, è qua, quo periculum gravius videtur, tanto erit nomen veſtrum illuſtrius, & majus: quanto majore ſunt illi numero quàm nos, tantò magis illorum ſpoliis ditabimur. Ad Mottini verba omnis multitudo ferociter acclamavit ſingulis erecto brachio ſententiam ejus approbantibus, ipſe verò certa eis victoria promiſſa, ut quieti ſe darent, & corpora curarent, mandavit, quo tympanorum ſonitu exciti in ordines ſuos ſinguli ſe conferrent. Nunquam neque ſuperbius, neque ferocius gens Helvetiorum conſilium cepit: pauci contra multos, abſque equitatu, abſque tormentis, adverſus exercitum his rebus inſtructiſſimum nulla neceſſitate impulſi. Novaria enim periculo erat liberata, & in diem ſequentem non parvam militum acceſſionem expectabant: ſponte eam rationem potius, in qua eſſet ſecuritas minor, ſed gloriæ ſpes major, quàm eam in qua majorem ſecuritatem minor gloria ſequeretur,

experi-

experiri ſtatuerunt. Maximo igitur impetu poſt mediam noctem ſexta Iunii die, Novariâ numero circiter decem millia hominum eruperunt, hoc ordine diſtributi: ut ſeptem millia ad tormenta, circa quæ erant Germani pedites invadenda procederent, reliqui ut haſtis erectis adverſus equitatum conſiſterent: Gallorum caſtra tum ob temporis exiguitatem, tum quia non tam citò tantus motus expectabatur, communita non fuerant: & primo tumultu quum à vigilibus hoſtem adeſſe indicatum fuit, res improviſa, & noctis tenebræ, confuſionem terrorémque augebant: nihilominus & equeſtres copiæ ad ſigna quæque ſua turmatim ex templò convenerunt, & Germani pedites, quos reliqui ſequebantur, acies ſuas illicò inſtruxerunt. Iam tormenta ingenti ſtrepitu in Helvetios, qui ad ea invadenda properabant, magna cum illorum clade diſplodebantur: quæ potius ex hominum clamoribus & ululatu, quàm oculorum, quorum uſum nox impediebat, beneficio agnoſcebatur: & tamen admirabili ferocitate præſentem mortem contemnentes, neque illorum, qui circa ipſos cadebant, caſu territi, neque ordines ſolventes velociſſimè contra tormenta procedebant: ad quæ quum perveniſſent, cum Germanis peditibus, utriſque acerrimè & multò etiam acrius propter mutuum utriusque gentis odium & gloriæ cupiditatem dimicantibus ſunt congreſſi. Vidiſſe (jam enim Sol ſuis radiis cuncta nudabat) nunc hos, nunc illos inclinare: ſæpe illos qui prius inferiores videbantur, ſuperiores videri: ab una eadémque parte & eodem tempore alios inclinare, alios progredi, alios difficulter reſiſtere, magna vi alios in hoſtes inſilire: undique omnia cædibus, vulneribus, ſanguine plena: duces nunc hoſtes percutiendo, & ſe ſuóſque defendendo, militum munere fortiſſimè fungi: nunc hortando, providendo, ſuccurrendo, ordines reſtituendo, imperando Ducum munia prudentiſſimè obire: in altera parte, in qua equitatus ad pugnam paratus conſiſtebat, ſumma quies & otium: nam quum in militibus Tramolliæ atque Trivultii authoritas, cohortationes, imperia, preces,

ces, acclamationes, minæ timori cederent,nunquam in hoſtes, quos in conſpectu habebant impreſſionem facere ſunt auſi.Helvetii autem illud unum ſpectabant,ut equites à ferenda peditibus ope deterrerent,tandem in tanta ferocitate,in tanta utrinque pugnantium virtute, Helvetiorum Virtus ſuperior extitit: qui tormentis fortiſſimè occupatis, iisque in hoſtes converſis, propria virtute & tormentorum ope, eòs fugârunt: peditum fugæ,equitum pariter fuga conjuncta fuit,quorum nulla virtus laúsve emicuit: ſolus Rubertus Martianus paterno ardore impulſus,cum equitum turma,ut Florangium, & Daneſium filios ſuos, Germanorum peditum Duces, qui multis vulneribus acceptis humi jacebant ſervaret,ſeſe in Helvetios immiſit, tantáque ferocitate pugnans, ut Helvetiis ipſis,nedum aliis, permirum videretur, vivos tanto periculo eripuit. Pugnatum eſt circiter duas horas maxima cum utriusque partis clade. Ex Helvetiis circiter mille quingenti ceciderunt,inter quos Mottinus, tam præclari conſilii autor, haſta,dum ferociter pugnat, in guttur accepta occubuit: ex hoſtibus longè plures (ſunt qui affirment decem millia) deſiderati: ſed Germanorum maxima pars in ipſo conflictu,Gallorum & Vaſconum peditum plerique in fuga cæſi: omnis ferè equitatus evaſit: neque enim Helvetii illos perſequi poterant: qui ſi equos habuiſſent,facilè illos (tanto cum terrore fugiebant) fudiſſent. Omnia impedimenta,viginti duo majora tormenta, cum omnibus equis tormentorum uſui deſtinatis, in victorum poteſtate remanſerunt: Victores tanquam triumphum ducentes eodem die Novariam redierunt: quo facto tantum ſibi apud cunctos mortales nomen conciliârunt,ut multi conſilii magnitudine, mortis evidentiſſima contemptione, in pugnando virtute, & exitus felicitate expenſis, hoc facinus, omnibus ferè præclaris Græcorum & Romanorum,quæ leguntur,rebus geſtis,anteferre audeent. Galli Taurinos fuga petierunt,unde Trivultio fruſtra reclamante ſtatim trans alpes ſunt profecti. Hâc victoriâ partâ,Mediolanum & reliqua oppida,quæ Gallis ad-

ſis adhæſerant,legatos ad veniam petendam miſerunt: quæ illis ea lege conceſſa fuit,ut magnam pecuniæ vim numerarent: Mediolanenſes auri pondo bis mille, reliqui pro cenſus ratione: quæ pecunia Helvetiis univerſa fuit attributa: quibus victoriæ ipſorum virtute & ſanguine partæ,meritò non minus utilitas quàm gloria omnis debebatur: qui ut fructum omnem,quoad fieri poſſet perciperent,in Montem ferratum,deinde in Taurinos,ob id quod Gallicum exercitum excepiſſe dicebantur,ſunt ingreſſi: ubi tum diripiendo, tum miſeros populos mulctando (vitæ tamen & honori parcentes) uberrimum quæſtum fecerunt.

(*d*) De quo prælio differentem jam ſuprà audivimus *Guicciardinum*,pag.266.& *Vadianum*,pag.292.

Addimus tandem calculum *Pauli Iovij*,qui omnium fuſiſſimè rem geſtam deſcribit lib.15.pag.299.& deinc. Decernitur in Concilio cogendos eſſe in unum omnes Helvetios,& ad hoſtes priusquam ex labore ſe reficiant, properè contendendum. Proſper eo conſilio, ut ſequenti die equitatum, in caſtra perduceret, ex colloquio diſcedit, poſtulátque cohortem unam,præſidii ſui cauſa; quam quum ab aſperis hominibus impetrare non poſſet, nihilominus de prima vigilia Villafrancam proficiſcitur. Interim Gallis, quorum unum expeditum agmen per Agnelli collem, imprudente vel connivente Ioachimo anguſtiarum cuſtode, ſupra Cunium oppidum proceſſerat, per ipſos hoſtium hoſpites ſumma perfidia defertur: Proſperum Carmagnola digreſſum, Villafrancam equites præmiſiſſe: diviſas eſſe Helvetiorum copias, & Sedunenſem Pinnaroli cum parte exercitus conſidere: proinde rei bene gerendæ occaſionem præberi, ſi ad eos opprimendos, qui nihil tale ſuſpicentur, cum valida manu equitum Villafrancam pervolarent. Galli, quum à pluribus ſimul ſpeculatoribus de eadem re uno tempore docerentur, conſilium ſtatim probant, & Paliciæ, Obegnino, Imbercurtio, Sanſerio, Bajardóque promptiſſimis ducibus negotium committunt. Ii aſſumptis amplius mille delectis

ctis equitibus,uſi hisdem itineris ducibus,qui rem indicarant, citato curſu quindecim millia paſſuum conficiunt: captíſque in itinere hoſtium exploratoribus, Padum,qua incolæ facilem fluminis alveum monſtrarunt, vado ſuperant: & patentibus portis nullo prohibente, Villafrancam ingrediuntur. Proſper enim paulo antè per præconem pronunciari juſſerat, ut inſtratis equis, cibum cuncti caperent, atque omnia ad profectionem præpararent: Se etenim, cùm pranſus foret, ad Helvetios eſſe progreſſurum. Quo caſu milites ſolutis ſtationibus ad colligenda vaſa in contubernia ſe contulerant, eo etiam majore fiducia, quæ Gallos repentina incurſione nihil auſuros, & ſi auderent, ſe interim Padi munimento, dum arma expedirentur tutiſſimos fore exiſtimabant. Interim momento temporis ſors ipſa inſignem calamitatem Proſpero intulit, quæ Gallis parata erat,ſi ipſe antè vel minimo temporis ſpatio adventum eorum præſenſiſſet. Nam Padus præruptas atque difficiles, ubi tranſierant, ripas habebat: neque Gallos qui feſſi plurimum agitatis atque anhelantibus equis advenerant, recenti atque fortiſſimæ alæ equitum pares futuros, in tanta præſertim propinquitate caſtrorum,credendum erat. Galli uno impetu completis omnibus oppidi regionibus, Proſperum cæteróſque equites domi obſident. Ille quum fruſtra omnia prætentâſſet,deſperatis effugiis, hoſtes de nomine ducum ab editiore loco percunctatus, Obegnino ſe dedidit, quòd cum eo ex deditione Brixiæ & Eberardi patrui memoria aliquæ benevolentiæ neceſſitudines intercedebant. Interim Hieronymus Penna equitum præfectus, qui expeditius ſe ac ſuos profectioni accinxerat, per averſam ab hoſte portam erumpendo,in proxima Helvetiorum caſtra cum parte equitum ſe proripuit. Nonnulli alii, & in his Ioannes Brachalonius ſagittariorum præfectus, unus ex tredecim, quos ex provocatione cum tredecim Gallis pugnâſſe tradidimus,ſerò idem tentantes fruſtra illatis acceptiſque vulneribus, neceſſariam deditionem fecerunt, & præter quingentos utriusque armaturæ equi-

equites, Cæſar Feramuſca, Petrus Marganus, & P. Antonius Caraffa Polycaſtri comitis filius, viri illuſtres. Audivi ego poſtea Proſperum Cæſaris Feramuſcæ culpa ſe tantam cladem accepiſſe ſeverè conquerentem, quòd ille portas præſidio tueri juſſus, dum nihil tale timeret, imprudentiſſimè adapertas valvas ingreſſuris hoſtibus reliquiſſet. Galli collecta raptim præda, abductíſque captivis, majore aliquanto celeritate quàm venerant, propter hoſtium propinquitatem trajecto rurſus Pado, in pacatum conceſſerunt. Hinc videre licuit, quantum fortuna nimium potens humanis rebus illudat, quum puncto temporis lethali vulnere inflicto, Maximiliani partes everterit, ac ſimul optimi ducis, qui prudentia, imperatoriisque artibus nemini inferior putabatur, obſcurata rerum ante geſtàrum laude, authoritatem omnem & dignitatem fœdiſſimo caſu maculârit. Quo etiam nuncio Leo Pontifex, quòd ſummam ſpem in ejus viri virtute collocâſſet, & mox Helvetios diſſentire inter ſe, & de pace agere cognoviſſet, eò conſternationis adductus eſt, ut deſperatis propè rebus, ac impellentibus maximè familiaribus, qui Gallicæ factionis erant, Cynthium Tyburtinum, ad tractandam pacem cum mandatis ad Franciſcum transmiſerit. Bononiámque, quòd, eo rerum motu ſeditioſis civium ingeniis, diffideret, exulibus Bentivolis reddere cogitârit. Ceſſiſſétque ea urbs ultro impotentibus dominis, niſi Iulius Medices, qui tum legatus aderat, confirmato Pontifice, ſingulari conſtantia dubiis rebus occurriſſet. Vix dum oppido Galli cum captivis exceſſerant, quum expeditæ Helvetiorum cohortes ſupervenerunt, qui dolore ſimul atque iracundia concitati, oppidum, inventis adhuc nonnullis equitibus, qui latitabant, hoſtiliter diripuerunt. Sedunenſis uno tempore ſine duce, ſine equitatu, ſine pecuniis, unde nutantibus Helvetiis ſtipendia ſolverentur, quum de Franciſci adventu certius cognoſceret, cogere exercitum, & infidæ gentis finibus excedere conſtituit: præſertim quòd per Albertum Petram, & Ioannem Deſpachium Bernenſium duces, quorum in

Gallos ſemper ſingulare ſtudium extiterat, & per ipſos Allobroges ab Carolo eorum duce ſubmiſſos, ſollicitari multitudinem adverſum ſe, ac depravari non obſcurè intelligebat, Albertum Petram ſuperioribus diebus propter eandam cauſam cuſtodiæ tradiderat, moxque optimorum precibus expugnatus, vinculis exemerat. Vnde ille ex adventu Gallorum ſpiritus ſumens, veluti injuriam vindicaturus, quibuſcunque poterat artibus, inſtitutum opus perficere conabatur. Resque eò deducta erat, ut jam nonnulli procacius ſtipendium flagitantes, in Cardinalem arma converterent, quòd pecuniæ, quæ ab Hiſpano rege promiſſæ, deferri in caſtra debuerant, cunctante apud Mediolanum Didaco Aquila legato, ad conſtitutam diem non repræſentarentur. Sed Galeacius Vice-comes antiquæ apud Helvetios authoritatis, & Iacobus Gambarus à Pontifice cum pecunia miſſus, interventu meliorum hæc initia ſeditionis oppreſſerunt. Eo modo fluctuantes Helvetios Borbonius atque Trivultius, quum animis ac viribus disjunctos per partes opprimi poſſe judicarent, una vel altera acie facilè delevissent, niſi eos Franciſcus, qui ſe abſente tentari certaminis fortunam nolebat, ne id facerent, aut rem in aliquod pugnæ diſcrimen adducerent, multum anteà monuiſſet. Ipſe interea ſuperatis Alpibus cum tota mole copiarum in primos Italiæ campos deſcendit: luſtravítque exercitum incredibili omnium alacritate, quòd omnia ſibi opinione hoſtium expeditiora contigiſſent. Ea die Proſperum per inſtructas acies adſe perductum, ut præſentem fortunam æquo animo toleraret, ac optimè de ſe ſperaret humaniſſimis verbis hortatus eſt, equitéſque ejus gratis miſſos fecit, præter paucos clarioris nominis. Poſtero autem die propius hoſtes movit caſtra, tentavítque per idoneos homines, quos Carolus Sabaudius ex Allobrogibus veteris amicitiæ jure ad Helvetios mittebat, an ullis conditionibus flecti poſſent, qui pacis nomen oderant, & tunc maximè Bernenſium conatibus adverſarentur. Sed quum omnium propè animis & certa ſpe pontificiæ pecuniæ, & Cardina-

lis

his concionibus, atque ipſo etiam inconſtantiæ pudore confirmatis, ea mens exercitus foret, ut exitiabile bellum, quàm æquiſſimam pacem malle viderentur, Allobroges rebus infectis diſceſſerunt. Helvetii tamen duces, qui ſpem pacis eo tempore minimè tollendam exiſtimabant, ut fallendo moræ ſpacium interponerent, quo ſe ab iniquiſſimis locis explicarent, paucorum dierum inducias poſtulârunt, affirmantes, ſe interea Vercellas eſſe conceſſuros, atque ibi libentiſſimis animis audita iterum legatione, ad frequentius Concilium de pacis conditionibus relaturos. Franciſcus tametſi bellicæ occaſionis rationem certis atque breviſſimis rerum & temporum momentis conſtare intelligebat, nihilominus, quòd tum nihil prælii fortunæ committendum judicaret, & bellum ſperaret ſine ſuorum vulnere ſe confecturum, inducias conceſſit; Lotrechium tamen cum valida equitum manu, qui neminem ab toto agmine diſcedere, vel impunè vagari, oſtentata nonnunquam acie, pateretur, abeuntes inſequi juſſit. Illi ſuo more conſervatis ordinibus quum proficiſcerentur, ſecundo die Clivaſium nobile oppidum ex itinere petierunt, quòd oppidanos ſibi amicos fore exiſtimantes, ſeſe eorum copiis & commeatu recreare cogitabant. Verùm Clivaſienſes, ſive metu ne oppidum diriperetur, ſi tantam multitudinem recepiſſent, ſive adducti Gallorum amicitia, ut qui magnopere viribus ſuis ac mœnibus confidebant, portas clauſerunt, nonnullis qui paulò ante commeatus petendi gratia ingreſſi fuerant, crudeliter interfectis: tanta quidem arrogantia, ut quoſdam ad colloquium incautè portis ſuccedentes ſagittis è muro configerent. Quibus injuriis permoti Helvetii, prolatis continuò tormentis, & dejecta muri parte, celeriter per ruinas irrumpunt, & ſupra ſexcentos qui in armis erant uno impetu trucidant, domóſque diripiunt. Nec ira perciti tectis peperciſſent, niſi Sedunenſis, Galeacio & Gambaro deprecantibus, ſimulato adventu Gallorum, quòd forte eorum antecurſores in conſpectum ſe dederant, pulſari repente tympana, & ad arma concla-

mari juſſiſſet. Quo caſu quum ſeſe omnes ad propoſitum ſignum, ut in aciem prodirent, portis ejeciſſent, paulò pòſt & cæde oppidanorum, & multitudine prædæ, atque ipſo etiam temporis ſpacio ſedatis animis, ædificia conſervârunt. Itaque rerum omnium abundantia recreato exercitu è Clivaſio Eporediam, mox Vercellas, quo in loco ne legatos audirent, uti pepigerant, exiguo tempore commorati, rectà Novariam contenderunt. At poſtquam Novariam ventum, Helvetii qui jam animo deſciverant, nec ullo aut loci aut temporis intervallo, quo minus ab ſeipſis, ac fœderatis regibus deficerent, ſanari potuerant, ſucceſſione facta miſcere cuncta ſtrepitu armorum, partium principibus maledicere, & Cardinali, ni continuò pecuniæ proferrentur, exitium comminari cœperunt. Nec in tanta rerum omnium deformitate præſentanea remedia comparari poterant, queis furor atque impetus concitatæ multitudinis leniretur, quum uno tempore Aquila Hiſpanus, nec paratam pecuniam Mediolano transmitteret, nec ipſe, metu vel dolo incertum, multis accitus literis in caſtra veniret: & magis ac magis inſtantibus etiam tum Allobrogibus, centuriones, vexilliferos & vulgus militum Albertus, atque Deſpachius ad defectionem apertiſſimè ſollicitarent. Quamobrem Cardinalis, ut diſſidentis atque infidæ multitudinis tempeſtatem effugeret, in arcem ſe recepit. Nec multo pòſt Albertus atque Deſpachius ſublatis vexillis, cum amplius hominum decem millibus domum ſuperato Verbano, per Domoſſulam abierunt. Cæteri, qui vel fide præſtabant, vel propter inſigne odium adverſus Gallos, ut tantum dedecus admitterent adduci non poterant, Ronnam & Anglardum, homines è Tigurino pago ſpectatæ virtutis, duces ſibi delegerunt, apud quos, decedente jam metu, Cardinalis verba fecit, docuitque nihil ſalubrius exercitui accidere potuiſſe, quàm ut illi diſciplinæ & decoris patrii everſores, qui empti pecunia cæteros depravare, & fœdiſſima contagione inquinare conati eſſent, bellum pro dignitate Helvetii nominis neceſſariò

ſuſce-

ſuſceptum impedirent, ipſis tandem caſtris Deorum munere deceſſiſſent. Nec diſceſſu eorum multum animo permoverentur, aut de victoria magnoperè dubitarent: adeſſe enim milites fide virtuteque præſtantes, venturóſque alios jubentibus oppidorum magiſtratibus, quorum viribus ſuſtinere Gallorum vim facilè poſſint, modò conſentiant, & ſecum optima ratione gerere bellum velint. Eſſe ad utranque Padi ripam cum duobus exercitibus Laurentium Medicem, Raimundúmque Cardonium paratos jungere ſocia arma, & bellum communi conſilio adminiſtrare, ſi propius accedere Helvetias legiones audierint: proinde videri ſibi facile atque optimum factu fore, ſi motis caſtris continuo Ticinum amicam urbem, & rerum omnium copia abundantem, parvo itineris flexu contenderent: atque inde Laudem Pompejam ad ſociales exercitus progrederentur: vel eos, ſi ita oporteret, mutua ſecuritate venientes exciperent. Vnam eam ſupereſſe ſpem & certiſſimam vincendi rationem, quando ei brevi expeditóque itinere facilè juncturi in unum vires, ac ſimul Venetos qui jam perveniſſent in Cremenſem agrum, à Gallis interclusuri eſſent. Sed cum Ronna & Anglardus impetu ac libidine militum regerentur magis, quàm aliis imperarent, & plures Mediolanum rerum caput petendum, eamque urbem incredibili copia commeatus natura ac munitione loci, armorum apparatu, & egregiis civium ſtudiis maximè opportunam belli ſedem deligendam dicerent, nec ſaluberrima Cardinalis conſilia ſanis auribus acciperentur, aliis alia volentibus, rem ipſam ad ſeditionem penè deduxerunt. Fit enim ſæpenumero ſuperbia atque æmulatione communi vitio ducum, ut plerique in ipſis conſiliis ea maximè nolint, quæ alios ſummis etiam rationibus velle cognoverint, ultróque aſpera & duriora ſubeant, ne aliena conſilia ſequi videantur. Erant enim multi adhuc in exercitu Gallicæ factionis: qui ſicuti Cardinalem ducem, vultúmque ejus & ſingularem induſtriam horrebant, ita ex occulto turbare omnia, atque omnem ejus authorita-

tem convellere conabantur. At Cardinalis, qui arrogantiæ ducum, & levitati multitudinis reſiſtere ſe non poſſe ſine maximo vitæ diſcrimine providebat, cum fida magis quàm valida Helvetiorum manu, Ticinum atque inde Placentiam, ut cunctantes exercitus ad capeſſendum bellum hortaretur, profectus eſt. Galeacius verò Vicecomes & Gambarus, qui & præſenti pontificis pecunia, quæ jam adducta erat, & ſpe majoris ſummæ, & frequentiſſimis concionibus ut optimos in officio continerent, & cæterorum mentes ſanarent, plurimum contendebant, in caſtris remanſerunt: eo quidem animo, ut ſi quid durius ſibi accideret, id quam æquiſſimè perferrent: ne Helvetii, qui aliquo adhuc pudore & infamiæ metu tenebantur, relictos ſe deſperatis rebus, atque deſertos dicerent: ob idque exoptatam diſcedendi occaſionem, arripere poſſe viderentur. Cardinale Novaria profecto, Ronna & Anglardus motis caſtris juxta Verbanum lacum iter facere cœperunt: ac ſimul eodem tempore, Galli, quibus omnia tanquam victoribus ceſſerant, Novariam advolârunt. Octavianus enim Fregoſius paulò ante, quum ad ſe per maritimas Alpes Emarus Prieus cum equitibus Gallis perveniſſet, ipſéque ſupra quatuor millia Ligurum armâſſet, Alexandria, Derthona, multîſque oppidis Sfortianos adjuvantibus Guelphis expulerat. Cæterum Franciſcus dedentibus ſeſe Novarienſibus, arcem primo adventu obtinere non potuit, quanquam nec à forti cuſtode, nec ſatis firmo præſidio teneretur. Enimvero latiſſimis circum foſſis, & præalto undique muro cinctam, omnem oppugnationis impetum toleraturam apparebat. Verùm Franciſcus, qui hoſtile quicquam aut invictum in tergo relinquere, neque validiſſimi exercitus neque ſuæ dignitatis eſſe ſtatuebat, Navarro, qui oppugnaret negotium dedit. Ille novi decoris cupidus, ſubvectis continuò tormentis, conſtitutiſque operibus, tanta vi oppugnare adortus eſt, ut paucis horis & ſumma murorum, & celſiora propugnacula, labefactis etiam turribus cum ingenti ruinæ fragore dejecerit. Quo terrore addu-

adductus imbellis præfectus, ſeſe atque arcem cum præſidio dedidit. Interea Helvetii, qui Ronnam, & Anglaidum ſequebantur, Vaneſium pervenerunt, atque inde cùm toto eo itinere de fœderatis principibus oblocuti Gambaro pontificiam pecuniam ademiſſent, ac tunc maximè, quod Albertus Petra atque Deſpachius feciſſent, ſe facturos minarentur; Galaratum propè omnes contenderunt: quò jam venerant Carolus Sabaudius Lotiechius, & complures togati viri, ut iterum de pace agerent, conditionésque conſcriberent. Adeò incertis animis levis & factioſa multitudo huc atque illuc, modo ſpe auri, modo decoris & gloriæ cupidine ferebatur, ut cum eadem utrique promitterent: uno tempore inſtabiles ſimul eos ac conſtantiſſimos exiſtimares. Galeacius & Gambarus in ea rerum perturbatione, quum fidiſſimos quosque militum & duces adirent, ac obteſtando orandoque deprecarentur, nec turbidos ac depravatos ſequi vellent, ne ſocios principes prodere, ne tantam publico nomini Helvetio ignominiam conflare, tantumque Gallis hoſtilibus afferre beneficium properarent. Duces ea ratione ad Gallos proficiſci reſpondebant, ut agendo, interpellandoque omnem perficiendi negotii rationem everterent, & diductis perſuaſisque militibus, ab Gallorum amicitia omnium animos alienarent. Sed longè aliter evenit. Nam primis ſtatim congreſſibus & pacis leges dederunt, & nonnulli, qui ordines ducebant, pecuniam acceperunt, & ſe perpetuos Gallorum ſocios fore, ſi Franciſcus ea rata ac firma haberet, quæ legati pepigiſſent, jurejurando confirmârunt. Poſtulabant ut ſibi pro munere præſentis pacis, & ex fœdere, quod ad Divionum cum Tramulio percuſſiſſent, ſeptingenta millia aureorum nummûm tribus penſionibus ſolverentur. Aliaque præterea multa arroganter ac ſuperbè admodum petebant, ut ad lacerandam omnem Gallorum exiſtimationem, potentiſſimum regem tributarium, & Galliam vectigalem facere viderentur. Quibus omnibus poſtulatis, Galli ſubſcribendum putârunt, quòd neque pecuniis parſuri, ne-

 que

que aliquid ex iniquiſſimis etiam conditionibus detrectaturi erant, modò bellum ſine ſuo atque hoſtium cruore conficerent: & ſibi tandem indomitam gentem tractantem continuè arma, & Inſubrum cervicibus imminentem fœderis ac firmiſſimæ pacis vinculo ſociarent. Sunt qui Helvetios arbitrentur, pervicacibus animis occaſionem prælii circumſpectantes, callidè ac ſimulanter de fœdere cum Gallis egiſſe, ut ſpecie pacis propoſita, clariſſimos viros cum ala Gallorum equitum circumvenirent & opprimerent, regiámque pecuniam, quæ ad condictam diem è caſtris adferebatur, interciperent: quod fortaſſe pro falſo relinquendum putaremus, niſi qui talia memoriæ produnt, intima hominum conſilia non facilè conjecturis, ſed ipſis rerum ſucceſſibus metirentur. Sed dum Helvetii ad Galaratum rebus compoſitis de pace conditionibusque deliberant, Roſtius ſummæ apud Helvetios authoritatis atque amplitudinis, cum viginti cohortibus à Belizzona ſupervenit. Cujus viri adventu commutatis multorum voluntatibus ac pluribus metu conſternatis, qui Gallos oderant, ſpem omnem initæ jam pacis corruperunt. Roſtium enim paulo ante XII. pagorum principes ad famam diffidentis exercitus, quod ſummum Tigurino in pago magiſtratum gerebat, & cæteris ducibus ſicuti ætate, ita bellicarum rerum peritia præſtare dicebatur, omnibus ſuffragiis totius gentis Imperatorem declarant. Is ut ſeditioſorum conatus effringeret, & præſentibus malis mederetur, caſtigando, adhortando, terrendóque omnibus conſilii modis, & præſenti quoque ſeveritate non deerat. Ergò pudore ac metu converſis omnium animis, cùm pro pace bellum, armáque depoſcerent, Roſtius Gambaro pecuniam reddit, milites Sacramentum apud ſe dicere jubet: & quum opportunè etiam Aquila Hiſpanus, cum pecunia ſuperveniſſet, perſoluto omnibus ſtipendio, motiſque eo die caſtris ut Mediolanum rectâ duceret, per Comenſem agrum Modoetiam contendit. Interea Sedunenſis apud Placentiam, quum de Roſtii adventu cognoviſſet, ut

ut qui propè everſis ac deſperatis rebus nova ſpe auctus nihil amplius de belli eventu timere videbatur, adhortari pontificios Duces cœpit, ut Padum traſirent, & ſecum ad victoriam proficiſcerentur. Simili quoque ratione Cardonium, qui ad confluentes Padi atque Abduæ caſtra poſuerat, obſecrare & obteſtari, maturaret Laudem proficiſci, ac vires ſuas cum Pontificiis Helvetiisq; conjungere properaret. Præberi à Diis immortalibus pulcherrimam incomparabilis victoriæ occaſionem: qua ſi Ravennatis cladis memoriam retineret, & quales rerum exitus in Italia, vincente Gallo futuri eſſent, animo metiretur, proprio decori ac laudi deſiderio ſui Regis, totiúsque exercitus exiſtimationi ac gloriæ ſatisfacere poſſet. Ille quum ſe neque conſilio neque voluntate, neque viribus fœderatis Principibus defuturum, & ad præſtitutam diem univerſas copias adducturum in Laudenſium fines profiteretur. Sedunenſis nihil cunctandum ratus, à Gore Piſtorienſe procuratore Pontificis ſeptem utriusque armaturæ equitum turmas præſidii ſui cauſa accipit: & trajecto Pado Laudem contendit. Duces erant Mutius Columna, Ludowicus Pitiliani filius, Guido Rangonus, Nicolaus Balneus, Ragnerius Saxetanus, Ludowicus Firmanus, & Rainaldus Ticinenſis, qui magnum in re militari uſum habebant. Sed quum Laudem perveniſſent & Cardonius, ut conſtitutum erat, ad jungendas vires minimè proceſſiſſet, quòd Helvetios de pace agere, & Gallos, qui jam in Mediolanenſem agrum pervenerant paucarum horarum itinere à Laude abeſſe cognoverat, Sedunenſis ira ſimul & timore perculſus, ut ad Helvetios ſe celerrimè conferret, Laude exceſſit. Quo caſu, nonnulli equites, quorum Duces erant Rangonus, Ragnerius atque Firmanus, ſive metu, ſive alio honeſtiore conſilio, ut poſtea perfecto bello cognitum eſt, ſe ulterius progreſſuros negaverunt. Neque quum Cardinalis, ne tantum flagitii admitterent, ne ſe in tanta propinquitate caſtrorum infenſiſſimis hoſtibus proderent, obnixè deprecaretur, & poſtremo jure legationis & imperii juberet, minásq;

adderet, quin Placentiam redirent, flecti potuerunt. Mutius & cæteri, qui periculoſum conſilium, quòd laudem & gloriam, quàm tutum quod ignominiam afferre poſſet, ſequi malebant, Sedunenſem ſequuti, Modoetiam ad Helvetios pervenerunt. At Franciſcus, tametſi ſpem pacis, nullo induſtriæ vel liberalitatis officio intermiſſo, minimè ſibi abjiciendam exiſtimabat, tamen ne aliquod interea per incuriam, incommodum acciperetur, quod dimiſſa ſpe belli plerumque langueſcere Ducum animi & milites mentione pacis negligentiores fieri conſueverint, è Ticinenſi in Laudenſem agrum deflexit, medióque itinere ſecundum publicam viam Mediolanum inter ac Melegnanum oppidum, quod Lambro amne alluitur, caſtra conſtituit, ipſo rerum ordine, atque amplitudine copiarum admirabiliora, majoráque quam quiſquam ætate noſtra conſpexerit. Id pluribus de cauſis fecit, ut ab inani ac pervaſtato agro in fertiliſſimas atque intactas Mediolanenſium poſſeſſiones tranſiret, ac ſimul Hiſpanos ac Pontificios ab Helvetiis interclusos, ſummo diſcrimine propoſito, tranſitu prohiberet: Livianúmque cum copiis adventantem ipſa caſtrorum propinquitate firmiorem redderet, & ab imminenti Cardonio tueretur. Quo uno conſilio Franciſcus maximum omnibus rebus ſuis, & ſummæ demum victoriæ momentum attulit. His de cauſis Cardonius magnopere timens, ne ſubitò Liviani Gallorúmque adventu in patentibus campis opprimeretur, ad Padum retroceſſit, & ponte, quem antea navibus conſtituerat, cuique Iohannem Dorbinum ad tutelam cum cohorte & tormentis præfecerat, amnem contra Placentiam trajecit. Erat Placentiæ Laurentius Medices cum cohortibus quatuordecim Italici generis, & tribus millibus equitum. Cardonio autem aderant octingenti cataphracti, & levis armaturæ equites mille, cum legione una veterana, cujus ſinguli milites fortibus factis clari & præda divites, tum ſpectata virtute, tum ſplendido armorum cultu, centurionibus ſuis, ac Ducibus æquabantur. Iunctis duobus exercitibus, quum & tutò tranſmitti

mitti Padus & ad Helvetios facilè perveniri poſſe omnium opinione confirmaretur,apparerétque Laurentio atque Cardonio,ſi progrederentur, vel ingentis victoriæ,vel eximiæ laudis occaſionem eſſe propoſitam, in conſilium adhibitis militum præfectis deſcendunt. Adducuntur utrinque aliqua in excuſationem, quòd non adhibita majore diligentia & celeritate ſeſe cum Helvetiis ab initio conjunxiſſent, cujus rei culpa, & cunctatione Ducum potius, quàm anguſtia temporis, aut itinerum difficultate, nonnullæ occaſiones prætermiſſæ videbantur: Helvetios tamen omnes incuſare, quòd ignaris fœderatorum exercitibus cum communi hoſte de pace privatim egerint,vel id ſe facturos fideli quantumlibet conſilio ſimulârint, quando ejus facti ſiniſtra fama periculoſoque rumore,territis jam omnium mentibus graviſſimi belli metum injeciſſent: paratos tamen ſeſe Hiſpani æquè ac Pontificii profitentur tranſire amnem: & ſi res poſcat,nullam vel iniquam certaminis conditionem detrectare,modò ex fide egregiáq; omnium voluntate bellum geratur. Sed quum inter ſe verbis tantùm agerent, revera autem alter alterius voluntati magnopère diffideret, quinam primùm caſtra flumen traducere vellet,reperiri non poterat. Laurentius tametſi quæ partes officii ſui ac dignitatis eſſent,& quæ mens,quævé conſilia patrui Pontificis forent,memoria retinebat, in difficili tamen negotio aliter ſibi conſulendum arbitrabatur: utpote qui Ferdinandum Regem exemplo ſuperiorum temporum cum Gallo clandeſtinis conſiliis conſenſiſſe credebat: & proinde Cardonium,qui paulò antè ad Helvetios deflectere noluiſſet,nihil egregium pro alieno commodo facturum putaret. Ex adverſo quoque gravi ſuſpenſus cura verebatur,ne Helvetii,qui fluctuando,diſcrepandóque plurima defectionis ſigna præbuiſſent, in medio ardore belli lethale aliquod vulnus fœderatis inferrent. Cardonius quoque eadem de Laurentio ſuſpicari,& maximè ab omnibus perfidiam timere, quod audiret ab eo nuntios clàm ad Regem in caſtra tranſmiſſos, & legatum

tum Pontificis Ludowicum Canoſium Tricaricenſem Epiſcopum, qui Regiis in caſtris remanſiſſet, de compoſitione agere, conſtantiſſiméque polliceri pontificias copias nihil interea Gallis eſſe nocituras. Et fortè (quod ejus rei ſuſpicionem adauxit) paulò antè Hiſpani equites Cynthium Tyburtem è regiis caſtris redeuntem interceperant, quem ad componendas res à Pontifice transmiſſum docuimus. Quibus de cauſis facilè fiebat, ut uterque cautius atque ſuſpenſius ſibi agendum judicaret. Cardonius, ne vel minimo accepto incommodo, Neapolitanum regnum, ac ſalutem ſuam quæ incolumi exercitu nullum diſcrimen ſubire poterat, prælii & Fortunæ caſibus objectaret. Laurentius, ne potentiſſimum hoſtem, quem nunquam oppugnandum cenſuiſſet, in ipſo victoriæ curſu, vana atque intempeſtiva offenſione laceſſere atque irritare videretur, à quo, ſi in citeriore Padi ripa ſubſiſteret, æquiores conditiones expectandas eſſe putabat, quàm ab Helvetiis, ſi pari etiam periculo junctis viribus victoria potiretur: quàm intelligeret eos, ſi victores evaderent, Parmam atque Placentiam, ſicuti inſolenter paulò antè poſtulâſſent, continuò armis eſſe repetituros. Ita quum malis artibus omnes bellum adminiſtrarent, cuncta facilia atque expedita ad victoriam Gallo præbuerunt. Paulò pòſt tamen ſive aliqua ſimulatione, ſive commutatis ratione voluntatibus, ad ſpem imminentis victoriæ converſi, quia precibus Maximiliani, & Sedunenſis obteſtationibus, Helvetiorúmque omnium hortatu, quotidie per nuntios ac literas evocarentur, Padum tranſire cœperunt. Cardonius qui amni proximior erat, primus in adverſam ripam tetendit. Laurentius, quòd parum lucis ſupererat, edixit, ut de quarta vigilia omnes copiæ ad ripam convenirent, atque inalbeſcente cœlo traijcerent. Sed fortè accidit, ut eo tempore Hiſpani equites, quos ſpeculatum miſſos Cardonius excurrere juſſerat in Borbonii turmam per eandem cauſam prædandi explorandique per agros vagantem inciderent: commiſſóque certamine Gallorum præfectum cum pluribus equitibus captum in ca-

ſtra

ſtra perducerent: à quibus cognitum eſt, Regem Laudenſi via munitis caſtris conſediſſe: Livianum cum exercitu ad Abduam progreſſum: Helvetios accepta pecunia, ultro citróque miſſis de pace oratoribus, ſequenti die conditionibus ſubſcripturos, & validam Gallorum ac Germanorum manum Palicia Duce caſtris digreſſam, circumpadanis campis appropinquare. Quibus vulgatis ſermonibus, Hiſpani qui ſumma alacritate paulò antè tranſierant, inordinati ac tumultuantes, non expectato imperio, repentè collectis vaſis pontem conſcenderunt: neque prius feſtinandi traijciendique finis factus eſt, tametſi Piſcarius increpando componere ordines conaretur, quàm in adverſam ripam, priusquam Pontificii Placentia egrederentur, univerſi conſtiterunt. Ita vana ſuſpicio à falſo timore nata, quum Dii ac Fortuna manifeſtè à Gallis ſtarent, ſupremos hæſitantium conatus, & fera conſilia diſcuſſit atque perfregit. At Cardinalis & Roſtius ad Modoetiam dimiſſis ab ſe regiis araldis, qui ad tractandas pacis conditiones advenerant, Mediolanum cum omnibus copiis conceſſerunt. Helvetii pedites privatis civium hoſpitiis ſuſcepti ſunt: equitibus verò ſuburbana ædificia, quæ ad Romanam portam vergunt, data. Ibi agebantur ſtationes, & crebrò equeſtria prælia committebantur, quòd Galli è caſtris ad portam uſque & Pontificii è ſtationibus in proximos campos & circumjectas villas quotidiana conſuetudine provehebantur. Venerat etiam paulò antè ad Ticinenſem portam Trivultius cum modica militum manu, ut colloquium poſtularet, civésque ad deditionem hortaretur. Sed illorum animis ne quicquam tentatis, ſubita armatæ plebis procella, quæ ex improviſo fecerat eruptionem, non ſine ſalutis periculo repulſus, in tutum ſe receperat. Coactis Mediolani omnibus copiis Maximilianus & Sedunenſis duces legatóſque in arcem vocant, & conſilio adhibent. Quum de toto belli genere deliberaretur, pluribus ad victoriam conducere viſum, ſi non prius acie decertarent, quàm aut ſe cum Pontificiis Hiſpaniſque junxiſſent, aut Gallum confiſum munitionibus

nibus ſuis,in æquiores campos,aliqua neceſſitate impoſita perduxiſſent: ſiquidem Helvetios alterutrum facilè conſecuturos apparebat, ſi caſtra Binaſcum uſque Ticinenſi via promoverentur. Cujus rei conſilium duabus rationibus explicabatur. Nam ſi Franciſcus ad motum hoſtium pertinacius munitiſſimo in loco ſibi perſiſtendum eſſe cenſeret, facilè à Binaſco per S.Angeli oppidum,atque agrum omni commeatu abundantem,ſe ad Padum perventuros judicabant, ubi Pontibus antea conſtitutis,ſociorum exercitus cum ſumma ſpe victoriæ jungerentur: ſin Gallus prætermetuens ne Papia urbe ſimul ac lapideo ponte Ticini amnis,quo in loco præſidium mediocre reliquerat, intercluderetur, Ticinum contenderet: eo caſu,aut in itinere æquiore conditione, pugnaturos, aut à læva continuò deflexuros Laudem Pompejam: indéque accitis ac receptis in caſtra Laurentio atque Cardonio, futurum eſſe, ut Livianum à propoſito itinere ſtatim averterent, & ſpem Gallis comminuerent, quam illi de victoria maximam ex rerum ſucceſſu, concepiſſent. Hæc quum prolatis in medium membranis,quibus menſuræ itinerum & regionis ſitus pictura deſcribebantur,ut agreſti ingenio homines certius deliberata cognoſcerent, nonnulli Duces, qui vetere judicio ſuo vel recenti pecunia adducti,apud Galaratum pacis conditiones acceperant,diſſentiendo & vanas difficultates immiſcendo,conſideratius maturiúsq; ea exploranda dicerent,totam ſaluberrimi conſilii rationem corruperunt. Quibus de cauſis Sedunenſis,ne fidelium animi interpoſita mora langueſcerent,& ſtudia incertæ multitudinis in perfidiam verterentur, eò omnes cunctis artibus ut quamprimum cum hoſte confligerent,deducendos eſſe exiſtimavit: ratus ſe aut egregiam relaturum victoriam, aut ſi Helvetii aliquam ex infelicitate prælii calamitatem accepiſſent, Gallorum genti cum univerſis Helvetiis inexpiabiles inimicitias, atque immortale odium conflaturum. Ergò cum ſigniferis & cum fideliſſimis pagorum principibus communicato conſilio, Mutium Columnam ſecreto admo-

admonet, ut ex compoſito, quum ſignum acceperit, ad arma conclamari jubeat, ac veluti hoſtes juſto exercitu ſuburbanis ædificiis appropinquarent, cum equitatu procurrat, & quanta maximè poſſit timoris atque ſimulatione periculi, ab Helvetiis auxilium imploret. Idem ut faciant primis cohortibus imperat, quæ virtute militari atque odio in Gallos inſignes, in ipſis ſemper principiis proxima hoſtibus loca ſibi depoſcerant. Ita quum pranſi milites meridiatum irent, & ab Ducibus in arce de belli ratione diſputaretur, ſubitò ab Romana porta tubæ & tympana concrepuerunt, ac mox de adventu hoſtium increbreſcente rumore, aliæ poſt alias cohortes, quum primæ ſequentibus, cauſam tumultus per manus traderent, atque omnes arma caperent, incredibili pugnandi ardore portis ſe effuderunt. Nec mora, etiam ambiguæ fidei legiones ſublatis vexillis ſubſecutæ, ne primos in eo tumultu, quod publicam ſalutem atque exiſtimationem reſpiciebat, deſérere, aut aliter de belli cauſa ſentire viderentur, confertiſſimis agminibus ad portam contenderunt. Cardinalis galero & purpura inſignis, prælata cruce, incedentium ordines militari equo prætervectus, ut ad ſigniferos, centurionéſque vel ad notos claris facinoribus milites pervenerat, adhortando accendendóque ut properarent, teſtabatur ſibi à Deo Maximo, Diviſque immortalibus promitti ejus diei victoriam, qua nón ſolùm univerſam totius Galliæ nobilitatem adoleſcentis regis auſpiciis inter duos hoſtiles exercitus deductam, egregiè pugnando deleturi eſſent, ſed contuſis Venetorum & Ligurum viribus propriâ virtute felicitatéque, toti Italiæ leges eſſent impoſituri, neque Germanos mercenarios milites, quod roboris apud Regem eſſet, quos tamen ſæpius acie devicissent, tam averſos à Cæſare, vel tam prodigæ virtutis fore, ut eos contra totius Germaniæ decus pro Gallis, qui veri hoſtes eſſent, pugnaturos exiſtimarent. Neque Vaſcones fugaciſſimum genus: vel equites illos ſerico, torquibúſque fulgentes, qui aliquantum plus præſidii quàm in equis atque calcaribus,

quàm

quàm in gladiis atque virtute reponere conſueviſſent, aut fortius aut conſtantius quàm antea fecerint, in acie dimicaturos arbitrarentur. Quod verò laboris atque periculi relinqueretur, id totum occupandis hoſtium tormentis ingenti animo ſubeundum. Vbi ſi qui fortè cecidiſſent, eorum animas à ſe pontificia authoritate ab omni labe criminis expiatas, relicta in terris egregiæ virtutis memoria, in cœlum protinus evolaturas conſtantiſſimè exiſtimarent. Talia paſſim commemorantem, progreſsúmque ad primas legiones, quæ jam in patentem viam venerant, Galeacius Vicecomes, Iohannes Gonzaga, Gambarus atque Aquila legati, ſecuti ſunt: adjunxeréque ſe exeuntibus Helvetiis nonnulli equites ex his familiis, quæ vetere benevolentia Sfortianum nomen colebant. Ex plebeiis quoque ſicariiſque hominibus aliquot armatorum manipuli prætereunti turbæ ſeſe ultrò admiſcuerunt. Vix dum Mediolano tria millia paſſuum progreſſi erant, nec minus triginta inde ſtadiis Gallorum caſtra aberant, quum falcones, quos numero decem ſecum adduxerant, diſplodere cœperunt. Quæ res equitibus Italis magnam ſollicitudinem atque admirationem attulit. Mutius enim ad Duces primi agminis mutata facie provectus, interrogare cœpit: Quânam inſania viri in re bellica principes, diſciplinæque magiſtri, intempeſtivis tormentorum boatibus hoſtes excitare contenderent, quos imparatos ac nihil de prælio cogitantes, invadendos eſſe cenſuiſſent. Cui à primis ordinibus alacriter reſpondebatur, ſatis ex diſciplina cum armato etiam atque inſtructo eo exercitu ſe pugnaturos, ſi ſuſpectæ fidei commilitones atque omnium pagorum vexilla uno conſilio ſecum in aciem deſcendiſſent. Quod fieri poſſe confiderent, ſi ea ſimulatione certiora contracti certaminis ſigna ad ſequentium ſociorum aures perveniſſent. Quorum virtutem infami pretio victam, ſi jam nulla omninò periclitantis publicæ dignitatis verecundia foret, cadentium ſaltem præ oculis affinium gemitus, militaris ſacramenti religio, & futuri mox in patria adverſus deſertores judicii

dicii metus,excitare atque accendere poſſe viderentur. Tanta enim arrogantibus animis virtutis fiducia inerat,ut maximas ac validiſſimas hoſtium copias ſumma contemptione deſpicerent, neque ullam tormentorum copiam,aut ullas loci munitiones,quo minus in caſtra vincendo perrumperent, impetum ſuorum moraturas arbitrarentur. Erant ante alios viri fortes,ſed barbaræ veſanæque virtutis Pelegrinus Landebergius, Centius Amerer,& Rodulphus Longus,qui tres voluntarias cohortes pugnaciſſimorum hominum in fronte conſtitutas habebant. Ij,quum in conſpectum hoſtium deveniſſent,tanto dimicandi ardore protinus exarſerunt, ut à cæteris Ducibus,qui ſaniore conſilio ſiſtenda ſigna,locum caſtris capiendum, & reficiendos à labore viæ milites jubebant, quin pleno paſſu ad hoſtem contenderent,retineri nequiverint. Borbonius atque Trivultius ad divi Iuliani templum,quod modico in pago eſt,caſtrorum principia habebant, viámque publicam præruptis undique foſſis, & de more regionis aggeribus communitam,non temerè ad ſiniſtram inſederant. Secundum eos Rex ipſe,& poſt eum Halenconius regulus, ad quem jure ſanguinis,ſi Franciſcus vita exceſſiſſet,regnum Galliæ pertinebat,mediam poſtremámque aciem modico intervallo inter ſe abjunctas collocârant. Ita tripartitò caſtra metati ut tres juſti exercitus ſibi invicem, quum caſus poſceret,commodius atque expeditius auxilio forent,lato ac munitiſſimo loco continebantur. Nam in circuitu frequentes erant foſſæ,ſtudio agricolarum ad irrigandos agros perductæ,novásque ut uſus ferebat, opportunis in locis Navarrus munitiones addiderat,oppoſuerátque hoſti ingentia ſcuta defixa ſolo & craſſis funibus conveſtita,ut his protecti Vaſcones tutius & certius in hoſtes ſagittarent. Hanc ſtatim caſtrorum formam locique naturam,Mutius & nonnulli Duces Helvetii ſpeculandi gratia in editiorem aggeris partem equis provecti animadverterant, ſubindéque notaverant, ad dextram locum caſtris opportunum relinqui,ubi ſatis ad humilitatem depreſſa planicies per-

petuo rivo,qui ad frumentarias molas defluebat,à duobus fermè lateribus cingebatur. Eo in loco,ut caſtra facerent, & refectis quiete, cibóque corporibus, nihil temerè de prælio cogitarent, ſuadere conabantur,monebant,ſicuti victoriam à conſilio,ita pœnitendos atq; irritos conatus ab inconſulta virtute proficiſci,eóſque ſæpius adverſos præliorum exitus ſentire conſueviſſe, qui audacia atque impetu potius,quàm utili mora & ratione hoſtem ſuperare confiderent. Poſtremò teſtabantur adverſus auſpicia provocari hoſtes,quòd vetere gentis obſervatione is hebdomadæ dies infauſtus foret, qui inchoante anno cæſorum ab Herode infantium memoria celebratus,toto animi circuitu verteretur: incidebat enim is dies in Idus Septembris. Sed quum furor & fatalis inſania, quod nunquam antea Helvetiis in caſtra acciderat, & militi obſequium & ducibus authoritatem abſtuliſſent,pugnaciſſimi quique procurrerunt, & cum Vaſconibus atque Germanis atrociſſimum certamen contraxerunt Trivultius atque Borbonius, qui multum antea de hoſtium adventu certiores facti aciem inſtruxerant, & tormenta idoneo in loco collocârant, quum haud dubiè premerentur,ut objectis flammis hoſtes tardarent, ſimúlque eos uſu ac munitione domorum privarent, univerſa pagi ædificia ſuccenderunt, & ſuos in patentiorem locum reduxerunt. Erat ante tormenta Gallorum foſſa ingens,ſummo audaciæ periculo ſuperanda,quam Navarrus cohortibus oppoſitis & Germani eximiæ virtutis denſis ordinibus tuebantur. Illuc audaciſſimorum juvenum globus, aliquanto certiore exitio,quàm victoria,pervadere non dubitavit. Erant ij ex omnibus pagis florenti ætate & ſingulari promptitudine lectiſſimi,qui pervetuſto gentis more,ut raros ante provectam ætatem militiæ honores aliquo inſignis virtutis opere edito conſequantur,aſpera quæque & difficilia belli munera ultrò ſibi depoſcere, & ſæpius cum exitiabili laude,propoſitam mortem ſubire conſueverunt. Hos ab immoderata fortitudine perditos vocant, & in ſummo honore atque admiratione habent, licétque

que illis una virtutis prærogativa, & vexillum ferre, & ducere ordines, & duplicata per omnem ætatem ſtipendia accipere. Neque alio felicis audaciæ inſigni à cæteris Perditi dignoſcuntur, quàm candidiſſimis pennarum manipulis, quos more Ducum è pileis ſpecioſa luxurie defluentes in tergum vertunt. Ij uno agmine adverſus tormentarias pilas ingenti animo progreſſi, quum magna clade accepta ex iniquiſſimo loco diu multúmque pugnâſſent, tandem pertinaci impetu pulſis loco Germanis, & rejectis Navarrinis cohortibus, per acervos morientium ad tormenta pervaſerunt. Quibus numero ſeptem occupatis, dum, ſpe pleni, confertis iterum ordinibus cedentibus incumbunt, univerſam primi agminis aciem perturbârunt. In eo diſcrimine Trivultius atque Borbonius diverſis in locis immiſſo equitatu, quantum viribus adniti & conſilio providere poterant, ad reparandam perculſam aciem huc atque illuc ferebantur. Nec ſuis deerat Navarrus, increpando alios, alios interrogando, num ut tantùm tergà verterent, turpiſſiméque vix dum hoſte conſpecto acie diffugerent, ab extremis Oceani finibus Pyreneiſque veniſſent? colligerent animos & celeriter ſclopetos atque baliſtas expedirent, tantiſpérque conſiſterent, dum latera novis equitum ſubſidiis firmarentur; & quam ignaviæ, aut iniquæ ſortis apud Ravennam malè pugnando notam ſubiiſſent, ea die fortiter pugnando delendam eſſe exiſtimarent. Ita uno tempore irruente ampliſſimo equitatu, Vaſconibus adhortatione & verecundia confirmatis, Germanis ira ac pudore locum tenentibus, prælium atrox ac varium redintegratum. Impellitur horrendo tormentorum ac armorum ſtrepitu utraque acies, vexilla rapiuntur. Mox Centius ac Pelegrinus pugnantes cadunt, Puriúsque prætorianæ cohortis præfectus, & quatuor cum eo ſigniferi majoris colubrinæ ictu ab latere conſternuntur. Nec defuêre laborantibus ſuis Helvetii, qui majore circuitu ad hoſtes pervenerant: nam coactis in unum ad triginta cohortibus, duplici agmine animis ac viribus recentiſſimis gradum intulerunt, & à

læva cum peditatu congreſsi, Sciatalardum clari nominis Vaſconum Ducem, ac Ludowicum & Georgium Hellemburgenſes ex Germanis nobiliſſimos interfecerunt. Ab altera verò parte irruentes equites laxatis aliquantulum ordinibus, in ſinum excepêre, ubi varia ancipitique fortuna diu certatum. Nam cataphracti, quanquam vi atque incitatione equorum diſperſis ac morientibus fœde proculcatis, raros tenuéſque manipulos cum multa ſtrage perrumperent, tamen quum denſis ordinibus occurrebant, aut præ longis contis induebantur, aut foſſis equis armorum pondere graves interibant. Periêre eo in loco acerrimè depugnantes alarum præfecti, Sanſerius è Sacro Cæſaris oppido regulus: Imbercurtius eximia virtute & longa militia clarus: Buſſius Amboſius, & Franciſcus Borbonii frater. Ipſe quoque Borbonius ſimile ſalutis diſcrimen adijt, ut ipſe dicebat, dum cruenta ea in acie verſaretur. Sed ego poſtea aliter ab ipſo Rege accepi nominatis teſtibus affirmante, Borbonium circumvento fratri opem ferre minimè auſum, intactúmque retrò ſe à conſpectu hoſtium ad ſecundam aciem recepiſſe. Trivultius quoque dum circumvento ac morienti ſignifero ſuo fruſtrà auxilium ferret, inter lanceas alabardáſque hoſtium conflictatus, vulnerato equo, criſtis galea deterſis, alariorum interventu periculo ſe eripuit. Iamque ægrè pluribus in locis prælium ſuſtentabatur, & Helvetii, quòd iniquiſſimam foſſam tranſiſſent, quòd tormenta magna virtute cepiſſent, quòd pulſo peditatu, perturbatis equitibus, in locum quem hoſtes tenuerant proceſſiſſent, meliore fortuna præliabantur: quum Franciſcus promota ſecunda acie, Alanconio pari paſſu cum poſtremo agmine ſubſequi juſſo, diſpoſitis per præfectos certo in ſpatio pluribus tormentis, quibus à latere hoſtium phalanges peterentur, cum nigra legione, ingentique equitatu opportuniſſimo tempore ſupervenit: ipſe regali paludamento, quod cœleſti colore aureis liliis diſtinguebatur, generosè apud hoſtes ac ſuos ſe regem profeſſus in prima acie verſari: impigrè hoſtem ferire: huc atque illuc

illuc incitato equo periculoſè acerrimis hoſtium inſultare: ac demum non oratione tantùm vel adhortationibus, ſed egregio veræ virtutis exemplo ſuos accendere. Tantus enim erat incumbentium impetus, tanta conſiſtendi pertinacia, tantùsque inerat etiam ſauciis ac morientibus vigor, ut regem in ea prælii iniquitate, & majeſtatis obliviſci, & vitam contemnere, & rem inclinatam manu ac viribus potius, quàm arte vel conſilio reparare oportuerit. Equites quoque, qui ad Novariam, Taroannámque fugiendo priſtinam virtutis opinionem amiſerant, ne ſi iterum cederent, ſempiterna in poſterum ignominia notarentur, aut decora morte, aut egregia victoria, pugnanti in omnium oculis regi ſuo ſatis facere contendebant. Cecidêre eo congreſſu Talamontius Tramulii filius, & Roya in Morinis nobili genere natus, & Vantellius, qui extra ordinarium regiæ turmæ vexillum cum Moio nobilioris alæ ſignifero, qui foſſis vineárumque traducibus impediti explicare ſeſe minimè potuerunt. Ex Helvetiis autem, Rodulphus Longus ille multitudinis concitator, & vetere in Ludovicum Sfortiam facinore inſignis. Item Flechius virtute magis quàm genere clarus, & Valterius Offius. Hic ob ſingularem prudentiam, & ſummam virium promptitudinem, quæ non facilè in ejus gentis hominibus commiſcentur, omnibus bellis, & Novarienſi maximè in pugna, magnam virtutis opinionem adeptus fuerat. Pugnatum eſt continenter horis ſeptem: nam in medio ardore certaminis, quum Sol occidiſſet, Luna eo tempore pernox claro ſplendore invecto utramque aciem in armis continuit. Fuitque horribile cruentiſſimúmque certamen, quandiu vel tantillùm luminis ſuperfuit. Mox condita nubibus Luna, quanquam laſſitudine, ac vulneribus feſſi hebetatis armis quieti locum quærerent, interim tamen per mutuum errorem cædis inſaniſque ictibus ſocii, pariter atque hoſtes crudeliſſimè ſternebantur. Helvetiis etenim Germani armis, lingua, habitúque non omnino diſſimiles, dum variis in locis ſe miſcerentur, prodente demum teſſera, fœdiſſimam

ſtragem per tenebras edebant. Neque ab tormentis tota nocte temperatum: quæ ſicuti incertis ictibus emittebantur, ita aliquantum plus terroris quàm cladis inferebant. Sedunenſis, qui ſpe, cura, laboréque ſuis non deerat, quum errore loci in Germanos incidiſſet, eorum linguam aſperiore voce mentitus, periculo ſe explicuit, & ſuperata foſſa ad conflagrantes domos reverſus eſt: ubi Roſtius & Anglardus ſplendore flammarum invitati, coeuntibus tanquam ad prætorium plurimis ducibus, ſignum ingenti claſſico propoſuerant, quo ſparſi errabundique milites ad vexilla vocarentur. Id erat ampliſſimum cornu Sylveſtris Vri operoſo argento in labris exornatum, quod à majoribus per manus traditum, apud Vranienſes Helvetiæ libertatis authores cum magna cura ac religione cuſtoditur. Ejus itaque beneficio, quòd à perito buccinatore ad humanæ vocis ſpeciem ſcientiſſimè more gentis inflabatur, plurimi conſervati ſunt: qui inter hoſtium cohortes vario errore delati, confundente aures tympanorum ſimilitudine, certum ad ſuos receptum habere non poterant. Egêre utrinque mutuo timore ſuſpenſæ acies inſomnem noctem, animis tamen quàm viribus ad dimicandum paratiores: Nam ſtrenui pariter atque ignavi, quanquam longo certaminis labore defatigati erant, diverſo tamen animorum habitu, vel navandæ operæ deſiderio, vel metu mortis excitabantur. Sedunenſis, ac cæteri duces, tametſi eos prima opinio plurimùm feſelliſſe videbatur, quòd hoſtes, ut deſtinaverant animis, ad primum impetum tanta etiam clade perturbatos minimè ſuperâſſent, ac irrito propè conatu fortiſſimos ſuorum amiſiſſent, tamen ſeſe non deſerunt: in concilium quàm plurimos vocant: & quum expectare lucem, & prælio iterum decernere cunctis placeret, quod omnibus rebus imparati advenerant, Mediolanum ad petenda omnis generis ſubſidia mittendum decernunt. Mittitur Iohannes Gonzaga, qui Maximilianum civéſque ad ancipitis prælii eventum ſollicitos nova ſpe impleat: cocta inprimis cibaria, & plurimos vini cados deficientibus laſ-

ſitudine

ſitudine ac ſiti militibus continuò ſubminiſtret: ac demum tormenta, pilas, & ſulphureum pulverem omni adhibita celeritate in caſtra transmittat. Duces verò atque ſigniferi digreſſi conſilio, ut quisque de Cardinale & de prælii eventu ſentiebant, variè apud milites loquebantur. Alii decoris & victoriæ cupidi, quum cladem, quam ipſi magnam acceperant, verbis elevarent, ſuorum fortia facta & Gallorum ſtragem in majus falſis narrationibus extollebant. Contrà alii adverſæ factionis, ut ſaluti maturè proſpicerent, & Cardinali in ſummis rerum difficultatibus conſtituto, dignitatis & vitæ periculum augerent, Mediolanum ſolutis cohortibus revertebantur. Equites quoque Pontificii, qui propter exiguum numerum haud magno uſui fuerant, magna ex parte metu vel deſperatione adducti, relictis ducibus in urbem redierunt. Cæterùm Franciſcus, quanquam ſummo timore atque ingenti periculo liberatus, tantæ virtutis homines egregiè ſuſtinuiſſe videbatur, reliquo tamen metu, & ſuprema veluti cura anxius, turbidæ noctis finem & incertæ fortunæ exitum expectabat. Neque corpori armorum pondere feſſo, ac ſiti & continuo labore æſtuanti majorem quietem dedit, quàm ut ſubducta ad ſpirandum galeæ buccula, dum equum mutaret, tormento paululum inniteretur. Inde ſtatim ad ducis munia transgreſſus, Livianum ut cum exercitu accederet per nuncios monuit. Mox ea re ab præfectis, quos in coronam advocaverat, equeſtri conſilio comprobata, caſtra aliquantulum contraxit: & quòd locus, qui primi agminis fuerat, ab hoſtibus tenebatur, munitiore ſpatio ſupra ſex millia Germanorum in margine foſſæ conſtituit: juſſitque eos pluribus tormentis ibidem opportunè collocatis præſidio eſſe. Ab alia parte magnum equitum numerum ſibi adjunxit: monuitque Borbonium atque Alanconium, ut utrinque pari ordine primam & tertiam aciem lateribus ſuis admoverent: ita ut ipſe recta fronte hoſti oppoſitus, ſicuti loci ratio poſtulabat, primi agminis vicem impleret, & duobus agminibus læva ac dextra conſtitutis tanquam cor-

nibus uteretur. Nec longè ab eo loco, Navarrus & magna multitudo Germanorum, quum per tenebras prælio dirempto, neque caſtrorum formam, neque regis conſilia agnoſcere potuiſſent, defixis ſolo vexillis conſederant. Franciſcus, ut qui non foſſarum ſitus, campique interjacentis & publicæ viæ ſpatia forent, oculis ipſe colluſtraret, in conſpectum hoſtium cum paucis equitibus progreſſus eſt: mox ſenſim in Auroram abeuntibus tenebris, ad cohortandos Germanos contendit, quos magnis pollicitationibus erectos ad conficiendum modico certamine bellum, & ad partæ jam victoriæ præmia capienda, certæ ſpei & alacritatis plenus accendebat: commemorans ſuperiorum temporum injurias, & clades quas Helvetii beneficio Fortunæ potius atque iniquiſſimis temporum & locorum conditionibus, quàm vera virtute Germanis intuliſſent. Proinde in animum inducerent, eam eſſe propriam atque expeditam rei benæ gerendæ occaſionem, qua conſanguineorum & commilitonum ſuorum cædes ulciſcerentur: ac ſimul fortibus factis declararent Germanos, ſicuti nobilitate fidéque præſtarent, ita virtute bellandique peritia militarem gloriam agreſtibus atque infidis hominibus minimè eſſe conceſſuros. Simili quoque uſus oratione, Gallos equites hortabatur, ne à majoribus ſuis degenerare vellent, qui ſuperioribus ſeculis equeſtri gloria omnibus gentibus præſtitiſſent. Nec minore ſpe atque animo apud Helvetios acies inſtruebantur, quanquam maxima ex parte milites, ſicuti diverſis in locis, atque in ipſis etiam hoſtium munitionibus vario caſu conquieverant, nullo cibariorum ſubſidio recreati, ægrè labantes artus ferocibus animis ſuſtinerent. Neque enim quæ ab Mediolano, procurante Gonzaga convehebantur, brevi & nocturno maximè tempore, quod omnes ſemper adminiſtrationes tardare conſuevit, adduci expedirívе poterant. Plerique etiam ſub Auroram oblatis jentaculis, quum tympanorum crepitu & fragore tormentorum ad pugnam vocarentur, optatos & neceſſarios fovendis viribus cibos relinquebant. Coivêre

in principiis nonnulli duces, inter quos erant Haslerius Foctius, ætatis honore, ac magiſtratus inſignibus clarus, & Chezzius Amman inter Helvetios natu maximus, qui amplius quadraginta annos centurio, aut ſignifer, aut tribunus in exercitu fuerat: & prælio illo memorabili, quo Carolum, Belgarum ducem ejuſque copias ad Nanſejum occidione deleverunt, ſingularem in prima acie laudem meruerat. Ij, ſive acceptæ cladis conſcientia adducti, ſive cognito deſertorum diſceſſu & jam lucis beneficio perſpecta locorum iniquitate, quòd ſatis ibi exiſtimationis, ad frangendos Gallorum ſpiritus heſterna dimicatione partum exiſtimarent, prælio abſtinendum eſſe judicabant. Sed quum fruſtra deprecando conteſtandóque promota jam ſigna ſiſtere, & procedentes ordines oppoſitis corporibus retentare conarentur, & fato, & libidini militum manus dederunt. Ita Rodolphus Segnius, Viſembachius, Vndervaldius, Vldericus Ioctius, atque Zambronius audaces acerrimæque virtutis duces, ratione committendi certaminis inter ſe conſtituta, bipartito ſigna intulerunt. Primum ac maximum agmen, in quo Tigurini pagi ſignum ſupremæ apud Helvetios dignitatis collocatum erat, recta adverſus regiam aciem, quam medium locum tenere docuimus, contendit. Aliud quod à dextris paulò infra conflagrantis pagi tecta ſubſtiterat, majore capto circuitu ad Alanconium poſtremo agmini præpoſitum, deflectere cœpit: eo conſilio, ut quum primi regem, & robora Gallici exercitus in ſe convertiſſent. Illi Alanconium infirmioribus vallatum præſidiis, magno impetu ab latere adorirentur, & perrupta ejus acie, in ſiniſtrum latus & terga regii agminis penetrarent. Aliam verò ſuorum multitudinem, quæ citra viam publicam à læva proximum campum tenebat, nullo ei certo munere capeſſendæ pugnæ demandato, quod ex parum fidelibus pagis conſtare putabatur, dextro cornu, ubi Trivultius atque Borbonius curabant, intervallo trecentorum paſſuum oppoſuerunt. Sed quum ad teli jactum proceſſiſſent, Galli ſtatim diſploſis in adverſos uno temporis

 puncto

puncto omnibus regiis tormentis,tantam ſumma celeritate cladem intulêre, ut prius temeritatis pœnas dederint,qui ob audaciam conſilium ſumpſerant, quàm manus conſerere,vel ad hoſtes pervenire potuerint. Eo caſu,quod per medium facta horribili vaſtitate ſtragéq; hominum,unum non erat amplius phalangis corpus laceratis ordinibus: pars,quæ ſecundos ictus timebat, terga vertere, & recipere ſeſe cœpit: pars deſpectis iterum tormentis in hoſtes impetum fecit. Ii conſtantiore quàm unquam antea virtute atq; audacia,pluribus & acceptis & illatis vulneribus foſſam ſuperârunt: & cum Germanis equitatúque regio congreſſi multa facinora efferæ virtutis ediderunt. Nam quum eodem quoque tempore Trivultius atque Borbonius extenſo cornu,& cirumflexis equitibus,in ſiniſtrum eorum latus incurriſſent,duplici fronte pugnare cogebantur. Sed Germani,qui acerrimo eo certamine Iacobum Conde,Henricum Ricurtium, & Saxeum fortiſſimos duces amiſerant,ira ac dolore ſimul incenſi,illato gradu eorum impetum repreſſerunt: & Pontinerium proceritate corporis animique virtute inter Helvetios duces clariſſimum adequitantem ordinibus,ac ſuos clara voce,adjectis in Germanos contumeliis, cohortantem, ſclopetorum ictibus equo dejecêre,& vaſti obeſique corporis adipe atque arvina patentibus plagis defluente,cruentas lanceas ſpectantibus Helvetiis inunxerunt: quæ apud Barbaros in acerbioribus odiis exactæ vindictæ graviſſima cærimonia perhibetur. Ibi quoque Zambronius,& Antius Encher, vaſti animi & terribilis ſtaturæ homines: quum ingentes gladios ſingulari peritia ambabus manibus regerent,& in media Germanorum acie verſarentur,detruncatis pluribus lanceis,multiſque hoſtium trucidatis,ad extremum tota acie in eos converſa,oppreſſi ſunt. Interiit & Chezzius Amman cadente equo, qui tribus etiam ſagittis confixus,in ea ætate plures horas adhortando pugnandóque, nec optimi ducis, nec fortiſſimi militis munus omiſerat: quum cæteri, quos ſuprà memoravimus,antequam congrederentur tormentorum

torum procella diſcerpti cecidiſſent, Ioannes & ipſe Berrus, Baſilienſium vexillifer, quum multis confectus vulneribus diutius ſignum ſuſtentare non poſſet, ne hoſtes eo potirentur, ſericum haſta detractum minutiſſimè conſcerpſit, & occubuit. Interea quoque ſecunda acies, quam ad Alanconium deflexiſſe docuimus, tantum poſtremo agmini terrorem intulit, ut equites magna ex parte, cadente Bemontio alæ ſignifero, pluribúſque eorum ad primum impetum interfectis, terga verterint, & effuſis habenis Laudenſi via curſum intenderint. Quo rerum tumultu factum eſt, ut agreſtes, & plerique ſpeculatores, qui in agris erant, equites Gallos inter impedimenta fugientes conſpicati, quum Franciſcum prælio victum putarent, de victoria Helvetiorum per omnem Italiam perſcripſerint. Et res profectò ab ea parte in maximum diſcrimen perducta fuiſſet: niſi Emarus Prieus, & Obigninus ſingularis experientiæ duces, qui cum Alanconio erant, fuga increpita, collectis in unum vexillis conglobatiſque militibus, ſummo labore pugnam ſuſtinuiſſent. Magno quoque perturbatis ſubſidio fuit Livianus, qui Venetorum exercitu adducto procurrens, cum nobilium Cataphractorum ala ſubſequentibus reliquis ſupervenit. Is, ut erat & pugnæ & navandæ operæ avidus, nulla interpoſita dubitatione, equites cohortatus ut ſe vadentem ſequerentur, in transverſos hoſtes incurrit: quem Helvetiæ cohortes duæ converſis ſignis alacriter exceperunt: & vulneratis pluribus, interfectóque Cepino Pitiliani filio ſummæ indolis adoleſcente, acriter incumbentem equitatum longius ſummovêre. Ejus tamen adventu magis, quàm viribus territa ea Helvetiorum manus, quòd univerſas Venetorum copias, quæ in proximo erant, adeſſe judicabat, ſaluti conſulere cœpit. Alii enim laſſitudine, vulneribus, ſiti, ſudoréque confecti in proximos hortos conceſsêre, ubi ſupervenientibus etiam ab regia acie ſubſidiariis equitibus, magna eorum pars conciſa eſt. Alii in proximam delati villam, quum diu porta ac muris duce Trulerio Schafuſiano ſtrenuiſſimo centurione ſe defendiſſent,

tandem

tandem Liviano authore ſuccenſa villa,tormentis flammiſque expugnati crudeliſſimè perierunt: alios palantes,refugientéſque,ad maximum ſuorum agmen,equitatus apertiſſimis campis conſectatus ad unum deleviſſet,niſi conſilio atque virtute veterum militum, qui in ea Fortunæ acerbitate diſciplinæ memores,ſibi ac ſuis nunquam defuère, denſata acie citra foſſam viámque publicam ad ſuos ſe recepiſſent. Eodem fermè tempore,tertia Helvetiorum acies, quam contra Trivultium atque Borbonium conſtitiſſe oſtendimus, ſive prælii iniquitate perſpecta, ſive deteſtabili adducta conſilio, quòd factioni atque odiis,quam publicæ neceſſitati ſatisfacere mallet,cædis atque alienæ virtutis ſpectatrix, vexilla Mediolanum ferre cœpit. Neque (ut erant timore perculſi) prælio ſuccedere voluerunt, quod tamen prope neceſſe erat, quum univerſam levem armaturam equeſtrem in oculis haberent, & frequentibus tormentis peterentur: quæ poſt equitatum inſidioſè occultata apertis demum turmis, ad tubæ ſignum per intervalla ſæpius emittebantur. Quibus de rebus cæteri quos apud regiam aciem pugnantes reliquimus, dum cæco furore atque ira perciti obſtinatione animorum magis quàm viribus locum tenerent, & alias recentes Germanorum legiones,ad quas pugna nondum pervenerat,ad dimicandum paratas in conſpectu haberent, deſperata victoria receptui cecinerunt. Magnum enim ad foſſam paulò antè detrimentum acceperant, quòd è ſuperiore loco à balliſtariis Vaſconibus incredibili ſagittarum multitudine configebantur,qui juxta ſclopetarios collocati,ut ſclopetis implendis & tendendis ſcorpionibus ſpacium darent,ita mutuo recurſu per centurias ſibi invicem ſuccedebant, ut continenti telorum grandine effuſa,inulta acies fruſtra petitis à virtute ſubſidiis ſterneretur. Dirempto prælio, cum Roſtius, Ronna, & Anglardus,atq; alii tantæ ac tam perturbatæ mulitudini monendo atque imperando ſuccurrere, vel ducum officia facilè implere non poſſent, ipſi milites etiam omnibus incommodis conflictati, ne fugere viderentur, in ea

rerum

rerum iniquitate, ſibi quod agendum erat, mira conſtantia ſingularique peritia præſcribebant. Nam ſauciorum cura habita, ut quiſque vulneribus debilitatus erat, bini milites ſumma pietate lacertis, atque humeris tulerunt: reductisque ad unum omnibus tormentis quæ Mediolano advecta fuerant, noviſſimum agmen recentiorum militum præſidio firmarunt. Adeò autem contempto paſſu via publica iter eſt factum, ut diſceſſus nihil fugæ ſimile habere videretur. Neque enim invadi facilè poterant, quod ab utroque viæ latere præ altis atque perpetuis foſſis muniebantur. Galli qui viginti horis continenter, dubia plerunque victoria, armati in acie conſtiterant, quum fluentibus ſudore artubus, ac labantibus laſſitudine equis, & denſa elevati pulveris caligine, & irrequieto atque horribili tormentorum reboatu oculorum atque aurium ſenſum penè amiſiſſent, finem inſequendi fecerunt: ita tamen victoria potiti, ut egregiè pugnando Helvetios magis vicerint, quàm eos in poſterum ullis viribus omnium opinione vinci poſſe docuerint. Helvetii ſuis hoſpitiis perhumanè ac liberaliter ſuſcepti, depoſitis apud publicas hoſpitales domos graviter vulneratis, reliquum diei ac ſequentem noctem recreandis corporibus dederunt. Poſtero die plateam, quæ ante arcem latiſſimè patet, tanta frequentia compleverunt, ut nullam propè cladem accepiſſe omnium æſtimatione viderentur. Ibi habito inter ſe concilio, quum trimeſtre ſtipendium poſtularent, & niſi id continuò ſibi perſolveretur, ſe abituros domum dicerent, minimè id præſtante Maximiliano, quòd tantam pecuniæ vim expeditam non haberet, Comenſi porta vexilla protinus extulerunt. Nec Cardinalis, ut qui adverſo rerum ſucceſſu apud eos aliquantum priſtinæ authoritatis amiſerat, allocutionibus ſuis quicquam profecit, quo minus univerſi Comum contenderent. Quamobrem relictis tribus cohortibus Helvetiis, quæ arci præſidio forent, ipſe cum Pontificio equitatu ac valida manu Sedunorum Leucum contendit, ſuperatóque Abdua per Saxinam vallem conciſis abruptiſque mon-

montium tramitibus in Volturenam vallem penetravit, unde mox tranſverſis alpibus Tridentum, atque inde in Germaniam ad Maximilianum Cæſarem profectus eſt. Helvetii verò, & cum his Galeacius Vicecomes, à Comenſibus, quòd vicinitate regionis, & mercaturæ commercio magnæ cum his amicitiæ neceſſitudines intercedebant, omnibus officiis ac facultatibus ſublevati, ſuperato Lario per Curiam Rhetiarum domum reverſi ſunt. Quum cæſorum ratio iniretur, Galli ex viginti quinque milibus Helvetiis, qui in pugnam prodierant, vix dimidiam eorum partem integram ſuperfuiſſe, & ex ſuis ad tria tantùm milia cecidiſſe contendebant. Helvetii autem & occiſorum ab ſe Gallorum numerum plurimum augebant, & cenſu domi habito, ad quinque millia fortiſſimorum hominum, ea expeditione ſe amiſiſſe fatebantur. Cæterùm ea victoria tot inſignium Gallorum funeribus tantóque periculo parta, Franciſco regi incomparabile decus attulit, exiſtimationémque regii nominis ita confirmavit & auxit, ut non immeritò, quum ejus noctis dieique eventum luculenter enarraret, effuſiſſimè lætaretur. Victoriam quoque novo gaudio perfudit Claudius Guiſa Antonii Lotharingiæ principis frater, quum interiiſſe crederetur, ſpirans inter cadavera hoſtium repertus. Is enim ſummæ ſpei adoleſcens Germanis præpoſitus, in prima acie uſque adeò egregiè, multis quidem acceptis vulneribus dimicarat, ut ſuperincumbente Helvetia phalange, inter ſuorum ac hoſtium cadentium acervos ſterneretur. Eo autem duplici prælio heſternoque præſertim, quum rex ipſe eximii bellatoris laudem adeptus conſenſu gratulantium procerum equeſtri honore digniſſimus cenſeretur, ejus dignitatis ornamenta de manu Baiardi viri fortiſſimi lubens accepit: quanquam abeſſent ſummi duces, qui ex militari cæremonia conceptis verbis diſtrictoque gladio, quo leviter ſiniſter humerus petebatur, eum ornare percuperent. Baiardum enim ideo cæteris prætulit, quod acerrimè inter hoſtes pugnantem conſpexerat, nec majores duces invidioſo

delectu ad id munus, tanquam inter ſe dignitate pares offendere vellet, ſimulque Baiardum præclaro judicii ſui teſtimonio celebrem perpetuò ſibi devinciret. Equeſtris ſiquidem ordinis dignitas, non in otio imbellibus ambitioſè quæſita, ſed fortibus teſtatæ virtutis merito in acie parta, viros vel infimæ fortunæ, longè nobiliſſimos efficere conſuevit.

XXXI. Pro Galliarum Rege, publica plerunque authoritate ſuſceptæ expeditiones potiſſimùm notantur ſequentes.

Anno 1480. Ludovicus cohortes Helveticas & Rhæticas conſcribit: cui 7000. præſto ſunt: quos in campis Catalaunicis Galliæ, quàm humaniter & liberaliter exceptos, cum pro hac vice opera eorum ulterius non indigeret, ad patriam remittit. *Sprach.* Hanc ipſam tamen primam expeditionem ζύῤῥαξις excepit, ut de revocando fœdere Bernenſes cogitârint. *Stettl.* lib. 6. pag. 280.

Anno 1489. à Carolo octavo, Galliæ Rege, bellum contra Franciſcum, Britanniæ citerioris Ducem, gerente, ex confœderatis & Rhætis 8000. conducti fuerunt: qui ſtrenuè ſe in prælio ad fanum S. Albini geſſerunt, victoresque extiterunt. *Stumph. Sprach.* qui tamen annum ponit 1488.

Anno 1494. hic idem Carolus, Regno Neapolitano, aliiſque dominiis in Italia, potiturus, ſelectiſſimam turbam, ex prædictis ſuis confœderatis ſecum duxit: Quorum tria millia, ſub Antonio Baſſæo, Ballivo Divionenſi, Genuæ; tria item millia, in Regno Neapolitano reliquit. Hi viriliter ſe gerentes, ſub Duce de Obigny, Calabriæ Gubernatore, à Ferdinandi Regis Neapolitani exercitu, quem Conſalvus Magnus Capitaneus ducebat, victoriam ad Seminaram, prope mare, obtinuerunt: Iidem etiam, ſub auſpiciis Domini de Perſi, Gallici Ducis, Comitem de Matalona, Ferdinandi Regis Ducem, ad lacum Bizzolum

lum vicêrunt. Alii, quos ſecum Neapoli reducebat, anno 1495. 6. Iulii in conflictu illo gravi ad Fornovæum, prope flumen Tarrum, de Confœderatis Italiæ, qui Carolum tranſitu cohibere conabantur, ſummam tandem, perſonam Regis tutando, viáſque cum aliis audacter aperiendo, reportârunt. Quid amiſerint inter alia Itali, *Paulus Iovius*, lib. 2. pag. 73. ſcribit: Hæc eſt illa memorabilis pugna Tarrenſis, qua majore aliquantò temeritate quàm ignavia, antiquum militiæ decus amiſimus. Quid Helvetii in ea præſtiterint, ejusdem teſtimonio diſce pag. 72. Nam cùm primi Italorum ordines prælongas haſtas lævo ſuſtentatas brachio (ut tum mos erat) ab ſolo excuterent, ſequentes verò ſcutati hoſtilia lato ferro jacularentur, & cæteri poſt ſcutatos baliſtarii ſagittas emitterent, non modò ſine timore aliquo, ſed etiam riſu ab Helvetiis excepti ſunt, qui in unum denſatæ phalangis corpus egregiè conglobati, id ineptum armorum genus atque eum pugnandi morem, facile contemnebant. Extemplo namque ubi appropinquatum eſt, extraordinarii delecti juvenes fermè trecenti, qui propter laudem ſummo quæſitam periculo, vitæ prodigi perditique vocabantur, ab utroque phalangis latere proſilierunt, ac ingentibus gladiis, quos ambabus manibus regebant, enormes haſtas præcidere cæperunt. Quorum audacia territi penè omnes, priusquam phalangis impreſſionem expectarent, terga verterunt. Atque ſic Helvetii Caroli Regis præſidiarii, magnis rebus Neapoli geſtis (victoriâ enim illuſtri contra Italos potiebantur) divitias non contemnendas corraſerunt: morbo verò Gallico pleriſque abſumtis, reliqui victi Regnum amiſerunt, & pauci admodum numero 148. (unico tantum ſuperſtite Duce Rodolpho Schwendio Tigurino; *Stettl.* pag. 323.) domum redierunt. Per quos tum primum contagioſus puſtularum morbus ad nos delatus eſt. Quo per Hiſpanos ex India Occidentali in Hiſpaniam, ac inde in Italiam, à noſtris demum, qui Gallo Neapoli militaverant in Helvetiam & Germaniam eſt deportatus. Ideoque Hiſpanis Indicus,

dicus, Gallis Neapolitanus, Italis & nobis Gallicus morbus, ad eam diem nobis incognitus, dicitur. Schwiz. Stumpf. Confer. Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. pag.9.

Eodem tempore, Ludovicus Aureliæ Dux, à Confœderatis Italiæ in oppido Aſtenſi obſeſſus, confœderatos Helvetios & Rhætos ſecum habuit: ultra quos Rex Carolus, ſub eodem Ballivo Divionenſi 10000. alios conduxit: ſed mox pace inita, Novaria, Ludovico Duci Mediolani, Aſtum, Ludovico Duci Aureliæ, cedit.

Anno 1495. Ferdinandus Rex Arragoniæ & Caſtiliæ, cum exercitu ſuo (ut Carolum diverteret) Parpenianum uſque venit, & in Galliam Narbonenſem excurrit. Huic Comes Foiſſæus ſe, cum 3000. confœderatis, opponit: quorum Dux Henricus Wollebius Vianius fuit.

Anno 1497. Carolus Galliæ Rex, Iohannem Iacobum Trivultium, cum exercitu, in quo quatuor millia confœderati erant, Genuam & Savonum uſque mittit: cumque ipſe etiam ad iter in Italiam ſe pararet, morte prævenitur.

In turbis & bellis illis, quibus Ducatus Mediolani à Gallis occupatus fuit, varia Helvetiorum & Rhætorum, quippe in diverſa ſtudia ſciſſorum, fortuna erat. Vtrique, & Gallo & Sfortiadæ domui, fœdere illi juncti erant. Eorum opem utraque pars efflagitabat: quam etiam ex vigore fœderum (quæ tamen rectè conſiderata invicem non erant contraria) contribuebant.

Anno Chriſti 1499. Galliæ Rex Ludovicus, Confœderatos ſuos Helvetios & Rhætos de milite interpellat. Galeatius Vice-Comes, Ducis Mediolani Legatus, intercedit: & ne illi contra Ducem ſuum Regi ſervirent, inſtanter petit; imò ipſe auxilium efflagitat.

Gallus tamen, 12000. Helvetios, etſi eis (jam enim Ducatum Mediolani occupaverat) non admodum indigeret, tantum ut à ſervitio Ducis ipſos abſtraheret; per Legatum ſuum Antonium Baſſæum, Ballivum Divionenſem dictum, conducit: quorum ope, quod reliquum erat in Valletelina, præcipuè oppidum Tyranum, in cujus caſtro 500. Lanciferi, à Ludovico Duce

relicti erant, occupat. Helvetii tamen, malè quoad ſtipendia tractati. (*Stettl.* pag. 361.) domum mox revertuntur: quorum 2000. cum quibus Rhæti etiam concurrebant, Cæſari Borgiæ, Duci Valentino, Alexandri Sexti Pontificis filio, in occupanda provincia Flaminia, inſerviunt.

Anno 1507. Ludovicus Galliæ Rex, in occupanda urbe Genua confœderatorum copias ſecum habuit, eosque, quòd bene ſe geſſiſſent, lauto excepit convivio; *Stettl.* l. 8. p. 386.

Anno 1509. cùm plerique omnes Europæ Monarchæ, fœdere, Cameriaci facto, contra Venetos moverent; Confœderati etiam aliqui Gallo ſerviebant: qui in memorabili illa, ad Rivoltam in Glerâ Abduanâ, contra Venetos pugnâ, fortem operam navantes, à Gallo liberaliter dimiſſi ſunt. Cùm poſtea fœdus eo ipſo anno expirâſſet, ambivit quidem Rex eorum iterum amicitiam an. Ch. 1511. 1513. ſed anno demum 1516. Irenicum primùm, poſtea an. Ch. 1521. auxiliare inter Helvetios (Tigurinis exceptis) ſancitur fœdus.

Anno 1522. Gallus, cum confœderatorum copiis, recuperationem amiſſorum tentat. Sed hi infeliciter, ſub Duce Lautrecho, contra Proſperum Columnam, ſummum hoſtium Ducem, ad Bicocam, in Ducatu Mediolani pagum pugnant, & ſpe ſuperandorum hoſtilium aggerum fruſtrati, loco cedere coguntur. Multi tunc ex ordinum ductoribus, globis ferreis læſi, occubuêre.

De hoc bello prolixius agit *Galeat. Capella* de bello Mediol. l. 2. p. 15. Sed quum per levis armaturæ equites hinc inde aliquandiu pugnatum fuiſſet, Lautrechus ad vicum Landrianum inter fines Laudenſis & Papienſis agri cum exercitu tendit, indeque Moguntiam petiit, quæ profectio, etſi fugæ ſimilitudinem non haberet, tamen Proſpero ac cæteris Ducibus veriſimile videbatur, quod quotidie variis rumoribus & nunciis ſignificatum erat, Elvetios diuturnam militiam ferre nolle, præſertim quum ſtipendium paulò pòſt defuturum intelligerent, & propterea Gallum in ea loca hac ſolum

ratione

ratione veniſſe, ut commodius per velites pecunias nuper è Gallia Aronam uſque ad ſe delatas reciperet, itaque Elvetios in officio contineret. Verùm per Anchiſem Vice-Comitem, qui cum quingentis peditibus, aliquotque levis armaturæ equitibus, à Morono miſſus, juxta Buſtum oppidum haud procul Arona conſederat, timor non mediocris iis fuerat incuſſus, qui deferendæ pecuniæ onus ſuſceperant, ita ut inde abſcedere per aliquot dies minimè auderent. Quo effectum eſt, ut Elvetii, qui jam dudum inviti militabant, poſtquàm Moguntiam venêre, efflagitarent ſeſe domum dimitti, vel ſieri pugnandi poteſtatem, & quamvis durum utrumque Lautrecho videretur, quippe qui pugnandi ancipitem fortunam ſemper timuit, tamen quum dimiſſis Elvetiis, diſſolvere exercitum neceſſe ſibi fore perſpiceret, univerſis ducibus, qui ſecum erant ad id conſentientibus, collaudata eorum promptitudine ac fide, cohortatiſque ad pugnam cæteris militibus in poſterum diem juſſit omnes adeſſe, ut adverſus hoſtem proficiſcerentur, & manum audacter conſererent, ad quos in hunc ferè modum verba fecit. Quòd toto hoc in bello fortiſſimi milites ſemper exoptavi, ut virtutis veſtræ periculum facere aliquando daretur, id hodie vobis ita expoſcentibus contigiſſe gratulor. Magnam enim victoriæ ſpem plerunque pollicetur militum alacritas, quam in vobis præcipuam cognoſcere mihi videor, quum pugnandi cum hoſte poteſtatem tantopere popoſceritis. Quod ut temere faciendum nunquam putavi, ita veſtros animos, tanquam ferri aciem, retundere minimè æquum duxi, præſertim quum adverſus eundem hoſtem decertandum ſit, quem in urbe Mediolanenſi per bimeſtre obſeſſum adeò tenuiſtis, ut vix ſui videndi copiam facere unquam auſus fuerit: nec mirum. Quid enim equitatus ex Hiſpania regnoque Neapolitano ubique ſemper contemptiſſimus lucrari vobiſcum potuiſſet, qui omni tempore apud omnes nationes ſummam in bello laudem retuliſtis? Quid tria millia Hiſpanorum peditum adverſus vos fortitudine & numero longè ſuperiores

proficient? neque etiam timorem vobis incutere debent Germani (etſi bellicoſa ea gens ſemper habita ſit) cùm ii, qui in exercitu hoſtili ſunt, non è vera illa Germania trahant originem, ſed in Tridentinis ſaltibus ſint collecti, & aliâs militiam nunquam exercuerint. Reliquus verò peditatus ex agro & populo Mediolanenſi, cui tot annos imperavimus, delectus fuit potiùs ad ſpeciem exercitus, quàm ad pugnam. Iam verò quid Proſperum Columnam eorum Ducem recenſeam? hominem ſenio confectum, & qui in prælio nihil magis quàm de fuga cogitaturus ſit, ut veſtras manus effugiat, non immemor ſuperioribus annis ſe Chriſtianiſſimi Regis, dum contra eum arma ferret, multos menſes captivum fuiſſe. Quid Ferdinandum Davalum peditatus Ducem æquè timidum, parúmque honoris ſui ſtudioſum? quippe qui paulò antè juſtiſſimis ex cauſis ob violatam ſcilicet in fœdere Comenſi fidem ad ſingulare certamen à Iohanne Cabanneo provocatus, non modò congredi, ſed ne reſpondere quidem fuit auſus. Quocirca Deo Optimo Maximo juvante arma mecum milites capeſſite, fortitudineque veſtra non ſolùm Mediolanenſe imperium, verùm etiam totam Italiam ex hoſtium manibus hoc uno prælio vindicate. Ita maximum Regi decus, vobis perpetuum nomen, & virtutis veſtræ uberes fructus inde referetis. Hujuſmodi oratione cùm hoſtium vires parvi penderet, ſuorúmque extolleret virtutem, & magnis victoriæ propoſitis præmiis militum animos ſatis excitatos exiſtimaret, ſub ſolis ortum, curatis tamen priùs corporibus, Moguntia egreditur, rectaque iter arripit verſus Picocham, qui locus tribus paſſuum millibus à Mediolano diſtat, ubi domus eſt villæ valdè opportuna, circumque viridaria haud exigua ſunt profundis foſſis vallata, juxta etiam prædia effoſſi fontes, indeque deducti rivi ad prata irriganda, intra quos Proſper exercitum communiverat, tutum & opportunum locum ratus, tum ut majore commodo pugnaret, ſi forte ad prælium provocaretur, tum etiam ut hoſtem ab urbe excluderet: quod quidem ante

omnia

omnia, poſtquam civitate exierat, cordi habuit, ne ipſum egreſſum aliquando Galli ad eam occupandam properantes prævenirent. Et fortè, ubi nunciatum eſt, adventare hoſtes, Moronus paulò ante in caſtra venerat, ad quem converſus bono animo eſſe juſſit, ſe jam viciſſe affirmans, ſi hujusmodi in loco exercitum ſuum hoſtes adorirentur, ſimulque hortatur, ut Mediolanum quamprimùm revertatur, & aliquot millia peditum Mediolanenſium ad ſe mittat, quod tantis animis effectum eſt, non ſolùm à populo, ſed ab ipſo etiam Duce Sfortia, ut univerſis paſſim pugnandi ardor incredibilis innatus videretur. Egreſſi itaque ſunt ex urbe circiter ſex peditum millia, & quadringenti equites cum ipſo Duce, reliquis juxta aggeres ad urbis cuſtodiam diſpoſitis. Et quamprimùm ad Picocham ventum eſt, jam multæ Elvetiorum phalanges cum bellicis tormentis adverſus frontem Cæſariani exercitus contendebant, quam Germani pedites ſub Georgio Frondeſpergo Duce imperterriti tutabantur, à latere multi ex Elvetiis ab Hiſpanis ſcloppis interficiebantur, nec præ foſſarum altitudine poterant Elvetii (qui mos eſt eorum in prælio) adverſus hoſtilia tormenta progredi : à ſiniſtra verò parte Fuſius cum trecentis equitibus ex robore exercitus delectis, peditumque acie per viam Mediolanenſem feſtinabant ad pontem, per quem in caſtra hoſtium erat aditus : ſed Ducem Franciſcum & Mediolanenſes nactus, poſtquàm paululum pugnâſſet, coactus eſt pedem referre : à dextra autem alia equitum ala mutata cruce alba, qua Galli ſignantur, in rubram, nitebatur Lautrechus unà cum Cæſarianis caſtra ingredi, ſed fallacia in tempore cognita, juſſit Proſpei ſuos omnes herbæ aut ſpicarum, quibus agri tum referti erant, manipulos capiti imponere, ut ab hoſtibus dignoſcerentur. Itaque evitato dolo, victoria penes Cæſarianos & Mediolanenſes fuit. Cecidere in eo prælio Elvetiorum tria millia, cum decem & ſeptem eorum Ducibus. In Cæſaris autem exercitu pauci deſiderati ſunt, unúsque tantum è ducibus, Ioannes Cardonenſis, Coloſſani oppidi in Sicilia Co-

mes ſagitta faciem tranſfixus, occubuit, dum in medio ardore pugnæ caſſidem elevat, ut quid agendum foret, abſque impedimento cerneret. In hunc modum Galli potiùs pugna abſcedere coacti, quàm fracti, tormenta reduxerunt. Impedimenta quoque, ſi quæ ſecum attulerant, Moguntiam reportárunt, ibi quum ſolam noctem Lautrechus quieviſſet, ſub Solis ortum ad oppidum Tritium, quod in ripa Abduæ poſitum eſt, proficiſcitur. Confectóque ponte, Elvetios, qui ſeſe dimitti flagitabant, per Bergomatum agrum in patriam redire permittit.

Anno 1523. Gauffierius, Galliæ Admiralius, & exercitus ductor, magnas copias in Inſubriam ducit. Rhætorum 5000. duce Dietegano à Salis, ad Fridericum Gonzagam Pozzulum, Gallicum Ducem, qui Laudæ Pompejæ reſidebat, per Bergomatum ditionem, tendentes, à Ioanne Mediceo, Coſmi, Magni Hetruriæ Ducis patre, continuis velitationibus defatigantur: & viis undique occupatis domum redire coguntur.

Anno 1524. Franciſcus, Galliæ Rex, infelici ſucceſſu & reditu Admiralis in Galliam commotus, ipſemet bellum maximo cum exercitu, in Inſubria reſtaurat. In eo, ordinum Ductore eodem Dietegano, 6000. Rhætos habet: qui tamen mox à magiſtratu, propter inopinam Caſtri Clavennienſis, à Ioanne Iacobo Medicæo occupationem, ſtipendiis à Rege perſolutis, domum revocantur. Apud Regem tamen aliquot Rhæti permanſere: è quibus Florius Taccius & Ioannes Sceccius fortiter ad Ticinum, anno milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto 24. Fèbr. pugnantes occubuere. Petrus etiam de Zuno, de Ardetio dictus, cum aliis ibi captus: Ipſe etiam Franciſcus Rex à Cæſarianis circumventus captus & in Hiſpaniam abductus fuit. *Sprach. Schvviz.*

Anno 1527. Iohannes Iacobus Medicæus, Principum Confœderatorum Galliæ & Italiæ partibus addictus, ex Rhætis, quibus Dieteganus à Salis præfectus erat; & Vraniis Helvetiis, milite collecto, Ducatum Mediolani pe-

ni petit. Antonius de Levâ, Hiſpanus, Cæſarianorum ductor, Mediolano egreſſus, incautos, ſummo manè, ad Carathum, prope flumen Lambrum, obruit & profligat. Medicæus tunc primus in fuga fuit.

Anno 1528. Lautrechus, Gallorum primarius Dux, Neapolim cum Confœderatis infeliciter obſidet: ipſo Duce, & majore parte exercitus peſte abſumtis.

Anno 1536. Confœderati, Regi Galliæ inſervituri, Avenionem petunt: ibique ſummam Regis benevolentiam experiuntur.

Anno 1543. Rex Galliæ cum Confœderatorum copiis, (Rhæticorum ordinum ductores erant, Antonius & Hercules à Salis) inſtante hyeme, ſuis in oppido Landreſij obſeſſis, renitentibus Cæſarianis, commeatum & recentem militem, pro voluntate immittit: in Galliam, paucis deſideratis, incolumis revertitur. *Sprech.* Partémque Lucenburgici Ducatus devincit. *Schvvitz.*

Anno 1544. ſtrenuam operam Confœderati Galliæ Regi, copias ducente Franciſco Angujano, Borbonio, regii ſanguinis Principe, contra Cæſarianos (quorum Ductor Alfonſus Davalus, Marchio Vaſti erat) in memorabili illa pugna ad Ceriſolam apud Subalpinos, navârunt: Carignanum tunc deditione receptum fuit.

Eodem anno, ad impediendum iratum Cæſarem, totis viribus Pariſios per Campaniam petentem, 20000. Confœderati Regi Galliæ promptè inſerviunt: paulò poſt pace inter Cæſarem & Galliæ Regem inita.

Anno 1545. Galliæ Rex ingenti cum exercitu, terreſtre itinere, (cum Anglicana claſſis Maris oram legeret) Boloniam, ſuperiore anno ab Anglis ereptam, petit; duodecim cohortes Rheticas, Duce Antonio à Salis, ſecum ducens; cúmque urbis capiendæ, ob frigus intenſum, ſpes non eſſet: propugnaculum fortiſſimum, ad excurſiones Anglorum prohibendas, erigit. Sed mox anno ſequente pacis conditionibus, urbs Gallo reſtituenda obligatur. Referuntur hæc à *Stumpf.* & *Schvvitz.* ad an. Ch. 1544.

Anno 1553. Rex Galliæ cum Confœderatorum exercitu, Cæſaris irruptiones in Piccardiam avertit.

Anno 1555. Gallorum exercitus, Confœderatorum auxilio, Vlpianum in Pedemontio expugnat.

Anno 1557. Galliæ Rex, per Franciſcum, Ducem Guiſium, qui Confœderatos in exercitu ſuo habebat, Paulo IV. Pontif. contra Hiſpanos, quos Albæ Dux ducebat, in Italia belligeranti, ſuppetias mittit.

Anno 1558. Idem Galliæ Rex, Confœderatorum auxilio (in quibus Rhæticarum cohortum Chiliarcha, Rudolphus à Schovenſtein erat) ante 211. annos amiſſam urbem Caletum, ab Anglis recuperat.

Anno 1562. Confœderati, Carolo IX. Galliæ Regi, auxilio profecti, in prælio ad Plovillam, vicum apud Druydas, ita viriliter ſe geſſere, ut etiam ab hoſtibus conſtantiæ & fortitudinis bellicæ laudem meriti fuerint. Gallicus quidem atque Germanicus Proteſtantium equitatus, magna tunc vi in Confœderatorum phalangem impreſſionem fecit; & pleroſque ex primariis Centurionibus concidit: hi nihilominus tertiâ vice aciem ſuam reſtaurârunt, & ordines conſervârunt. Vide *Comment. de ſtatu Relig. & Reipub. in regno Galliæ* ſub Carolo IX. an. Ch. 1561. pag. 120. & deinc. *Hiſt. Vniverſ. D.D. Aubigne* l.3.c.14.an.Ch.1562.

Anno 1567. à Carolo, Galliæ Rege, iterum vocati, eumque tutati ſunt: prælioque ad S. Dionyſinm, prope Lutetiam, commiſſo; biennio poſtea in Gallia perſeverârunt, & Regis ſigna ſunt ſecuti.

Anno 1569. ad Baſſacum & Montconturum pugnatum fuit: ubi Regius exercitus victoriam reportavit.

Anno 1574. prope Diam, Delphinatus oppidum, Helvetiorum & Rhætorum aliquot cohortes, Regis Galliæ partes ſecutæ, à Domino de Monbruno, Proteſtantium ibi Duce, ex inopinato, loco anguſto, opprimuntur, ac cæduntur. Refert quidem *author Comment.* modò memoratorum ſub Henrico III. p. 109. *ab Helvetiis incredibili alacritate & conſtantia pugnatum eſſe*: ſcribit tamen tantam noſtrates paſſos jacturam

ram

ram *Dominus D. Aubigne*, ut Helvetius quidam cohortis elapſæ Ductor fuerit faſſus: *Iulium Cæſarem, Regem Galliarum* (ad Marignanum) *& Monbrunium genti Helveticæ graviſſimam cladem intuliſſe*. Hiſt. univ. p. 709.

Anno 1588. Heinricus III. Galliæ Rex, inſidiis Ligæ (ita Vnionem rebelles ſubditi, contra regium ſanguinem initam, vocabant) Pariſiis fermè oppreſſus, anno ſequente exercitum ex Confœderatis conſcribit. Rhæticarum tum cohortium Dux primarius erat Rudolphus à Schovenſtein: in cujus demortui locum ſucceſſit Hartmannus ab Hartmannis, eques auratus.

Rege autem à Monacho nefariè perempto, ad Coronam Galliæ legitimè vocatus fuit Henricus Borbonius, Navarræ Rex, qui Henrico tertio, contra Ligam, auxilio priùs venerat: poſthac quartus hujus nominis dicendus. Hic animo intrepido rem & regnum eſt aggreſſus: annóque 1590. ſequente, memorabili prælio cum exercitu ſuo, in quo noſtri Confœderati erant, hoſtes ſuos, quos Carolus Lotharingus, Dux Maynius, magno numero ducebat ad Iurium, propè fanum Druydum, feliciter vicit, & plurima oppida recepit. De quo quidem prælio & victoria Regis Canticum extat *D. Du Bartas*. Deſideratus fuit in hac pugna Comes Egmondanus, Comitis Egmondani, qui Bruxellis capite plexus fuit, filius.

Anno 1593. Idem Galliæ & Navarræ Rex, ad compeſcendas in totum rebelles Ligiſtas, & Hiſpanos ex Gallia expellendos, Confœderatorum copias novas conduxit.

Anno 1610. Heinricus IV. Galliæ & Navarræ Rex, Magnus digno cognomine dictus, Confœderatorum copias iterum in Galliam evocat: quo nefariè & proditoriè (heu facinus!) per Franciſcum Ravilliacum occiſo, illæ in Ducatum Iuliacenſem, favore Brandenburgici & Neoburgici Principum, mittuntur: Iuliaque urbs cum reliquo toto Ducatu capitur.

Anno ſequente idem iisdem copiis uſus eſt ad ſedandas turbas à quibusdam Regni Principibus excitatas.

Secutæ ſunt & aliæ Helvetiorum pro Galliarum Rege expeditiones, quas ex recentioribus ſcriptoribus, Stettlero cumprimis & Lotichio facile fuerit addere.

XXXII. Dandum tandem aliquid authorum exterorum cum domeſticis collationi in examine *temporis, perſonarum, & rerum.*

XXXIII. *Temporis examen* reſtituet lapſus Chronologicos authorum exterorum ex annalibus domeſticis, in quibus [a] plerunque major eſt fides, & certior [b] annorum, quo prælia ſunt geſta, conſignatio.

a. Certum enim eſt, à noſtris etiam hìc nonnunquam peccari, ut ſupra monuimus pag. 233.

b. *Author Archontologiæ Coſmicæ* p. 606. probaturus vix magni nominis ab aliquo tempore celebrari prælium, aut bellum, cui Helvetii non interfuerint, ita ſcribit:

Durante hujus Reipublicæ bene conſtitutæ laudabili regimine res magnæ patratæ ab Helvetiis, cùm inter ipſosmet in patria, tum apud Exteros; quò referenda præclari nominis prælia, quibus plerunque inferiores licèt numero, victores de magnis Exercitibus extitere, interdum autem ſuccubuere, ſic tamen ut etiam cæſi victoribus multo ſanguine, pàlmam redimentibus, dolorem aliquem, & ſui metum incuſſerint. Illuſtriora nudè annotabimus exempla, quorum Hiſtorias alibi explicatas legere eſt.

Prælium ad Moregartum apud Sylvanos an. Chriſtì nati 1315. *Tres obſidiones Tiguri* 1351. *&* 1352. *Conflictus Tatevillanus* 1351. *Bella Kiburgica* 1352. *Sempachianum* 1368. *Nevelianum* 1388. *Ad fontem B. Virginis (Fravvenbrunnum)* 1374. *Laupienſe* 1399. *Diverſa*

verſa expeditiones in Regiones Inſubrium 1410. 1411. 1425. 1426. 1503. *In regnum Neapolitanum* 1503. *Galeronam* 1510. *Ad Paviam* 1512. *Pugna ad Baſileam* 1444. *Ad montem Faginum prope Campodunum* 1460. *Expeditio in Burgundiam* 1475. *Prælia illa magna ad Granſonium & Moratum in Aventicis* 1476. *Ad Nanceium Lotharingiæ* 1477. *Ad S. Aubini* 1409. *Bellum Suevicum, prælia in loco, qui vocatur Cavernaturmarum* (das Schwaderloch) *vel quaſi exhalationum. Ad pagum Iornicum* 1444. *Expeditio Furlinum ſeu Foroliivienſis* 1499. *Prælium ad Novariam* 1513. *Expeditio in Burgundiam.* 1513. *In Mediolanenſem agrum* 1505. *Prælium ad Marianum* 1515. *Ad Picoccium* 1522. *Expeditio Vitobergenſis* 1519. & 1525. *Bellum Muſſenſe* 1531. *Expeditio verſus Avenionem* 1536. *Prælium Pede Montanum ad Carionem* 1544. *Expeditio in Picardiam* 1544. *In Pedemontium* 1555. *In Galliam* 1573. *In Belgium pro Hiſpaniarum Rege.* 1574. *Prælium ad novum Portum* (*Nieport*) *In Flandria* 1600. *Expeditio ad Iuliacenſes* 1610. &c. *Præter alia multa ſpecialia prælia, Expeditiones, Obſidiones, oppugnationes, & facinora militaria, quibus Helvetiorum copiæ interfuère in Gallia, Hungaria, Belgio, Pedemontio, Germania, adeò ut rarò vexilla ſua aëri publico, Mars funeſtus & gradivus oſtenderit, & Claſſicum cecinerit ad prælia, ubi Helvetij ſub ſignis his, vel illis non militârint.*

Hic quidem rectè, ad mentem omnium, prælium Morengartenſe refert ad an. Ch. 1315. Ita enim *Vitoduran. Simler. Stumpf. Stettl. Schvviz.* Ipſe tamen locus apud Sylvanos non eſt. Tertium iteratam urbis Tigurinæ obſidionem; pugnam Tetwilanam, bellum Kiburgicum Comitis Rodolphi contra Solodorenſes & Bernenſes; Nevelianum, ad fontem B. Virginis & pleraque ſequentia ſuis poſuit author annis; recedit tamen multum à noſtris annalibus, dum Loupenſe prælium ad annum Ch. 1399. quod an. Ch. 1339. accidit, rejecit. Sempachianum a. 1386. non 1368. Puto tamen typothetæ eſſe ſphalma. Expeditionem Galeronam noſtri anno Chr. 1511, notant,

notant,eóque exeunte: Vnde expeditio hyemalis vulgò, der Winterzug appellatur. Prælium ad S. Aubinum contra Britanniæ Ducem, à Carolo geſtum eſt anno Chr. 1489. juxta Stumpf. & Schwiz. vel, juxta Stettler. & Spræch.an.1488.nimis verò turpis parachroniſmus eſt, an.1409. Sic Mediolanum, triplici militum turma (de quorum differentia ſuprà egimus, pag.231.) Helvetii petunt 1515.non 1505.

XXXIV. *Perſonarum* συμϐιϐασις vel nomina earum [a] addet ex monumentis noſtris, ſi deſint; vel corriget, ſi vitiosè [b] ſcripta occurrant; vel alia [c] ſubſtituet, ſi præter fidem ponantur.

(*a*) Certum eſt magnum fidei faciendæ nominibus propriis ineſſe pondus. Tollitur enim dubitatio, ſi rei geſtæ non Individua vaga, ſed certa & ſignata interfuiſſe dici queant. Atque hoc ſubſidium aliunde expectari non poteſt, quàm ex annalibus domeſticis. V.G. ſuprà, pag. 300.l.16. ex Vitodur.didicimus, militem & nobiles præcipuos in Morengartenſi cecidiſſe prælio. Vin' nomina? Suitenſium ſeu Helvetiorum conſulendi ſunt annales, ubi inter cæteros, Comes Hulldericus Habſpurgicus, Raperſuilæ Dominus; Hulldericus de Rüſegg, Baro: Tres Barones de Bonſtetten; Duo Hallvilani, & duo Geſsleri, qui Archiducis mandatu, in vicinis cœnobiis Rutenſi, Eremitano, & Capellano erant ſepulti. *Stettlerus*, ibid. *Gerardus de Roo*, ſup.pag.301.lib.30.ſcribit: *Aderant in ejus exercitu Tigurini quinquaginta, &c.* Omnium quidem nomina hactenus non innotuerunt; quorundam tamen Catalogum in Rationali, quod vocant, ſeu Calendario Eccleſiæ Tigurinæ reperi hoc ordine & titulo: *Hi occiſi ſunt apud Svvitz* 1315. *VViſſo, miles. Vlricus de Hettlingen, miles. Vlricus am VVaſen, de Vſtra. Iohannes Bruhunt* (in menſe Julio ejusdem Anniverſarii; fit mentio Burckharti militis, dicti Bruhunt) *Iohannes Heervveger de Zolickon. Vlricus*
dictus

dictus Zeli,de VVeſen. Iohannes, dictus VVagen,de Luceria. Henricus miles de Rümlang. Panthaleon miles, filius prædicti Rodolphi,militis de Landenberg. Id.l.19. In Tetwilana pugna noſtri non modò *Maneſii* cujusdam, quod Gerardus de Roo monet, faciunt mentionem, ſed clariùs, *Rüegerum Maneſſium, Senatorem Tigurinum & Locumtenentem* vocant, qui animum, abſente Brunio Duce, militibus addidit. Nomina quadraginta illorum Tigurinorum,qui in clade illa occubuerunt, etſi haberi omnia non poſſint, aliqua tamen extare, & ex monumentis noſtris erui,ſatis eſt. Reperitur autem in Catalogo defunctorum Eccleſiæ Tigurinæ ſequens triga: *Iohannes,dictus Gorgheit. Rudolfus,dictus Meiſo.Henricus, dictus VViler, an.D.1352.hi occiſi ſunt propè Baden.* Atqui ex his Catalogis tam notorius Hiſtoriæ defectus commodiſſimè ſuppleri poſſet. Sic in Rational. *Regio-Campenſi* recenſentur, qui Sempachii cæſi ſunt; quos ignorari ſcripſit *Nauclerus.* In *Tigurino* ſequentes etiam qui in prœliis occubuere notantur: *Paulus Göldli & Iacobus Goldli,fratres, Iohannes Grebel ſunt in VVolrovv à Suitenſibus occiſi* 1445.*Henricus Stori, interfectus à Suitenſibus* 1447. *Henricus Brumſi,al. Schupfer; VVernherus,dictus* Egg/ *anno Domini* 1386.*occiſi ſunt* an dem Kreyenſtein/ *propè Regenſpurg. Iacobus Meis, Vexillifer; Iacobus Hab, Secretarius,Iacobus Suend,cum pluribus honeſtis viris à Gallis, propè Mediolanum occubuerunt* 1515. In Anniverſario antiquiſſimæ Landenbergenſium familiæ inveni; VI. Calend. Ianuar. *Iohannes de Lato Landenberg occiſus in Griffenſee,& ſervi ejus cum eo.* Hiſtoriam viri de urbe Tigurina optimè meriti,habet Bulling.Stumpf.Stettler. ad an.Ch.1444.pag.155. VIII.Id.Mart. obiit Dominus Beringer de Hohen Landenberg,miles,occiſus in Thurego à civibus,ibidem 1350.in laniena videlicet Tigurina ,ut obſervat *Bullingerus*, lib.8. cap.3. Nec dubito quin aliorum etiam bellorum indicia certiſſima ejusmodi præbeant Catalogi: modò haberi poſſent. Tigurinorum, qui vel in Suevicis, vel Italicis pro patria &

Fœde-

Fœderatorum ſalute glorioſam oppetierunt mortem, nomina in Catalogo modò memorato non reperi; Conſtitutio tamen Collegii Carolini, quæ in ſtatutis illius habetur, ambigere neminem ſinit, omnium, aut plerorumque ſaltem conſignata nomina virtutis Helveticæ indubitata fuiſſe τεκμήρια. Recitabo decretum, eo factum tempore, quo ex ſeculi conſuetudine & ſuffragia defunctis, & Canoniſatis ſolennes deſtinabantur feſtivitates. Ita habet: Domini Præpoſitus & Capitulum hujus Eccleſiæ, inſtante & ſupplicante Magnifico Senatu hujus Civitatis Thuregienſis, ſtatuerunt & ordinârunt, ut ſingulis annis in futurum perpetuò qualibet die Dominica proxima, ante feſtum S. Theodoli infra ſcripta in cancellis per Plebanum, ſeu ejus proviſorem diligenter & notabiliter publicentur.

Primò. Quòd in antea perpetuo indicto Feſto Sancti Theodoli manè hora V. ſolenne officium cantabitur collegialiter in choro de S. Trinitate in gratiarum actionem pro conceſſa nobis ex alto ſalute, & victoria erga hoſtes noſtros de Liga Sueviæ. Quo finito Plebanus extra chorum cantari curabit officium pro defunctis uſque poſt offertorium, & ſub eodem officio publicabuntur, ut moris eſt nomina illorum, qui belligerando pro Repub. ſunt confecti. Et ſimiliter exhortatio fiet pro funere, ſi quid opus fuerit. Illud enim ſub officio eodem comprehenditur prout communiter depoſitiones cum anniverſariis officia communicant. Decantato itaque & recepto offertorio Miſſæ defunctorum Plebanus ſimiliter cantari providebit ſonoriter officium de B. Virgine. Quo officio finito, vel ſecundùm competentiam temporis pro majori parte ſaltem uſque ad elevationem decantato: Idem Plebanus ambone aſcenſo ſermonem faciet ad populum commendando S. Theodolum, & aliâs exhortando plebem, ut ſuis devotis orationibus, Eleemoſynis, aliiſque piis operibus ſuffragentur animabus omnium defunctorum fidelium, & præſertim illorum, qui in retro actis bellis pro tuitione Reipub. hujus civitatis ſe exponendo deſiderati ſunt, de-

cla-

clarando quoque,cur iſta officia tam à Dominis de Capitulo,quàm Senatu ſunt inſtituta. Sermone tali completo Chorus præmiſſa 1. & 3. miſſarum anniverſalem in ſummo altari cum duobus Miniſtris cantabit uſque ad benedictionem pro ſalute defunctorum præfatorum,nec non benefactorum omnium quorumque hujus inſignis Eccleſiæ ac inclytæ Civitatis. Poſtea verò decantata ſexta idem Chorus Miſſam publicam ſolenniter aget in honore præfati S. Theodoli cum commemoratione Sanctorum noſtrorum Iohannis & Pauli,nec non noſtrorum glorioſorum Patronorum Felicis & Regulæ, & Exuperantii,quatenus eorum intervenientibus precibus Deus omnipotens nos & terram noſtram à ſpiritalibus nequitiis & quovis hoſtili incurſu,nec non ab aërearum malignitate tempeſtatum tueri, ſtabilique pace & concordiæ firmare & fovere,aëris etiam tranquillam temperiem & frugum largam ubertatem,ad ſalubrem uſum & ſuſtentationem noſtram miſericorditer nobis elargiri dignetur. Exhortentur inſuper omnes ad intereſſendum devotè & reverenter prædictis miſſis,ac etiam ad vacandum ab actibus mechanicis, uſque ad totalem peractionem divinorum officiorum. Item ſexta die Jejunii pro interfectis, in bello Mediolanenſi apud Novariam vulgariter Nauren / die eodem de anno Domini 1513.omnia fiant,ut in die S. Theodoli officium tamen publicum de inſtante tempore,juxta ordinationem Dominorum Præpoſiti & Capituli decantetur. Si verò Feſtum S.Theodoli ceciderit in Dominicam,tunc præſcripta officia omnia in craſtino habebuntur & habenda publicabuntur modo præſcripto.

(*b*) Cujusmodi plurima occurrunt in Guicciardino, Iovio,GaleatioCapella,& aliis peregrinisScriptoribus. Vbi crebrò *Staflerus*, pro, *Stapfero*; *Anglardus*, pro, *Engelharto*; *Ronna*, pro, *Rhonio*. Reliquorum Catalogum ſuprà dedimus, pag.234. quibus addi poſſet illud *Volaterr. Geog.*lib.7.pag.69.b. Oppida eorum (Helvetiorum) Lucerna olim Naſium; Berna nomen adhuc retinens antiquum; Incolæ Bernenſes,quorum memi-

ni

nit Plinius. Forum Tiberii Suntia, Turegium olim Tugurinum, Curia & Curienſes antiqui populi, & alii complures pagi.

(*c*) Qui quidem error gravior eſt, & minus tolerabilis, quàm ſuperior. Talem commiſit *Iovius*, qui lib. 8. pag. 154. ſcribit; *Ludovicum Sfortiam Helvetios Gallis Ducibus tradidiſſe, præcipuis tantæ perfidiæ authoribus Ducibus duobus*, Rodolfum Saliceum intelligit Rhætum, & Caſparum de Silenen, ut *Schvviz.* monet de bello Mediol. lib. 1. c. 5. cùm à *Turmanno* quodam Taur. qui poſt in quatuor partes diſſectus fuit, proditus & captus fuerit. *Id. Simler.* lib. 1. pag. 72. *Adeò ut gravem faciant injuriam* (quorùm ex numero *Volater.* eſt Geog. lib. 7. p. 69.) *Helvetiis, qui unius hominis crimen univerſæ nationi imputant.* Id. Eadem ἀζλεψίᾳ peccâſſe arbitratur *Stettler.* lib. 9. pag. 493. Hiſtoricos Italos, quòd magni illius ad Novariam prælii felicem ſucceſſum plura debere ſcribunt, Mottino (militi egregio, ſed non Archiſtratego) quàm præclaris belli Ducibus, *Conrado Engelharto*, Tigurino; *Benedicto* von Weingarten / & *Bartholomæo Mey*, Bernenſibus. Sed & orationem illam, quam ſuprà Guicciardinus Mottino aſcripſit; Paulus Iovius Craſſio Tigurino tribuit.

XXXV. *Rerum* comparatio varia inſtitui poteſt.

Aut enim 1. ubi exteri deſinunt, noſtri continuant, Vti; cùm *Cominæus* ſuprà, pag. 316. ſcribit, *Adamantem toto urbe celeberrimum, cui appenſi erant aliquot uniones, &c. tandem Sacrifico cuidam venditum aureo nummo*; nec, quid deinceps factum ſit, commemorat; lucem poſcit à noſtris, qui referunt, *ab Helvetiis Adamantem emtum fuiſſe per Bartholomæum Mey, Bernenſem* 5000. *florenis, Genuenſibus poſtea mercatoribus, pro* 7000. *florenis Rhenenſibus*; *inde Duci Mediolanenſi pretio* 11000. *nummorum aureorum, tandémque Iulio Papæ pro* 20000. *nummis aureis, ut diadema ornaret Pontificium, ceſſiſſe.* Stettler. lib. 6. an. Ch. 1476.

2. Aut

2. Aut diſtinctiùs paulò noſtri enarrant bellorum ortum, progreſſum, ſucceſſum. Vbi cumprimis multum deferendum iis,qui quæ ipſi viderunt,vel geſſerunt,reliquerunt poſteritati. Huc pertinet *a*. Epiſtola illa Conradi Holzhalbii,cujus ſuprà,p.187 meminimus. *b*. Clades Marignana, à Wernhero Steinero Tugienſi, ut ſup.pag.180. obſervavimus, conſignata. Gemina ejus nomine extat οἰκείᾳ χειρὶ deſcriptio, prolixior & contractior. Illius apographum, hujus verò autographum, amicorum beneficio,poſſideo. *c*. Ludovici Schwynkharti, *Stettlerus*, lib.9. pag.488. & Bartholomæi Mey, *Idem*,pag.491. Bernenſium, de Novarienſi obſidione, impugnatione,prælio,Lancigerorum convitiis, jubilis, triumphis,ante pugnam,ubi inter pocula ſtrenuè contra Helvetios debacchabantur. *d*. Epiſtola Magiſtratus Bernenſis ad Lucernates de Carolo Burgundo, & ejus moliminibus; *Id*. pag.242. *e*. Nec pauca occurrunt apud eundem, quæ ad triſtiſſimæ cladis propè Mediolanum acceptæ faciant pleniorem notitiam ex Epiſtolis Alberti Petræ,p.532.a.533.b. Antonii Spielmanni, p.536. & aliorum,p.537.544.

XXXVI. Uſus verò collationis hujus, ut muliplex eſt,ita rei geſtæ fidem haud obſcurè confirmat.

Non pauca certè legimus in Majorum noſtrorum Hiſtoriis bella & prælia,quæ niſi tam denſum,támque ſtipatum, non domeſticorum modò,ſed & peregrinorum confirmaret μαρτύρων νέφος, ficta potiùs quàm facta videantur. Dubia tibi ſunt, aut ſuſpecta quæ de Caroli, Pugnacis cognomento & Audacis,annales noſtri, virtutibus, politicis & militaribus, apparatu, diſciplinæ rigore & potentia (ira præſertim,quâ in Helvetios non ille modò, ſed & Præfectus ejus Hagenbachius, *Stettl*.lib.6.pag.245.& 209.210.)referunt,cæteros conſule, nec linguâ,nec animo Helvetiis propitios aut affines Scriptores,& magnum illum Heroem,eorum,quos non juſto bello, ſed λῃστρικῇ tantùm deprædatione &

internecione,quaſi aliud agens, extirpare voluit,occubuiſſe manu, mirare. Dedimus jam ſuprà hanc in rem luculenta quædam teſtimonia; pauca nunc mantillæ loco ſubjiciemus ex Scriptoribus, præ cæteris,notis. Primus occurrit *Guicciardinus*,lib.2.pag.219. *Natio Helvetiorum omni tempore invicta & ferox ſuam annis antea circiter viginti exiſtimationem plurimum auxerat: propterea quòd à Carolo Burgundiæ Duce validiſſimo exercitu appetiti (hic eſt ille Carolus, qui potentia ac feritate regno Galliæ cunctisq; finitimis maximo terrori fuit) eum ter paucis menſibus acie vicerant: ultimo verò conflictu ſive pugnans, ſive fugiens (nam quo id modo acciderit, obſcurum eſt) etiam vita privârunt.* Brutus Hiſt. lib.6. Hiſt.Flor. *Carolus Burgundus Princeps non ferendæ ambitionis,inani verborum oſtentatione crebrò illud jactare dicebatur: Mediomatricibus atq; Helvetiis,qui medii intercederent, bello ſubactis,unum ſe futurum Principem, qui ab Oceano Britannico ad ſuperum atque infernum mare,productis Imperii finibus, Chriſtianam Rempublicam ab immani Turcarum tyrannide,exercitibus in Græciam & Macedoniam transportatis, vindicaret.* Ludov.Vives de Concord.&Diſcord.lib.1. *Carolum Burgundiæ Ducem admiratio geſtorum Alexandri coëgit iis ſe bellis intricare,in quibus ipſe periit.* Beſold.de jure Fœder.pag.74. *Carolus Burgundiæ Dux ob audaciam ſtupendam, rectè Audax cognominatus, nullum Principem, & ne ipſum quidem Imperatorem Fridericum III. verebatur.* Thraſonem dixeris Helvetium,qui ab Helvetiis Italos bellandi peritia ſuperari,imò artem hos ab illis didiciſſe aſſeruerit? vel Italo adſtipulanti fidem habe,aut Germano. Non dubitat *Guicciard*.l.2.p.188.fateri; *Italicum peditatum extra controverſiam longè inferiorem noſtro cenſeri.* Et pag.217. *Peditatum Italicum Helvetiorum ne quidem nomen,nedum aliud, ſuſtinere potuiſſe.* Et Beſold. de arte juréque belli,pag.39. *Seculo ſuperiori diſciplina militaris, propter crebras Barbarorum excurſiones in Italiam graviter fuit labefactatus,quòd majori ex parte ex*

te ex equitatu conſtaret,cujus uſus contra hoſtem minus commodus exiſtebat. Nec error agnitus fuit,donec Helvetiorum turma Italos,magno ſuo cum damno prudentiores reddiderunt,experti namque peditum aciem rectè ordinatam, ab equitatu difficilimè ſuperari poſſe,quin contrarium ſæpius evenire, ut ad Carminolam contigit: cùm victi jam equites ab Helvetiorum turma in terram deſcendere ordinibus rectè diſpoſitis,inire pedeſtre prælium coacti,ſuperiores tandem hoſte extiterunt. Nolis ab Helvetio eventum belli habere Suevici? non denegabunt veritati teſtimonium exteri Scriptores,qui vel calculo ſuo noſtra prob ant,aut ὁμόψηφα relinquunt. *Beſold.*de jure Fœd.pag.69. *Imperator Maximilianus, optimus aliâs Princeps,Sueviæ ordines,aliósque fœdere arctiſſimo colligavit,junctisq; viribus Helvetiorum libertatem opprimere ſatagebat; ſed irrito planè conatu:* Vide *Stumpf.*non uno loco,& etiam *Bilibaldum Birckheimerum* in Hiſt.belli Suitenſis. *Octo namque campeſtribus præliis, quæ omnia ferè intra quinque menſium ſpatia geſta ſunt,victores ſemper Helvetii fuêre; quorum pietas ſingularis,amorq; mutuus ac fides,cum ſumma celeritate atque vigilantia conjuncta,victorias tam glorioſas paravit: Cæſarianorum in illis ultra* 25000. *cecidêre; Helvetiorum non ultra* 800. *deſiderati fuerunt:* Fortun.Spræch.Pall.Rhæt.lib.4. Idem eſto judicium de reliquis Helvetiorum geſtis,quæ in exteris non rarò admirationem excitârunt. Vnde *miraculoſi fœderis* nomen,de quo ſuprà,in *Iren.* Hîc tamen nota

1. *Ne noſtros quidem ſemper annales omnibus ſolvendis dubiis ſatisfacere*, in iis præſertim, quæ de numero occiſorum,à variis variè ſæpe proferuntur. Atque hinc eſt,quòd alii plures,pauciores alii,in cæſorum referunt Catalogum, quæ non ſemper exactè conciliari poteſt diverſitas. Exempla obvia ſunt in hac ipſa Methodo noſtra.

2. *Eſſe nonnulla ἀσαφῆ quidem, quod ad circumſtantias, certiſſima tamen, quod ad rem ipſam attinet.* Sic monitos Helvetios in Morengartenſi præ-

lio,ſchedulâ telo in caſtra emiſſo,alligatâ,inter omnes convenit. Diſſentit tamen Vitoduranus à reliquis noſtris Scriptoribus, quòd ille Toggii Comitem; hi Nobilem de Hunenberg Tugiorum vicinum, hoc ſibi defœneraſſe Helvetios beneficio ſcribunt. Vide *Stettler.* & *Etterl.*an.Ch.1315.

3. *Generales Helvetiorum Hiſtorias ex ſpetialibus corrigendas.* Et quis enim dubitet,ſua quemque meliùs curare quàm aliena? Vnde, qui de Helvetiis agunt in genere,lucem & emendationem Specialem contemnere non debent. Poſſunt, non malo quidem animo,aut deſtinato conſilio, ſed lubricæ memoriæ, aut minimè malæ παρακλείψεως lapſu, ſociorum omitti pro ſociis ſtudia, & curæ,quæ ab iis,quorum intereſt,poſſunt reſtitui. Sic, quòd *Etterlin.* pag.111. Tigurinorum & Tuginorum συμμαχίας, quæ non fuit contemnenda, in Dorneccano prælio nullam facit mentionem,corrigi debet & emendari ex aliis, Tigurinorum maximè & Tuginorum annalibus; non ſecus ac *Schvvizerus*, qui in ejusdem conflictus Hiſtoria, Lucernates omittit & Tuginos. Vide ſuprà,pag.348.

XXXVII. Progredimur ad *Rempublicam* Helvetiorum, de qua obſervandum,

A. Totam Helvetiam diſtingui in Cantones,Socios,& Præfecturas.

Cantones ſunt tredecim,qui hoc numerantur ordine ac ſerie: Tigurum,Berna,Lucerna,Vria,Suitia,Vnderwaldia, Tugium, Glarona,Baſilea,Friburgum,Solodurum,Scaphuſia, & Abbatiscella. Socii ſunt: Oppidum & Abbas Sangallenſis,Rhætorum fœderati populi;Epiſcopus Sedunenſis cum univerſa Valeſia, Mülhuſium, Bipennæ & Novocaſtrum: Præfecturæ ſunt; Turgea, Bada,Rheguſci, Sarunetes, & libera provincia in comitatu Rore. Populi præterea trans Alpes in Italia ſiti,Lugani, Locarnenſes, Mendriſiani, Madiæ vallis incolæ,

cum Bilitionenſibus. De quibus prolixè *Simlerus* noſter.

B. Nec [a] Cantones, nec [b] Socios, nec [b] Præfecturas eodem temporis articulo in hanc Reipublicæ formam coaluiſſe, ſed vicibus atq; occaſionibus diſtinctis.

(*a*) I. Initium fecerunt VRII, SUITII, & VNDERWALDII, æterno fœdere, poſt, magno animo atque virtute, debellatos Morgartenſi prælio, Auſtriacos, coëuntes. Literæ fœderis (quas recitat *Siml*. l. 1. p. 25.) datæ ſunt Brunnæ 1315. poſtridie Nicolai. II. LUCERNATES, quilaceſſiti à pagis, nec, quod Auſtriis inſtanter petierant, ab iis adjuti, pacem tandem, ipſi cum tribus pagis fecerunt integris juribus Auſtriæ. Qua tamen pace graviter offenſi Auſtrii, conjurationibus egerunt. Sed acceleratum hinc fœdus & ictum fuit menſe Novembri, die Sabbathi, qui proximè antecedit D. Martino ſacratum diem, an. Chr. 1332. III. TIGURINI in fœdus recepti menſe Aprili, an. 1351. Cùm enim Albertus Auſtrius, Alberti filius, duris ſatis conditionibus Tigurinos, quòd Raperſuillam veterem & novam evertiſſent, Marchiam vaſtâſſent & occupâſſent, pacem redimere cogeret, nec obſcura obſidionis futuræ indicia apparerent, in Cæſare autem & Imperio nullam ſpem auxilii antè didiciſſent, fœdus ſtatuerunt cum pagis Helveticis inire pro communi libertate tuenda. IV. GLARONENSES eodem anno 1351. fœderis Socii fiunt. Menſe enim Novembri anni modò memorati, junctis viribus Tigurini, Vrii, Suitii, Vnderwaldii, copias ſuas Glaronam ducunt, & totam regionem, nemine repugnante, occupant, cives Sacramento obſtringunt, & propter ipſorum fidem & fortitudinem antè ſæpe expertam, fœdere ſibi jungunt. V. TUGINI iiſdem diebus fœderi acceſſerunt. Cùm enim Auſtrii in bello Helvetico præſidiarios perpetuo alerent, qui Suitios & Tigurinos infeſtarent, Tigurini cum quatuor pagis an. Chr. 1352. menſe Iunio, expeditionem adverſus Tugium ſuſcepêre: Præſidiarii, qui diffiderent muni-

tionibus oppidi, ante adventum Helvetiorum eo deſerto, Bremogartum, & vicina loca Verbigeni pagi ſe contulerunt, cives tamen, qui fidem Auſtrio ſervare vellent, obſidionem per dies 15. ſuſtinuêre; ſed cùm aliquoties ſumma contentione Helvetii oppidum oppugnâſſent, tandem deditionem fecêre, & Helvetiis Sacramentum dixerunt, hac conditione, ſi intra præfinitum tempus Dux Auſtrius eos exercitu adducto obſidione liberaret, ab Helvetico Sacramento liberi in ejus obedientiam redire poſſent; eáque de re Legatos ad Ducem auxilium petentes miſerunt. Sed cùm nullam in Auſtrio ſpem eſſe Tugini viderent, Helvetico fœderi ſe eodem anno junxerunt. VI. BERNENSES in comitiis, Lucernæ an. Chr. 1353. habitis, perpetuo fœdere cum tribus pagis Vria, Suitia & Vnderwaldia ſe conjunxerunt. Etſi autem fœdus tantùm cum tribus pagis tum fecêre, Tigurum nihilominus & Lucerna eò tenentur. Nam tres pagi Tigurinis & Lucernatibus, literis datis ſe obſtringunt, quòd de auxilio appellati & juſſi Bernates quoque evocare, id jure fœderis illius facturi ſint: viciſſim Tigurini & Lucernates ſeſe literis obſtringunt, quòd evocati à tribus pagis Bernatibus auxilio, id pro viribus laturi ſint. Atqui hi pagi vulgò octo veteres, qui ſoli per annos 125. corpus civitatis Helveticæ conſtituerunt, vocantur. VII. FRIBURGENSES & SALODORENSES finito bello Burgundico, in quo fortiter & ſtrenuè omnium judicio ſe geſſêre, in Confœderatorum numerum aſciti ſunt an. Chr. 1481. VIII. BASILEENSES bello confecto Suevico, quo in neutri ſe illi addixêre parti, Helvetico fœderi an. Chr. 1501. additi ſunt. Cùm enim nobilitas eos penè hoſtium loco haberet, quod non apertè Helvetiorum hoſtes ſe profiterentur, neque hi tantùm, qui Auſtriis parebant, ſed complures, qui hactenus cives fuêre, ex urbe in vicinos Sequanos, Alſatios atque Brisgavos Auſtriis parentes commigravêre, unde urbis incolas contumeliis & injuriis afficere non ceſſabant, donec hi tandem, indignitate rei commoti, anno 1501. perpetuo fœdere ſeſe decem

cem pagis Helvetiæ conjunxerunt. IX. Eodem anno SCHAPHUSIA in fœdus aſcita fuit æternum ab Helvetiis, quibus cùm conſtanter antea amicitiam fovit. Tandem cùm in Burgundico & Suevico bello Schafhuſiani Helvetiis fidelem operam navâſſent, rem Helveticam milite & pecunia juviſſent, fœderis æterni ſocii facti ſunt 1501. X. ABBATISCELLANI an.Ch.1452.ſe primò quidem amicitia & fœdere perpetuo VII.Civitatum, Tiguri, Lucernæ, Vraniæ, Suitiæ,& Silvaniæ,Tugii, & Glaronæ opes ſuas confirmârunt. Mox, cognita eorum forti & fideli operâ in numerum civitatum venerunt an.Ch 1513..

(*b*) In quibus collocandis & enarrandis authores variant. Nobis,receptiorem ſecuturis ſententiam, Simlerus placet. Sunt a. I. ABBAS SANGALLENSIS,qui (initium faciente Caſparo Landenbergio) an.Ch.1451.quatuor Helvetiæ pagos Tigurum,Lucernam,.Suitiam,& Glaronam cœnobii Advocatos & defenſores libertatis jure perpetuo conſtituit; poſteáque Senatorii ordinis virum,Capitaneum totius regionis ex quatuor illis Pagis ſecundo quoque anno,dari petiit. II. Vrbs SANGALLENSIS finito bello Abbatiscellano, exemplo Landenbergii,ſex pagorum, Tiguri, Bernæ, Lucernæ, Suitiæ Tugii & Glaronæ fœdere ſe muniit, anno Chr.1454. III. RHAETI, ex quibus Fœdus ſuperius ſeu canum; & Fœdus Domus Dei, quod vocatur, cum VII.Helvetiorum pagis prioribus æterno fœdere unita ſunt; Illud quidem an.Chr.1497. hoc 1498. Tertium Fœdus, etſi non eodem Helvetiorum fœdere continetur,eorum tamen amicitiam & ſocietatem cum ſuis fœderatis non minori fide & conſtantia coluit,quaſi ad id jurejurando adſtricti eſſent. IV. VALESIANI fœdere συμμαχίας æterno devincti ſunt 1. Bernatibus ab anno Chr.1475. 2. Cum ſeptem Pagis Romanæ Religionis Sociis,Lucerna, Vria, Suitia, Vnderwaldia,Tugio,Friburgo,Salodoro,ab a.Ch.1533.quod aliquoties fœdus ſtabilitum ab eo tempore fuit,& ſolenniter,præſertim a.Chr.1586. confirmatum;ultimò Lucernę1645.repetitum.Iudicium

aliorum de hoc fœdere vide apud *Stettler.* lib. 7. P. II. pag. 301. V. ROTEVILA acceſſit fœderi Helvetico anno Chriſti 1519. quo cum omnibus pagis Helveticis æternum fœdus ſanxit: Deceſſit iterum noſtrâ memoriâ. VI. MÜLHUSIUM primam cum Helvetiis ſocietatem iniit circa annum 1464. Anno deinde 1506. Mülhuſani à Baſileenſibus in civium numerum recepti ſunt, atque ita arctius Helvetiis uniti: Nono autem anno poſtea cum omnibus tredecim Helvetiorum pagis fecerunt fœdus die 19. Ianuarii. Hodierno die quatuor civitatum Reformatarum fœdere potiſſimùm fruuntur. Vide *Stettler*, a. Ch. 1586. lib. & pag. citatis. VII. BIENNENSES Bernenſibus primo fœdere conglutinati ſunt an. Chr. 1303. & poſtea iterum aliquoties, uſq; dum tandem an. 1367. civitatis utrinque jure coaluerunt. VIII. GENEVENSES 1. perpetuum fœdus, ſeu jus civitatis habent cum Friburgenſibus an. Chr. 1509. & cum Bernatibus an. Ch. 1525. & 1526. 2. Senatus Tigurinus conſenſu civium & ſubditorum fœdus perpetuum cum Repub. Genevenſi fecit, quod prid. Calend. Novemb. 1584. eſt confirmatum & obſignatum. IX. NEOCOMENSES ætate noſtra peculiari fœdere obſtricti ſunt D. D. Bernatibus. Antehac totus ille Comitatus certis pactis conjungebatur Bernatibus, Lucernatibus, Friburgenſibus & Solodoriis, quæ in reſtitutione (Helvetii enim antea occupatum, anno ſalutis 1529. Iohannæ Hochbergię, Longevillani Ducis viduæ eum reddebant) confirmata ſunt.

c. De quibus ordine *Simler.* lib. 1. pag. 97. & compendiosè *Franc. Guil.* l. 3. pag. 399. Ad municipia jungam Præfecturas, quæ civitatum communi Imperio adminiſtrantur. Illæ omnino decem; ſed in duplici diſcrimine. Aliæ enim, Tranſalpinæ Helvetiis dictæ, quòd trans Alpes & in Italia: aliæ intra Helvetiæ limites. Italicæ ſunt comitatus tres, Bilitionenſis, Luganenſis, Locarnenſis. Sed Bilitionenſis trium civitatum eſt, Vraniæ, Suitiæ, & Silvaniæ, totidémque præfecturas efficit, quæ proinde per vices reguntur, ære, anno Domini

noſtri

noſtri 1422. coëmtus,pòſt armis defenſus & demum retentus. Reliqui duo in totidem pariter præfecturas quisque ſeparatus, Luganenſis in præfecturam Luganum, & Mendriſium: Locarnenſis in præfecturam Locarnum & Medianum. Omnibusque,præterquam Abbatiſcellanis, civitatibus parent. Has regiones quondam an.Ch. 1513. Maximilianus Sfortia, Helvetiis, quorum opibus & armis pulſis totâ Italiâ Gallis, ſtatum Mediolanenſem receperat, ſtipendii, honorariique loco ultro dederat, conſignarâtque: ipſi poſtea per difficillima bella armis obtinuere. Nunc viciſſatim Civitatibus reguntur, miſſo in biennium Præfecto, qui civilia criminaliaque judicia perſequitur. Reliquas in Helvetia quinque præfecturas conficiunt Comitatus tres, Aquenſis, Turgovienſis, Sarunegaunenſis & Reguſci, quæque Liberæ Provinciæ nomen habet. Sed neque hæ omnibus civitatibus ſubditæ: Comitatus enim Turgoviæ,Sarunetes, libera Provincia à ſeptem civitatibus,Tiguro, Lucernæ, Vraniæ, Suitiæ, Silvaniæ, Tugio, Claronæ adminiſtrantur: iisdem comitatus Aquenſis paret ſed & Bernenſibus: Itemque Reguſci, ſed aſſumptis in ſocietatem, qui prius tenuerant, Abbatiſcellanis: Libera Provincia, & comitatus Aquenſis in earum civitatum poteſtatem venit, bello quod an.Ch. 1415.juſſu & mandato Concilii Conſtantienſis, & Sigiſmundi Imperatori Friderico Auſtriaco intulêre. Comitatum quoque Provincialem, vulgò, Landtgraffiatum Turgoviæ occupârunt illo pariter bello, quod Pii II. Pontific. auctoritate, & præcepto, Sigiſmundo Auſtriaco an. Ch. 1460. fecerunt. Sarunetium Comitatum vendidit iisdem (an. Ch. 1583.) Civitatibus Georgius Comes Verdenbergenſis. Rheguſcos denique, cùm Abbatiſcellani obtinerent ſoli, perdiderunt bello Roſacenſi, an. Ch. 1490. Has in Præfecturas civitates, ut in cæteris, ſingulis bienniis ex ordine Præfectos mittunt, qui fermè,ſecundum eorum populorum leges,conſuetudines, inſtituta, privilegia,rem gerunt, judicantque, & factorum rationem, Reipublicæ quot annis, omnes, Italicæ

quidem miſſis ad hoc Legatis Lugani, reliquæ Aquis menſe Iulio, civitatibus, quibus tenentur, reddunt, quo quidem tempore etiam appellationibus audiendis locus, ſpatiumque ponitur. Et hæc vera Reipublicæ Romanæ forma, & antiqua & prima in ſe, municipia, & præfecturas contributa, quæ poſtea orbem terrarum amplèxa Sociis, & fœderatis ſecundas reliquit.

C. Cantones Helvetiæ arctiſſima ad publicæ pacis conſervationem ſibi mutuo devinctos eſſe vinculo: triplici tamen reſpectu; qui diligenter, ad ſolidiorem fœderis Helvetici notitiam, obſervandus; diſtincto.

1. *Primò enim octo veteres Helvetiæ pagi ſibi peculiariter erant devincti.* Præcipuum caput eſt περὶ ζυμμαχίας, de mutuo (*Siml.* l. 1. p. 62.) auxilio contra vim omnem injuſtam, in quo omnia diligentiſſimè conſtituta, ad juſtitiam & æquitatem accommodata ſunt. Ne enim temerè, & levibus de cauſis ſuſcipiantur bella, ante omnia cautum eſt, ut in eo pago, cui injuria facta, primùm publico conſilio cauſa cognoſcatut, & ſi conſtet de vi & injuria, ut tum demum auxilium poſtulent. In quibusdam aliis fœderibus & nominatim in Claronenſium, cognitio hæc reliquis pagis, qui in fœdere ſunt, defertur. Vbi jam conſtiterit de æquitate cauſæ, & injuria accepta, auxilium pagus injuria affectus à confœderatis petere poteſt: neque tamen quivis pagus à quovis altero jus poſtulandi auxilium habet, ſed ab eo, cui peculiari fœdere junctus eſt, nam ut hactenus oſtendi, non ſinguli pagi cum aliis omnibus fœdus habent. [Tigurini primùm, qui antiquo fœdere ſex aliis pagis juncti ſunt, auxilium ab illis poſtulare poſſunt, poſtea etiam cum Bernenſibus peculiare fœdus fecère, cujus ratione utrique mutuò alteros in auxilium vocare poſſunt. Bernenſes tres pagos, Vriam, Suitiam, Vnderwaldiam in auxilium vocare poſſunt, antiqui fœderis ratione, & hi

in auxilium ſui & aliorum Bernates evocant: at recentioris fœderis ratione Tigurini & Bernates mutuò poſtulationis jus habent. Lucernenſes ex octo pagis quinque de auxilio ferendo appellare poſſunt, Tigurinos, Vrios, Suitios, Vnderwaldios & Tuginos. Vrii verò Suitii & Vnderwaldii omnes alios pagos appellare poſſunt. Tugini ab iisdem quinque pagis, à quibus & Lucernates auxilium poſtulare poſſunt. Glaronenſes, Tigurinos, Vrios, Suitios, & Vnderwaldios advocare in auxilium poſſunt. Etſi autem non omnes par poſtulandi jus habent, nihilominus tamen, ſi pagus unum aut alterum fœdere junctum in auxilium evocârit, univerſi conveniunt, eò quòd hi, qui primò evocati ſunt, reliquos etiam convocent. Ante omnia verò legatis miſſis ad Eremitanæ virginis templum, aut in locum, qui à tæda & ſylva nomen habet das Kienholtz/ſi Bernatum res agitur, communi conſilio decernunt, qua ratione controverſiæ amicè aut jure tolli poſſint, aut ſi id fieri nequeat, quomodo auxilium quàm optimè ferendum ſit, & nominatim cavetur fœderibus noſtris, ut auxilio evocati nulla ficta excuſatione, nulla fraude & dolo utantur, ſed pro viribus juvent. Quia autem fieri poterat, ut ſubito bello pagus aliquis peteretur, ita ut iis omnibus ab hoſte obſeſſis neque per legatos, neque per literas confœderatos vocare poſſit, huic quoque rei proſpectum eſt, & nominatim cautum, ut in hujuſmodi caſu, ubi ſubito auxilio opus eſt, ſinguli pagi confœderati æquè pro viribus opem ferant, ac ſi nominatim vocati eſſent. Et in Bernatum fœdere ſancitum eſt, ut ſi hoſtes ſuperiorem regionis partem invadant, confœderati ab altera parte hoſtium finibus damnum dent, quò eorum vires diſtrahantur, & idem alio loco viciſſim faciant confœderati, ſi hoſtes inferiori parte regioni bellum inferant. Porrò qui in auxilium evocantur, hi absque ullo ſtipendio propriis ſumptibus auxilium ferunt: Tantum in Bernatum fœdere cum tribus pagis ſtipendii fit mentio, id eſt ſolidus Turonenſis, diurnum ſtipendium in ſingulos pedites, quod tamen, ſi

bellum ſit in Ergovia, non numeratur, ſed limes conſtitutus eſt, oppidulum propè primum Arolæ lacum, Vnde ſea dictum, ultra quòd quæcunq; pars alteri militem miſerit, ſtipendium hoc accipit. Sed ſi bellum longius trahatur, & urbs aliqua, oppidum, aut arx obſidenda, & oppugnanda ſint, ac id communi ſententia decretum fuerit, tum is pagus, cujus gratia, & in cujus finibus hoſtile oppidum aut arx oppugnatur, ſumptum oppugnationis cauſa factum in bellicis machinis, & artificium ſtipendiis, & aliis rebus ad oppugnationem neceſſariis, ſolus perſolvet. Si tamen bellum non unius pagi, ſed totius civitatis Helveticæ communi nomine geratur, tum ſinguli rata parte perſolvant. Sæpe etiam fit, ut aliqui, qui longè extra Helvetiam habitant, publicè aut privatim alicui damnum dent, quos tamen non licet bello perſequi, quòd longè abſint, neque fortè aliquam ſedem habent, in qua bello peti poſſunt, de his ſtatuitur, ut ſi quà fortè occaſione in alicujus pagi poteſtatem perveniant, vel ipſi, vel eorum bona, vel ſocii eorum, ut manus illis injiciatur, & his, quos læsêre, ſatisfacere cogantur. Poſtremò, ne quis milite noſtro abuti, & quovis pro ſua libidine abducere poſſit, termini in plerisque fœderibus præſcripti ſunt, intra quos ex fœdere auxilium ſibi mutuò ferre teneantur: ſunt autem termini partim pagorum limites, qui tum temporis erant, aut paulò ampliores, ſed qui veterem Helvetiæ limitem non excedant. Alterum caput eſt de controverſiis publicis, quæ inter duos pluresve pagos oriantur, cùm enim vix caveri poſſit, quin aliquando etiam inter ſocios & confœderatos lites oriantur, id quod proximum eſt, ſtudiosè majores noſtri cavere conati ſunt, ne res ad bellum deveniat, & ita ſolvatur & pereat fœdus. Itaque primùm ſanciverunt, ut cæteri legatis miſſis operam dent, quò controverſia omnis amicè, aut æquo jure dirimatur. Deinde judicii forma & ratio hæc ab illis inſtituta eſt. Singulæ partes duos judices deligunt è ſuo pago, quibus jusjurandum datur, ut ſepoſito affectu & amore patriæ, de controverſia ſententiam ferant,

quatuor

quatuor his judicibus, quintus omnium arbiter additur, hunc quandoque judices, aliâs actores, deligunt. Quòd ſi pagus aliquis noluerit ſe judicio ſiſtere, neque cauſæ cognitionem admittere, reliqui pagi fœdere tenentur huic opem ferre, qui petit judicio cauſam definiri. Caput tertium eſt de fœderibus: Ac IV. primi pagi ſanciunt, ne cui abſque aliorum voluntate & conſenſu liceat ſe cuiquam jurejurando obſtringere, aut pactum aliquod, & fœdus facere. Similiter in Glaronenſi fœdere cavetur, ne illi fœdus ullum abſque fœderatorum ſuorum conſenſu faciant: aliâs pagi reliqui ſibi liberam facultatem reſervant nova fœdera faciendi, ſalvis tamen antè, & exceptis antiquis fœderibus. Eandem libertatem retinent augendi & minuendi ſua fœdera publico & communi conſenſu. Sanciunt etiam, ut ſingulis decenniis, aut quinquenniis renoventur voce vel ſcripto, & jurejurando firmentur, ſi uſus poſtulat: ſi id commodè fieri nequeat, nihilominus firmiter ſerventur. Quarto loco ſunt exceptiones: Aliqui enim pagi, qui antiquitus ad Romanum imperium ſpectârunt, ut Tigurum, Berna, Vrii, Suitii, Vnderwaldii, excipiunt Romanum imperium, ejúſque jura, quibus nihil hoc fœdere derogatum volunt: Lucerna & Tugium jura ducis Auſtrii excipiunt. Glaronenſi fœdere excipiuntur jura & ſervitia omnia debita legitimo domino & Magiſtratui. Similiter in omnibus fœderibus excipiuntur antiquiora fœdera, jura, privilegia, conſuetudines non tantùm pagorum, ſed arcium, vicorum & villarum, ut ſingulis ſalva & integra maneant. Reliqua capita, etſi non ſunt ita φυσικά, tamen ad pacem & tranquillitatem conſervandam faciunt: horum unum eſt de homicidarum pœnis, qui aliquem è fœderatis occiderit, capite luat, niſi oſtenderit, ſe vitæ ſuæ tuendæ & conſervandæ cauſa feciſſe. Qui damnatus fuerit, & ſuo pago proſcriptus, & hunc alii pagi proſcribant, & finibus ſuis arceant, & qui talem exceperit hoſpitio, ipſe quoq; reus eſto, & vel exilio, vel alia mulcta punitor. Aliud caput pertinet ad exigenda nomina: nemo laicus ope Eccle-

ſiaſt-

ſiaſt.judicis nomina exigat,ſed tamen cauſæ matrimoniales & manifeſtæ uſuræ ad Eccleſiaſticum judicium deferantur. Nemo pignora exigat à quoquam, niſi à ſuo debitore,aut illo,qui pro eo ſibi ſpoponderit: neque etiam privata libidine,ſed ex judicis conſenſu pignora capiantur. Nemo pro altero pignus eſto. Item de judiciis. Quivis ſuum judicem habeto & oſtendito: qui contumax in judicio non comparuerit,& ſua abſentia alteri damnum dederit, id luat. Cauſæ agantur in illius pagi judicio,ubi res acta eſt,& jus dicatur absque fraude & dolo: & quivis alterius pagi judiciis,legibus, conſuetudinibus, contentus eſto.

II. Deinde an.Ch.1481. *Civitatum fœdus privatum ſolutum, & Stantiano Decreto,decem Pagis,quibus tum,aſcitis Friburgenſibus & Salodorenſibus, civitas Helvetica conſtitit,*ſequens fœderis formula fuit præſcripta: Primum ſtatuimus, ut nullus octo pagorum, vel per ſe,vel aliorum operâ, alteri pago, aut ulli,qui huic fœderi aliqua ratione ſit conjunctus,bellum inferat,aut corporibus eorum, fortunis, juribus,urbibus,regionibus, hominibus damnum det,injuriamvé inferat, aut rebus ſuis ſpoliet. Quod ſi quis octo pagorum (quod Deus avertat) aliter fecerit,atque alteri injuriam intulerit,quò id caveatur,& fœdus noſtrum firmum permaneat,ac omnes fraternè,ac pacificè vitam ſimul degere queamus,cæteri pagi omnes eum, qui injuria affectus fuerit,defendant, & jura ejus bona fide atque absque omni fraude conſervent. Quòd ſi privatus aliquis,aut plures ſimul vim & injuriam alicui fecerint, quocunque loco id factum fuerit,hi pro merito,& criminis ratione à Magiſtratu ſuo confeſtim absque ulla contradictione puniantur. Veruntamen,ſi quis in alterius juriſdictione quicquam tale fecerit,aut tumultuum auctor fuit,is eo loco judicio ſiſti, & pro jure ac conſuetudine illius regionis pœna affici poterit. Secundò ſtatuimus, ne deinceps in Helvetiæ urbibus, aut regionibus quisquam cœtus convocet,conventus habeat,quicquam proponat,clàm palámve,è quo damni quicquam aut peri-

culi

culi exoriri poſſit, absque voluntate & conſenſu Magiſtratuum ejus pagi: qui verò contrà fecerit, & cœtus hujusmodi convocare conatus fuerit, conſilio, auxilioq; juverit, is pro culpæ ratione mox à ſuo Magiſtratu absque omni impedimento puniatur. Similiter communi conſenſu hoc peculiariter ſtatuimus, ut ſalvo honore & jurejurando non liceat cuiquam alterius ſubditos contra ſui Magiſtratus obddientiam concitare, aut ab ea revocare, aut conari eos commovere ad defectionem & inobedientiam: quòd ſi alicui pagorum imperio ejus ſubditi contumaces & inobedientes fuerint, cæteri bona fide dominis auxilium ferant, & ad obedientiam eos revocent, juxta conventa noſtrorum fœderum. Tertiò, cùm poſt prælium ad Sempachum leges quædam bellicæ à majoribus noſtris conſcriptæ ſint, viſum eſt nobis in hoc perpetuo pacto, noſtrorum, ac etiam poſterorum cauſa præcipuum caput ejus decreti explicare, & his verbis proponere: Si unus pluresve pagi exercitum ſub ſignis adverſus hoſtem produxerint, omnes, qui ſub ſignis militant, in acie ſimul maneant, uti viros bonos decet, & majores noſtri fecerunt, quæcunque tandem neceſſitas eos urgeat, ſive juſto prælio, ſeu alio congreſſu certandum ſit, ſicuti copiosè & diſertè in decretis legum bellicarum poſt Sempachianum prælium ſancitis cavetur. Quartò decrevimus tabulas quondam à majoribus noſtris Sacerdotum & aliarum rerum cauſâ ſcriptas, & ſancitas, anno Domini 1370. omnibus ſuis capitibus & punctis debere firmas, & inviolatas ſervari: atque perpetuæ memoriæ cauſa, quotiescunque fœdera noſtra jurejurando ſanciuntur, ambæ tabulæ & legum bellicarum, & hæc poſterior Sacerdotum cauſa ſcripta, præterea amica hæc transactio, ſimul cum fœderibus publicè recitari debent. Sed, ut omnes juvenes atque adulti noſtra fœdera firmius memoria teneant, & ſervent fideliùs, ſtatuimus, ut in poſterum ſingulis quinquenniis per omnes pagos fœdera juramento dato renoventur. Poſtremò etiam inter nos ita convenit, ut bello exorto univerſa præda bello capta, aut quicquid hoſtes

hoſtes pro ſui liberatione perſolverint, pro militum numero, quem ſinguli pagi, aut urbes in caſtris habuerint, æqua portione diſtribuatur. Sed oppida, arces, regiones, vectigalia, annui reditus, jurisdictiones, & quæcunque hujus generis bello parta fuerint, pro veteri conſuetudine inter pagos æqualiter diſtribuantur. Quòd ſi quæ hujus generis, vel redimi patiemur, vel vendiderimus, pecunia illa inter pagos æquis partibus diſtribuatur. Hanc autem amicam transactionem ita explicamus & concludimus, ut eadem teneantur omnes, qui ex Helvetiis nobiſcum militârint ſubditi, cives, incolæ, fœderati, & conjuncti nobis, ut nempe hi æquam prædæ partem accipiant, ſed urbes, arces, regiones, homines, annui reditus, vectigalia, jurisdictiones, pagis tantùm Helveticis cedant. Excipimus autem in hac transactione perpetua noſtra fœdera, ne quid his decedat, ſed ut ad confirmationem, & ad defenſionem noſtrorum fœderum hæc transactio omnibus ſuis partibus inviolata fideliter, & absque dolo malo conſervetur.

Hoc decreto omnium ſententia confirmato, anno 1481. civitatum fœdus privatum ſolutum eſt; & communi conſenſu Friburgii ac Salodorii in numerum pagorum recepti ſunt, ac eo tempore decem pagis conſtitit civitas Helvetica per annos viginti, donec Baſilea & Scaphuſium, & poſt has Abbatiscella acceſſit.

III. *Tandem etiam videndum, quæ ratio poſteriorum V. pagorum ſit, & inter ſe.* Primum & præcipuum caput eſt de mutuo auxilio, idque varium & multiplex. Pagi, qui evocati fuerint, ſibi mutuò auxilium ferant, absque mora & dolo malo: ſi pagus aliquis ſubitò ab hoſte obruatur, ut reliquos per literas aut legatos auxilio evocare non poſſit, tum illi nihilominus, atque ſi evocati fuiſſent, auxilium ferant. Pagi poſteriores ſi injuria ſe affectos exiſtiment, nemini tamen bellum moveant absque voluntate & conſenſu vetuſtiorum pagorum. Si hoſtes eorum jure agere volent, & Helvetios vel alios æquos judices ipſis offerant, ipſi quoque jure non bello certent. Quilibet pagorum alteri pro-

priis

priis ſumptibus auxilium ferto: mittito autem certum auxiliorum numerum, quem volet, & ſe decere exiſtimaverit, eo alter contentus eſto. Limites etiam præſcribuntur, intra quos vetuſtiores Pagi teneantur auxilio poſteriores alios juvare: ſunt autem iidem ferè qui & termini tum erant Imperii illorum pagorum. Agitur etiam de ſumptibus, quisnam eos ferat in hoſtili arce aut oppido obſidendo & oppugnando. Item de præda dividenda eædem cum Stantiana conventione ſanciuntur. Alterum caput eſt, quo jure utendum ſit, ſi controverſiæ aliquæ inter duos pluresve pagos oriantur: de qua judiciorum forma alibi à nobis agetur. Similiter de privatis injuriarum actionibus ſtatuitur, ad quos judices pertineant. Item de nominibus exigendis. De libero commeatu utrinque concedendo, & ut forum utrinque ementibus liberum ſit. Ne quis aliorum cives, aut ſervos civitate recipiat, niſi prius liberi ſint ab eorum imperio, quibus ante obnoxii fuerunt. Poſteriores pagi nullum fœdus cum quoquam faciant, abſque conſenſu vetuſtiorum pagorum. Si bellum inter vetuſtiores pagos oriatur, neutri parti ſe jungant, ſed operam dent paci componendæ. Vnicuique pago vetera privilegia, jura, conſuetudines ſalvæ maneant. Atque hæ quidem ſunt conditiones præcipuè fœderum poſtremorum, in quibus eò diligentiùs cavetur, ne bellum abſque conſilio aliorum moveant, ne æquum jus aut honeſtas pacis conditiones rejiciant, & alia plura quæ ad bella pertinent ſanciuntur, quòd plerique pagi in extremis finibus, & quidam quaſi extra Helvetiam poſiti fuerunt, itaque quia difficilius fuit in his locis bellum gerere, caverunt ne quod bellum, niſi graviſſimis de cauſis ſuſciperetur. *Simler.*

D. Confœderatam Helvetiam rectè unius ſive Reipublicę, ſive civitatis, quod magni [a] viri negant, nomine venire, ſi non κατ' ἀκρίβειαν, ſaltem [b] κατ' ἀλήθειαν.

(*a*) Ita enim A. ex *Germanis* Beſoldus, diſſertat. de Fœder. jure, pag. 12. Vnio namque Rempubl. conſtituit, ex duabus, vel pluribus unam: at verò viciſſim, licet fide, & fœdere aliquæ ſint conglutinatæ civitates, conjunctæque regiones: iſtæ haud proinde conſtituunt Rempublicam unam. Liberi etenim, nobisque externi ſunt fœderati: & populus fœderatus, non eſt alterius poteſtati ſubjectus *lib.7. in princ. & S. 1., de poſtlimin.* Et ſic, quamquam nonnullæ civitates, ad injurias facilius depellendas, fœdera, mutuaque ſubſidia agant; non una tamen exinde naſci Reſp. ſolet. Ad hæc, fœderatæ ſunt ſæpiſſimè civitates, commerciorum tantummodò causâ: at commercia, aliaque ejuſcemodi pacta rerum contrahendarum, non faciunt Rempublicam unam. Quia tales civitates, in quibus hæcce fœdera exercentur, de pecuniis & negotiis, de tabulis & pactis, valde ſolicitæ ſunt. At Magiſtratus & virtutis alienæ, (quibus maximè Reſp. definitur) nullam principaliter curam, nullam ſibi invicem communem conſtitutionem habent: ut hæc explicat Ariſtoteles, *lib. 3. polit. cap. 6.* & etiam Iohan. Caſus, *lib. 3. Sphær. civitat. cap. 6.* Probátque hoc fœdus Helveticum, & Hanſæ, ſive Anſæ civitatum. Vna Reſp. tum demùm fit, ſi propter fœderis naturam, idem ordo, eadémque adminiſtratio civitatis introducatur: unico Imperio & partium omnium æquali ſubjectione animata. Corpus quidem unum efficiunt confœderati: Iacob Menoch. *conſ. 99. num. 39. & ſeqq.* eóque intuitu, punire poteſt confœderatus, hoſtes confœderati ſui; *l. non dubito. 7. in fin. ff. de captiv. & poſtlimin.* Et quoque ſecuritatem apud fœderatos non habet, qui uni ex fœderatis hoſtis exiſtit. Vide Menochium, 1. *arbitr. quæſt. ult. num. 9. & 16.* Haut tamen faciunt ii Rempublicam unam: niſi ſit conſociatio plena, quam unionem Regnorum vocant: Ioh. Camman. *diſp. d. Iurib. Majeſtat. 5. theſ. 96. & ſeqq. eaq́; de re egi & ego, lib. 1. polit. cap. 1. num. 39.* Inibi enim Regnum alienum, & incolæ ejuſdem, Iurib. Majeſtatis, legibusque fundamentalibus communicatis,

in

in plenum & integrum jus Regni aſſumuntur, cooptantúrque: Alberic. Gentil. *diſp. Regal.* 2. quòd in fœdere ita propriè dicto, nullo modo fieri ſolet.

B. Ex *Helvetiis* Franciſc. Guilli. l. 3. c. 14. de reb. Helv. Qui de rebus Helvetiorum mentionem habuerunt, aut de Reip. adminiſtratiõe ſcripſerunt domeſtici, externiq; Helvetiam univerſam, unius Civitatis nomine comprehendi poſſe plerique cenſuere, quod eodem fœdere artiſſimè Helvetii omnes, teneantur, ſummaque ſit inter eos libertatis, multarúmque rerum conjunctio, Concilium præterea ab omnibus eodem in loco capiatur. Vnde ſi quis in fœderis ſocietatem veniſſet, Civitate Helvetia donatum, aut in Civem Helvetium receptum, literis prodidere. Mihi longè aliter viſum. Cùm enim civitas, Cicerone auctore, non ſit aliud quàm concilium, cætusque hominum jure ſociatus; omnes autem XIII. Helvetiæ civitates non eodem jure, aut legibus, ſed plerumque diverſis inſtitutis utantur, nemini dubium eſt, quin unius civitatis notione cenſeri ratione nulla poſſint. Aliud enim libertatem eandem, commercia, connubia habere communia, ſumma neceſſitudine conjungi, aliud eiſdem legibus, eodem imperio, & jure comprehendi. Veneti & Genuenſes liberi utrique contrahunt communiter, hoſpitia, connubia, magnam amicitiæ ſocietatem habere poſſunt, etiam fœdere conjungi ſempiterno: Non tamen, quæ Venetorum, eadem Genuenſium Civitas. Nec obſtat locorum diverſitas, ut primo lib. vidimus. Sed Reges & Principes fœdere conjunguntur, & ſæpe ita ſtricto, ut eoſdem amicos, hoſtésque habeant, ſe non amicos ſolùm, ſed fratres adpellent, nemo tamen propterea idem Galliæ & Angliæ Regnum rectè adfirmaverit, Regna fœderata rectè dixerit. Neque ſi adſit legum communitas eandem civitatem efficias. Leges enim à Græciæ Civitatibus Romani petierunt, iiſque uſi ſunt, civitatem tamen Græcorum, Romanorumque unam fuiſſe, dicere nemo auſit. Helvetiæ civitates, non modò diverſis legibus tenentur pleræque, ſed imperio etiam omnes disjungun-

tur, nulla ut alterius juſſu, aut mandato niſi ſponte, omninò obligetur, ſuum imperium, ſuum jus, ſuam rempublicam habeat, alteri, niſi ex fœdere, & ſocietate, debeat nihil. Non ergo unam Helvetiorum Civitatem, ſed XIII. Helvetias civitates hactenus appellavimus; quales olim Amphyctionum urbes VII. Ætolorum III. Ionum XII. quæ videlicet fœdera inter ſe habuerunt, altera ut alteri ne damno, & noxæ eſſet, hoſtes autem communes communibus opibus, viribúsque perſequerentur, communes eas ob cauſas etiam conventus frequentare ſolitæ. Neque Suevici fœderis in Helvetiorum perniciem concepti, aut paulo antè Gallicarum urbium ad exſtirpandas hæreſes, ferme differentia alia, quàm quod ad tempus illud fuerit, & iſthoc eſſet: Helvetiorum perpetuum conſtituatur. Sicuti igitur non eodem jure, & imperio neque iiſdem legibus, niſi quas fœdera & bellicæ conſtitutiones complectuntur, imò plerunque diverſis obligantur, ita non unam civitatem, ſed XIII. Helvetiorum, ut diximus, fœdere perpetuo conjunctas civitates, neque hos, aut illos civitate Helvetia donatos, ſed in fœderis ſocietatem admiſſos, ut opinor, rectè demonſtravimus.

C. Ex *Gallis*, Bodinus, eúmque ſecutus auth. *Theſauri Polit.* Apotel. 23. pag. 391. Ea certè una omnium Respublica pleriſque videri poſſit, propterea quòd decreta in comitiis communibus communi conſenſione comprobata omnes tenent & obligant: ut quidem ſatis intellectum eſt ex eo, quod à ſeptem Civitatum legatis decretum eſt anno 1554. quo tempore, quum Prætores earum Civitatum, quæ antiquam Religionem acerrimè tuentur, communes præfecturas jurejurando adigerent, ne religionum ritus veteres innovarent: qua religionis ſpecie communes ſubditi carceribus ac ſuppliciorum metu à Romanæ religionis Prætoribus catholicis urgebantur, niſi civitates novæ religionis interceſſiſſent. Et quidem res ad vim & arma prolapſura videbatur, niſi Legati Francorum diſſidia compoſuiſſent, ea lege, ut Acta jurisjurandi à communibus ſubditis extorta reſcinde-

ſcinderentur; & ut communes ſubditi novam religionem contra fœdus ſuſceptam ejurare cogerentur, ſi maxima pars civitatum Helveticarum ita decreviſſet. Ad hanc pacis actionem magnum attulerunt adjumentum Glaronenſes & Abbatiscellani, communes ſocii, qui utramque religionem ſuſcipiunt ac probant. Ex quo efficitur, ut quod maxima pars ſociorum civitatum decreverit, ſingulos teneat. At ne ſocietatem quidem, aut fœdus, ut amicitiam cum ullo Principe contrahere ſociis licet, niſi conſpirante omnium conſenſu. Quum enim Civitates Helvetiorum, quæ novam Religionem probârunt, ſocietatem cum Philippo Heſſorum Principe & cum civitate Argentina coiiſſent, ab ea, ſociis poſtulantibus, diſcedere coacti ſunt. Et qui Romanam religionem colunt, ſocietatem cum Auſtriacis contractam deſerere coacti ſunt. Ac tametſi cum Pio IV. Pontifice maximo fœdus religionis tuendæ cauſa percuſſiſſent: id tamen, quantumvis à Pontificibus, præmiis propoſitis, pellicerentur, renovare noluerunt. Quum autem ageretur de fœderibus cum Franciſco I. Francorum rege ſanciendis, diutiſſimè interceſſerunt civitates Helvetiorum, quæ nova religione non ita pridem imbutæ fuerant, Zuinglii Theologi acerrimis concionibus perſuaſi; qui peregrinis Principibus militare nefas eſſe contendebat; ac tantum profecit, ut ſui non aliter, quàm amicitiæ cauſa, ſocietatem cum Rege noſtro coirent. Renovatis autem cum Henrico II. fœderibus, Baſileenſes & Schafhuſiani cum civitatibus catholicis non tantùm ad amicitiam, ſed etiam ad auxiliares exercitus cum Francis ſeſe adjunxerunt, Tigurini tamen & Bernenſes ſuos, indicta capitali pœna, Regi Francorum mereri vetuerunt anno 1554. At civitas Vnderwaldenſium, Cardinali Tridentino exercitum conſcribente, ſubditos ab exercitu revocavit, capitis ac bonorum propoſita pœna, ſi quis alteri, quàm Regi Francorum militaret. Quæ certiſſima ſunt argumenta, tot eſſe apud Helvetios Reſpublicas, quot civitates, quæ quinquaginta collegiis conſtant, diviſa ſeorſim imperia moderantur:

 quoties

quoties autem conventus habent, maxima Rhætorum civitas legatos octo ac viginti mittere conſuevit; ſecunda viginti quatuor; minima quatuordecim, iis conditionibus, ut ea quæ pars legatorum maxima decrevit de rebus ad univerſitatem & communes ſocios pertinentibus, ſingulos teneant. Interdum etiam plebs univerſa cogitur ad ea, quæ in Republica graviſſima ſunt, dijudicanda. Fallunt igitur, qui unam ex tribus civitatibus Rempublicam conflari putant. Nam communes conventus, ager communis, hoſtes, amici communes, Rempublicam non efficiunt eandem; non, etiamſi ærarium omnium idem ſit: ſed ſumma imperandi prohibendique poteſtas, qua quæque civitas ſuos coërcere poteſt.

(*b*) Planè enim ſentimus cum *Sleid.* p.27. & *Siml.* de Rep. Helv. lib. 1. p. 1. Cæterùm Helvetiorum plures quidem ſunt populi, & urbes non paucæ, una nihilominus eſt civitas, una Reſpublica, de quo tamen à doctis dubitari video. Exiſtimant enim apud nos imperii nullam ſocietatem & conjunctionem eſſe, ideóque unam Rempublicam dici non poſſe: ſingulas enim civitates aliarum decretis non aliter obligari, quàm ſi ſponte aſſentiantur, ut in pactis ſociorum privatis, atqui in eadem Republica, quod pluribus placuit, omnes obligat. Nos cum his diſputare nolumus, ac ingenuè fatemur, ſi exactè ſingula perpendantur, ita ſe rem habere, ut ipſi aſſerunt: ſed quoniam unum eſt totius gentis concilium, & communi imperio provincias pleraſque adminiſtrat, de pace & bello omnes ſimul ſtatuunt, & præterea leges & conſuetudines ferè eaſdem habent, atque pactis perpetuis adeò arctè devincti ſunt, ut ſi non ſit una Reſpublica, ſaltem quàm proximè ad unius Reipublicæ formam accedant, nos qui rudius de his rebus ſcribimus & loquimur, illam ſocietatem fœderis Helvetici civitatem & Rempublicam Helvetiorum nominabimus. Hæc igitur perpetuis fœderibus conſtituta civitas Helvetica, jam ſupra ducentos annos patriam libertatem ſumma concordia & animorum incredibili conſenſu tutata eſt.

Sive

Sive enim,quod tamen durum eſt,cives & civitates deducas à *coëo* & *vivo*,quod in unum coëuntes vivant,ut vita communis ornatior fiat,& tutior,quod vult *Iſidor.* lib.9.cap.4. Sive à *coëundo*, quod vinculo quodam ſocietatis in unum coëant cœtum, & ſub legibus vivant, quę Etymologia *Perotto* placet; ſive denique,cum *Martino*,à *cio*, id eſt, *voco* derives,ut ſit civitas collegium ſeu congregatio ad unum facta locum; non video Helvetiæ ſtatum ab hac notione abhorrere. Vt enim à propriis, quas quilibet Helvetiæ Pagus habet, Legibus & ſtatutis, ſingularis Civitatis nomen quisq; meretur; ita quid obſtet, quominus communes illi characteres, quorum ex *Simlero* modò meminimus, communem aliquam conſtituant civitatem? Sit diverſitas Legum ſpecialium, non tollitur unius Civitatis communio. Eodem *Simleri* noſtri ſenſu,cur Helvetiorum ſtatum Rempublicam appellare tergiverſemur? *Cùm enim*, ut eſt lib.1.rer. Politic.Diſc.32. *Reſpublica ſit ordo regiminis hominum, certis jubendi,parendiq; legibus inter ſe,bono publico,devinctorum*, quid nì Reipublicæ nomine veniat Helvetia? Sit licèt vinculum hoc alibi laxius,alibi arctius,atq; adeò *reſpectus Eſſentiæ Reipublicæ*,ut idem loqui amat author,conſiſtens in perſonis vel Imperantibus vel obtemperantibus, variet, qui vel magis vel minus propriam Reipublicæ gignit nomenclaturam; non video tamen Confœderatæ Helvetiæ abjudicari poſſe Reipublicæ unius axioma. Quid enim continet Reipublicæ definitio quod Helvetiis, non conveniat? *Eſt hic ordo regiminis*, pro ratione Helvetiæ vel emergentis,vel augeſcentis,varius quidem ratione modi,idem tamen reſpectu finis,qui eſt ſalus patriæ communis. Sunt leges jubendi, parendiq́ue publica Helvetiorum authoritate ſancitæ. Hoc concedit *Bodinus*; quod & exemplis comprobat. Nos pauca quædam alia addemus. *Communes* Reipublicæ Helveticæ leges vel *Eccleſiaſticæ* ſunt, vel *Politicæ*. Ex *illis* ſequentes notantur 1. *Calviſ.* ex annal.Suev.ad an.Chr.1370.obſervat: *Helvetiorum Pagi fœdus faciunt peculiare, contra iniquas Sacerdotum ex-*

communicationes. Sine dubio decretum illud, quod ipſi veteres vulgò den Pfaffenbrief vocant, intelligit. Vbi inter alia: Was auch Pfaffen in vnſer Eydtgnoßſchafft in Stätten oder in Länderen wohnhafft ſind/ die ſollend kein frömbdes gericht/ geiſtliches noch weltliches ſuchen noch treiben gen niemands. Wann ſie ſollend recht nemmen an den Stätten vnd vor dem Richter/ da er geſeſſen iſt/ es were dann vmb ein Ehe oder vmb geiſtliche ſachen/ ohn alle geferd: welcher Pfaff aber darwider thut/ da ſol die Statt oder das Land/ da derſelb Pfaff wohnhafft iſt/ verhüten vnd verſorgen mit aller ihr gemeinde/ daß demſelben Pfaffen niemands eſſen noch trincken geb/ hauß noch hof/ gen ihm nüt kauff noch verkauff/ noch keine andere gemeinſam mit ihme haben/ ohne geferd. Vnd ſol auch der Pfaff in niemands ſchirm ſeyn vnſer Stätt vnd Länder alldieweil vntz er von den frömbden gerichten laßt/ ꝛc. Summa decreti eſt.

Quicunq; ex civibus aut inquilinis pagorum, Sacerdos aut Laicus, Auſtriis Principibus à conſiliis fuerit, aut eorum cliens, & illis jure jurando obſtrictus, is nihilominus jurejurando ſe pago ſuo obſtringat ad jus & commoda Confœderatorum promovenda, & bona fide indicandum ea, unde damnum illis accidere poſſit: atq; hoc juramentum primum eſto: neque ulla obligatio eos à culpa exemerit, ſi contra hoc fecerint. Sacerdotes, qui apud nos habitant, neque cives ſunt, nullo peregrino, judicio civili aut Eccleſiaſtico adverſus quenquam utantur, exceptis matrimonialibus & Eccleſiaſticis cauſis: quicunque eorum ſecus fecerit, illius pagi Magiſtratus, in quo habitârit, caveant, ne quis illum hoſpitio, cibo, potu, juvet, commercium aliquod cum eo habeat, nemo ex noſtris pagis in ſuam tutelam recipiat, donec exteris judiciis renuntiet, & damnum alteri his judiciis datum reſtituat. Quicunque injuria alteri damnum dederit, ſive pignora contra jus capiendo, ſeu alia ratione, hujus corpus ac fortunæ obnoxia ſunto Magiſtratui, donec alteri ſatisfecerit. Decretum hoc à ſex Pagis, Tiguro, Lucerna, Vria, Suizia, Vnderwaldia, Tugio, editum eſt menſe Octobri 1370.

2. Non

2. Non ſemel Helvetii ὁμοψήφως ſtatuerunt, Clerum exorbitantem in officium eſſe redigendum, & in illum ſceleribus obſtrictum pariter ac in laicos animadvertendum. Scribit *Graſſer*. Herolog. pag. 157. Petermannum de Hertenſtein Lucernatem, & Rulandum Goldlinum Tigurinum, an. Ch. 1489. omnium Helvetiorum nomine, Romam ablegatós, ut facultatem à Pontifice impetrarent, clericos ſceleratos gladio tollendi; ſed nihil tum obtinuiſſe monet. At *Petrus Numagen*, qui eodem etiam tempore vixit & ſcripſit, ſuis, in Archiep. Crainenſis geſta, notis, obſervat, Gentilem de Spoleto, Pontificis apud Helvetios Legatum, gratificatum iis fuiſſe. Locus memorabilis eſt, quem totum dedimus in *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XV. pag. 530. Scripſit & *VVolphgangus Scharzmannus*, Sangallenſis Ioachimo Vadiano, *ſtatutum novum impetratum à ſummo Pontifice & promulgatum in Thermarum loco nuper coram hujus regionis Magnatibus, clericos nefandos tum punire, tum interficere licere, ac ſi ſeculares forent homines. Hoc vix tribus tranſactis hebdomadis inceptum eſt in Berna: Nam Presbyter quidam illic decollatus eſt. Auſtera apud nos clericorum perſecutio perſeverat.* Sempachio 14. Cal. Feb. an. 1523.

3. Anno Chriſti 1512. Legatis ſuis univerſa Helvetiorum civitas injunxit, ut Pontificem monerent de repellendis Curtiſanis, quos vocabant, ubique moleſtis, & greges invadentibus. Sed nihil obtinuerunt. *Stettler*. lib. 9. pag. 470.

4. Propoſitiones an. Chr. 1524. à pleriſque Helvetiæ Cantonibus Lucernæ conſignatas, & ſummorum per Helvetiam Magiſtratuum examini committendas, dedimus in ἐλέγχῳ noſtro P. III. pag. 471. quibus magnam partem publico conſenſerunt edicto Bernenſes, an. Chr. 1525. teſte *Stettlero*, lib. 12. pag. 642. *Politica* verò leges communes ſunt itidem variæ, contra militiam privatam, quæ capitis ſupplicio ab Helvetiis erat interdicta an. Ch. 1472. *Stettler*. pag. 207. & deinceps aliquoties, ut ſuo audiemus loco. Anno Chriſti 1490. publico decre-

to, Iudæorum immodico fœnori frænum fuit injectum, adeò ut non licuerit, bona immobilia cuiquam, Iudæis oppignorare; *Idem*, pag. 313. An. Ch. 1492. Lucernæ in comitiis ſancitum fuit, *actores jure potiùs, quàm armis contra reos & debitores juvandos*; Id. pag. 320. An. Ch. 1477. poſt tot inſignes deportatas contra Burgundum victorias, leges latæ ſunt ab Helvetiis, contra juramenta, blaſphemias, vagos & illicitos concubitus, militiam mercenariam, ſumptuoſas veſtes, rebelliones, fænora; de re item nummaria; *Idem*, pag. 274. Et quia longa arma tractandi conſuetudine pacis commoda æſtimare multi non didicerunt: Vnde etiam ex rapto, quàm manuum labore victum quærere illi maluerunt, Helvetiorum publica authoritate ſtatutum fuit, ut qui vel leve reſtiq; emendæ ἰσόῤῥοπον feciſſet furtum, ſupplicio mortis afficeretur. Periere rota, reſti, gladio, igni per Helvetiam 1500. inutilia terræ pondera. Quo quidem rigore Helvetico non modò Iuſtitiæ elogium natio, ſed & ſecuritatem regio, fuit conſequuta; *Idem*, p. 279. Cùm a. Ch. 1485. occaſione Motelini, hominis prædivitis, itinera ubique redderentur infeſta, alia iterum contra prædones ſancita ſunt decreta; *Idem*, p. 291. Leges nummariæ a. Ch. 1503. ab Helvetiis fixæ, recenſentur ab eodem pag. 380. Contra Cingaros, agyrtas, alióſque errones, an. Chr. 1510. Legis, qua apud Helvetios cavetur, *ne quis invitatione ad bibendum urgeatur*, mentio fit in *Progymnaſ. Aphton*. pag. m. 323. *Multa quidem* (verba ſunt *Petri Moſellani*) *præclarè in ſua ditione inſtituunt fortiſſimi libertatis ſuæ defenſores Helvetii, ſed nihil præclarius, nihil laudabilius, nihil Reipublicæ utilius, quàm quod ab illis nuper ſcitum eſt. Nam cùm per ebrietatem paſſim peccari viderent, ut aditus ad id vitii omnes præcluderent, in ſua ditione ſtatuerunt, ne cui deinceps alio vulgarium iſtarum invitationum prætextu ad ebrietatem ſolicitare impunè liceat.* Puto tamen hanc legem eſſe ſpecialem. Illuſtres cumprimis ſunt leges *militares Stantianæ*, an. Ch. 1481. de quibus paulò pòſt; aliæque an. Chr. 1499. ſancitæ: *Stettler*. p. 336.

Ejus-

Ejuſdem commatis ſunt conſuetudines Helvetiorum propriæ,longo uſu receptæ. *Beſold.* de arte jurè,quæ belli,pag.183. *Helvetii ita exigente conſuetudine veterata,* bleiben drey tag auf der Walſtatt ligen/wann ſie den ſig erhalten; *Stumpf.* lib.10.cap.ult. *Theod.Zving.* Theat. vit.hum. Volum.XIII. lib. 11. pag.1936. *Inter Chriſtianos populos Helvetii hunc morem à majoribus traditum conſtantiſſimè retinent, ut ante conflictum proni cœleſtem pacem ter expetant. Atq; utinam,quàm in hac parte religioſi ſunt,tam quoque in bellis ſuſcipiendis majorum ſuorum veſtigia ſequerentur!* Quæ in contrarium afferuntur,nos non feriunt. Aut enim 1.manifeſtus committitur Elenchus parium, ut cùm aliorum fœderatorum exemplo, ad arctam fœderis Helvetici explicandam naturam, commodè uſurpata vox nobis excutitur. Ita enim Helvetii mutuo conſtricti ſunt fœdere,ut vix major expectari poſſit συνάφεια,inter ejusdem propriè dictæ civitatis membra. Eſt hîc dependentia quædam, quæ, ſalvo fœdere Helvetico, violari non poteſt. Ea ſe exerit κατ' ἄρσιν καὶ τὴν θέσιν,ut liquidiſſimè ex formulis fœderalibus apparet. Aut 2. falſi medii eſt aſſumtio: Idque duobus modis. Ambiguum eſt,*Helvetiæ civitates non modò diverſis legibus teneri pleraſque,ſed Imperio omnes disjungi,nulla ut alterius juſſu aut mandato,niſi ſponte, omnino obligetur.* Hoc enim, etſi concedamus de iis,quæ ſingulos ſigillatim concernunt Cantones, & cuique propria privilegia,judicia, controverſias; In communibus tamen cauſis, nemo ſui juris eſt. Standum tum neceſſario judicio Helvetiorum. Qui ſecus faceret,ſententiam latam non acceptaret,aut aliò provocaret, experiretur, dubio procul,iisdem omnes legibus teneri communibus. Falſum etiam judicamus,*Rempublicam tum demum fieri,ſi præter fœderis naturam,idem ordo,eademq; adminiſtratio civitatis introducatur,unico Imperio & partium omnium æquali ſubjectione animata.* Quot enim in orbe ſunt Reſpublicæ, ubi æqualis ſubjectio, idem Imperium in omnes ſubditos non obſervatur? Habent municipia

cipia plerunque ſua privilegia, ſuas immunitates, quibus ab æquali per omnia ſubjectione eximuntur. Non eſt neceſſaria identitas ordinis, & æqualitas ſubjectionis; modò adſit ſplendor Majeſtatis. Sed mittimus hæc, quia vel ſola conſuetudine, & eruditorum authoritate didicimus Helvetiorum Politiam Reipublicæ unius nomine inſignire, Belgarum planè imitatione, qui legibus & ipſi ſecundum Provincias provincialibus diſtincti, unum tamen, ſive Civitatis, ſive Reipublicæ ſyſtema conſtituunt.

E. Rempublicam Helvetiorum [a] juſtitiæ maximè & [b] fidei nomine commendatam, [c] pari loco, cum illuſtriſſimis aliis Rebuspublicis fuiſſe habitam.

(a) *Theodorus Zuingerus,* Theat. vit. hum. Volum. XIV. lib. 5. pag. 2151. *Helvetiorum in ferendis ſententiis æquitatem & juſtitiam ſummi ſæpe Principes admirati ſunt, ita ut non rarò graviſſimæ Controverſiæ juſtiſſimo Helvetiorum arbitrio committerentur. Vtinam verò aureis aſellis Regum & Imperatorum alpes ſuas non patefeciſſent.* Exempla ſunt obvia, & longa ſerie à *Stettlero* an. Ch. 1480. pag. 270. recitata. Addamus unum & alterum. *Paul. Iovius* teſtatur, Helvetios tanta apud Maximilianum I. Imperatorem & Carolum IIX. Gallorum Regem valuiſſe gratia & authoritate, ut utriusque Principis controverſiam compoſuerint: *Graſſer*. Itiner. pag. 30. *Schvvitzer*. an. Chr. 1492. An. Chr. 1411 Inter Leopoldum Auſtrium & Baſileenſes, Helvetiis arbitris, pax confirmatur Badæ. *Schvvitzer*. pag. 81. Vnde civitatis Helveticæ jure vel communi, vel proprio ſe munierunt, quotquot vim exterorum extimeſcebant. Vide ſuprà, pag. 171. Quibus alia Civium Helveticorum addi poſſunt exempla: Habebant enim hoc ſibi nomine devinctum Subſylvani Mōtelinum, hominem, qui propter magnas opes in proverbium abiit: *Stettler*. lib. 6. p. 290. Bernenſes Dom. de la Bruer; Lucernenſes verò adver-

farios

ſarios ejus Franciſcum & Iacobum de Gingnis, Dominos de Caſtellar; *Idem*, an. Ch. 1512. pag. 479. Vtrique Ludovicum de Borromea, Mediolanenſem; *Idem*, an. Ch. 1518. pag. 578. Bernenſes verò Iohannem Philibertum, D. de Varas, Biſantium Burgundiæ urbem; *Id.* Ib. Lucernenſes & Solodurenſes Huldricum Vitenbergæ Ducem; *Id.* an. Ch. 1519. pag. 586. & 1523. Friburgenſes Genevam, *Ib.* p. 587. b. Vbi tamen negare non poſſumus, ſceleratos nonnunquam homines Helvetiorum authoritate abuti fuiſſe conatos. Nota eſt hiſtoria Equitis *Richardi Hochburgii*, civitatis quidem jure à Tigurinis donati, poſtea tamen, cùm horrendi ſceleris convinceretur, flammis addicti & deleti; de qua prolixè *Bulling.* de reb. Tig. lib. 13. cap. 2. *Stettler.* an Ch. 1482. Qua verò fide & integritate Helvetii Civium ſuorum cauſam egerint, ipſa hæc modò citata, & prolixiùs ab Hiſtoricis noſtris deducta probant exempla, Mōtelini præſertim, Ducis Vittenbergenſis, & Genevæ.

(b) *Becan.* Ieſuit. Opuſc. lib. 1. pag. 477. *Quare Pontifex Romanus, Rex Chriſtianiſſimus, & nonnulli alii Principes pro cuſtodia corporis adhibent Helvetios? Propter fidelitatem.*

(c) Inſignis occurrit locus in *Abrahami Vander-Milii* Lingua Belgica, Præfat. *Inſignes fuêre Reſpublicæ à mundi exordio quàm plurimæ: Inter eas olim quàm maximè claræ Spartana, Athenienſis, Iudaica: hodie Helvetica & Veneta. Spartanam & Athenienſem ſuperare veſtram, factorum illorum conſiliorúmque, quæ commemoravi, magnitudine confidenter dixero. Helvetica Venetáque ipſa, ſe vobis ulla in re ſtatuere ſuperiores, erubeſcent.* Γείτνίασιν hanc ſuperiori Seculo ipſi non ſemel urſerunt Veneti per Legatos apud Helvetios: *Stettler.* an. Ch. 1512. pag. 473. Confer Memoriale Anglicum, ut vocatur, pag. 146.

F. Rempublicam Helveticam & [a] origine & progreſſu [b] miraculoſam, nec [c] vi hacte-

hactenus, nec dolis; magno & incredibili Dei beneficio; ſupprimi potuiſſe.

(a) De origine fœderis Helvetici ita ſcribit *Felix Faber*, Hiſt. Suev. lib. 1. pag. 142. Statim autem occiſo Alberto, & in Spira ſepulto, conditio Ducum Auſtriæ vel Comitum de Habſpurg pejorata eſt in eisdem regionibus, & multiplicata ſunt mala in terra illa de die in diem. Nam illud primum inter quatuor, per quæ, ſecundùm Salomonem Proverb. 3. movetur & turbatur terra, poſt mortem Alberti mox incepit: quia Swiceri ſervi dominorum de Habſpurg tunc regnare ceperunt, & paſſim nobiles extirpare, & ſibi dominium vendicare, & confœderationes firmare. Hujus autem contradictionis initium & ortum contra Principes ſic dicunt fuiſſe: Nam Comes de Habſpurg naturalis Dominus Suicerorum in valle Arta, & in quodam caſtro Loewers, nomine ſuo loco poſuit Caſtellanum, & vallis dictæ gubernatorem, quem duo Swiceri interemerunt pro eo, quòd ſuſpectum eum habebant, quòd eorum ſororem violâſſet. Quæ cùm Comes punire vellet, quia ſine evidentia Caſtellanum interfeciſſent, punientibus reſiſtere deliberabant, quibus, ſic in contumacia ſtantibus, alii duo Switenſes eis adjuncti ſunt, contra Dominum ſuum parati ſtare: hinc illis alii decem conjurationem fecerunt, velle potius mori, quàm puniri primos duos: ſicque creſcente tumultu omnes iſtius vallis habitatores contra Dominum ſuum inobedientiam profeſſi ſunt, & ligam ac conjurationem fecerunt. Et conglobati caſtrum prædictum radicitus confregerunt. Hoc videntes montani, eis vicini dicti Subſylvani, vulgariter Underwaldenſes, ſub dominio Dominorum de Landaberg, cum Swiceris practicabant. In nocte ergò ſacræ nativitatis Domini, dum Dominus de Landaberg matutinis intereſſet, ſervi ſui caſtium intraverunt, eúmque ſpoliantes devaſtaverunt, & Dominum turpiter à ſe fugaverunt, ſeque cum Swiceris confœderaverunt. Hinc Lucernenſes oppidanos, quondam ſub dominio Abbatis

Marba-

Marbacenſis, dum eos corrigere & regere non poſſet Comiti de Habſpurg tanquam potentiori ſubjecit: qui Comes invicem eidem Abbati oppidum Gewiler cum caſtro Hugſtein dedit, & Baronem quendam de Grinenberg ad caſtrum Rotenburg eisdem Lucernenſibus præfecit. Hic Baro quadam die ſuum cocum de caſtro ad oppidum miſit ad emendum carnes. Cui carnifex dixit, ut demonſtraret ſibi locum occiſi bovis, de quo ſibi placeret carnes habere, & cum cocus extenderet manum, macellator cultello ſuo coco manum amputavit. Hanc crudelitatem cùm Baro prædictus nomine Domini ſui vindicare & punire vellet, circumdata oppidani domo Baronis in medio oppidi locatam, & deſtructo caſtro Rotenburg, Swiceris ſe conjunxerunt, terga vertentes Domino ſuo. His demum vallis Vraniæ, quondam ad Abbatiam Thuricenſem ſpectans, fœdere juncta, audaciam eorum plurimum augmentavit, & oppidum Zug Ducum Auſtriæ, & vallis Clarona, quæ Abbatia ad Secowiam pertinebat, & villa Bernenſis, & oppidum Solodorenſe eis ſe junxerunt cum vicinis populis, ſicq; indies creverunt, quibus multi ſponte juraverunt, multi coacti idem fecerunt. Inſuper Concilium Conſtantienſe quaſi Ducem Auſtriæ ſuſpectum habuit, quòd contra decreta Concilii ageret, licentiam dedit Swiceris invadendi, & in ſuam confœderationem redigendi totam Ergouiam cum oppidis, caſtris, & villis, quod & fecerunt, & ita comitatus Habſpurgenſis, origo Ducum Auſtriæ, in rem judicatam tranſivit & alienatus fuit à ſuis Dominis & fundatoribus. Poſt hoc Baſileenſes, Thuricenſes ſe eis ad tempus confœderaverunt, & quædam aliæ civitates, alia etiam vicina ceperunt, ejicientes nobiles inde. Tempore etiam Pii Papæ anno Domini 1464. multa ceperunt de terris Ducum Auſtriæ juſſu ipſius Papæ qui domui Auſtriæ adverſabatur.

Apparent quidem in hac *Fabri* relatione veſtigia quædam primi inter Helvetios, non æterni, ſed paucis annis terminati (vide ſup. p. 160.) fœderis; occaſionem tamen, intolerabilem Præfectorum tyrannidem vix ſupremis

premis attingit labris. Propinanda illa fuiſſent plenioribus faucibus, ne hiulca eſſet rei tam feliciter geſtæ Hiſtoria, & ipſa ignota origo. Tyrannidem Præfectorum Auſtriacorum *ἀφορμὴν* extitiſſe fœderis Helvetici, multorum probavimus teſtimoniis ſuprà, p. 161. Specimina & exempla (unde lucem obſcura Fabri habebit recenſio) duo ex Carionis Hiſtoria ſubjecimus: rei tamen momentum, ſi non longam ex Simlero l. 1. pag. 11. compendioſam ſaltem & *Schvvizero* ad. a. Ch. 1307. meretur, ordine temporis inſtitutam, repetitionem. In hæc tempora, *inquit*, & annos, Imperii Alberti incidit hiſtoria fœderis Helvetici ex occaſione injuriarum & tyrannidis, quam præfecti Auſtriaci apud Vranios & Vnderwaldios exercebant. Nam cùm Albertus Imperator numeroſa prole ditatus opibus & potentia ſuos augere cogitâſſet, cùm alibi ſuam ditionem amplificare, tum in Helvetiis novum principatum inſtituere cœpit. Et Imperator factus, multa quæ Imperii erant Auſtriis aſſerere & omnibus vicinis moleſtus & intolerabilis eſſe. Vnde ne à liberæ quidem conditionis hominibus, quales erant Vrii, Suitii & Subſylvani, abſtinuit, quin apud illos jura quædam monaſticis familiis extorqueret, eáque occaſione Præfectos, non Imperiales, ſed Auſtriacorum nomine ipſis mitteret, qui varia injuriarum exempla edebant. His igitur incommodis affecti Vrii, Suitii & Subſylvani inter ſe ſocietate pacti, exactis Præfectis, libertatem ſuam armis fortiſſimè defenderunt. Injuriam & tyrannidis præcipua hæc ſunt exempla. Landenbergius, qui Auſtriorum nomine Subſylvanis præerat, diviti cuidam ejus pagi civi nulla de cauſa aliquot boum juga abigere ſervos jubet: Fortè boves aratrum trahebant, quos ſervus Landenbergius ſolvens, arroganter ipſosmet ruſticos aratra trahere jubet: filius itaque civis, Arnoldus nomine, injuriâ commotus, ſtimulo quem manu tenebat, ſervo verberato, digitum frangit & ad Vranios confugit. Landenbergius patrem ad ſe adductum, & utroque lumine privatum, maxima bonorum parte mulctat. Paulò pòſt Wolfenſchieſſius

nobilis,

nobilis,Landenbergii in iſtis locis vicarius,civis cujuſdam honeſti uxorem,matronam honeſtam,formâ egregiam,deperire cœpit,quam abſente marito & balneum parare cogit,& nudam in eodem apud ſe ſedere jubet, poſt id illicitum concubitum impetrare ſperans. Quod mulier proba præſentiens maritum, qui haud procul domo aberat,domum vocat: ille rei indignitate percitus,Wolfenſchieſſium in ipſo balneo,ſecuri,capite,ictu vehementiore, contuſo,necat.

Hæc cùm in Subſylvanis geſta fuiſſent,Griſslerus, Vraniorum Præfectus,occultam quandam conſpirationem ſentiens,illius inveſtigandæ causâ Altorfi in foro pileum prælongæ perticæ imponit,& publicè omnibus imperat,uti tranſeuntes huic honorem,ipſi Principi debitum, exhibeant, ac ſi ipſe Princeps foret. Sperans ſe hac arte aliquem hujus conſpirationis conſcium deprehenſurum: Cæterùm ex omni numero unus Wilhelmus Tellius deſpecto pileo tranſire ſolebat, ob quam cauſam accuſatus,collocato ad ſcopum filio natu minimo,eóque chariſſimo, & ſupra caput pueri impoſito pomo,cogitur ad pomum,ceu metam,jaculari. Ipſe Tellius inſigni auſu re feliciter peracta,inſuper vinctus à Præfecto Cuſſinacum ad perpetuos carceres abducitur, in quo itinere excuſſis compedibus Præfectum immaniſſimum Tyrannum trucidavit. Acta ſunt hæc menſe Novembri Anni 1307.

Interea fœderatorum numerus augetur de die in diem,& Calend.Ianuarii Anno 1308.per inſidias capiuntur Arces Rozbergum & Sarna in Subſylvanis,Landenbergius Præfectus captus cum omni familia ad fines deducitur, dato juramento,ne unquam in has regiones redeat.

Eodem tempore arces, Tyrannorum refugia, apud Vrios & Suitios diruuntur,miſſiſque Legatis tres illi pagi fœdus in decennium fecêre, & jurejurando ſancivêrunt conditionibuſque mutui auxilii pro libertate tuenda,&c. Albertus rebus his auditis,ſtatuit pagos bello perſequi,ſed ad Vrſam flumen à conjuratis aulicis in-

terfectus, quod animo deſtinaverat, perſequi non potuit, & filii in tempus magis opportunum diſtulerunt. Eruperunt hæ ſimultatum flammæ an. Ch. 1315. ut alibi diximus.

Atque huc, dubio procul, alludit *Faber.* Aliam primi illius Fœderis originem plerique annales ignorant.

(*b*) Qua de re egimus in *Irenico Helvetico*, ſup. p. 175.

(*c*) Id quod manifeſtum ſatis eſt ex iis, quæ ſupra commemoravimus. Luculentus teſtis eſſe poteſt Catalogus præliorum ab Helvetiis pro libertate geſtorum. Accedat tamen, ἀνακεφαλαιώσεως loco, *Theodor. Zuingerus*, cujus in Theat. vitæ hum. lib. IV. vol. VI. p. 1074. ex Stumpſio noſtro hæc ſunt verba: Helvetii, qui alpes incolunt, Imperio Germanico ſubjecti fuêre, eóque nomine Prætorem, ſingulis annis accipiebant. Auſtriacos Principes vicinos habebant, eorúmque potentiam, innumeris nobilium arcibus circundati, verebantur. Iugum imminens excutiendi hæc fuit occaſio. Ludovicus Bavarus Imperator deſignatus circa annum Sal. 1314. competitorem habebat Fridericum Auſtriacum, inque factiones diviſa Germania, inteſtino malo laborabat. Helvetii Ludovico non obſcurè *(tres videlicet pagi: Bernenſes enim & Solodorenſes, Papæ authoritatem ſecuti, ſuas ſibi res Ludovicum, anathemate percuſſum, habere jubentes, Loupenſi implicantur prælio: Tigurini verò Ludovici partibus demum poſt Morengartenſem cladem accedentes, tantam ei probârunt fidem, ut ne anathemate quidem territi fuerint)* favebant. Vnde Lüpoldus Auſtriacus, Friderici frater, bello conjuratos domiturus, anno 1315. die 16. Novembris ad Moregardam montem circumventus, M D. equitibus amiſſis, ſummo cum dedecore vix effugit. Eo ſucceſſu elati Triumviri, ut æterno fœdere Vrienſes, Suitenſes, & Vnderwaldenſes inter ſe coirent, authores fuêre. Ludovicus fœdus ratum habuit. Auſtriaci clade tam ignominioſa irritati, quamvis Ludovico per Regem Bohemum reconciliati eſſent, Paganos tamen perſequi non ceſſabant. Lucernenſes partim inſolentia Auſtriacorum, partim fortitudine

dine Paganorum moti, fœdus cum iis ineunt anno 1332. Tigurini XII. viros ob malè adminiſtratam Rempubl. in exilium ejecerant, & mutata Reip. forma XIII. tribus inſtituerant, è quibus Senatus legeretur. Cùm exules Io. Comitis Habſpurgenſis auxilio noctu urbem occupare fruſtrà tentâſſent, deſtituti Tigurini aliorum auxilio anno 1351. Helvetiis ſe conjunxêre. Obſeſſi ter ab Alberto Claudo, duce Auſtriæ, pro patria fortiſſimè dimicavêre. Glaronenſes quoque & Tugienſes in fœdus recepti anno 1352. volentes, nolentes. Acceſsêre his Bernenſes anno ſequenti. Et hoc fœdus antiquum octo virorum Helvetiæ. Leopoldus III. Alberti filius Anglos ad XXC. millia contra Helvetios excitat anno 1374. Dux illorum, nepos Auſtriacorum matris dotales urbes ab Helvetiis occupatas (hoc enim prætextu eum contra Paganos Auſtriacus irritârat) vindicaturus, ubi cum tanta colluvie ramenta montium intravit, commeatu deſtitutus, in diverſas partes diſtractum exercitum Helvetiis ad ſylvam Butiam, ad Erlacum, ad Frobrunnam carptim cædendum præbuit, turpique fuga vix elapſus eſt. Vrbes imperii cum Helvetiis fœdus ineunt, quibus Leopoldi ſuſpecta erat potentia. Novis ſubinde inſolentiis nobilium vicinorum vetere odio exulcerato, cùm Sempachenſes ſuæ ſecuritatis causâ Lucernenſium fidei ſeſe commiſiſſent: Leopoldus interea victis Imperialibus urbibus, & pace cum iis facta, victorem exercitum in Helvetios convertit omni externa ope deſtitutos. Anno 1386. bellum iis indixit per ſe: ſed & Comites, Barones, Nobiles, prout varias inimicitiæ cauſas habebant, ſinguli turmatim bellum denuntiârunt, nimirum ut multitudine terrerentur hoſtium. Helvetiorum MD. Tigurum profecti, quòd illic Ducem irrupturum putarent, poſteaquam rectà Sempachum proficiſci audiunt, celeritate incredibili ſequuntur. Vix dum advenerant, cùm nobiles conſilio inito, ut victoriæ fructum præcerperent, gregarios milites ſpectatores tantùm ſuæ fortitudinis eſſe voluêre, juſsêre: atque vel inſolentia quadam ſponte, vel loci iniquitate coacti, reli-

ctis equis pedites pugnam inivère. Quorum temeritatem cùm ſenex Baro Haſenbergius reprehenderet, Oxenſtenius, leporinum animum illi, ad familiæ nomen à monte leporis ductum, alludens, cum probro objecit, & ad ducem converſus, Manipulum hunc ruſticorum nos tibi priùs, quàm Sol occidat, aſſandum elixandúmve pro libito dabimus. In primo congreſſu ad LX. inermes Helvetios cataphracti occidunt. At procedente pugna, labore & ſudore confecti, præclaro interim Vincelriedi ſtrategemate circumventi, ſecuribus pulſati concidunt, ſuiſque armis ſuffocantur. Leopoldi cædes, eos etiam qui integri erant, ita terruit, ut in fugam turpiſſimè effuſi, memorabilem victoriam Helvetiis conceſſerint. Cæſa ſupra duo millia Ducum, Comitum, Baronum, Equitum auratorum, Nobilium: Helvetii CC. ſuorum deſiderârunt. Leopoldus IV. Superbus patris mortem ulturus, aſcitis ſibi auxiliaribus quàm plurimis, ejusdem imitatione bellum Paganis indicit. Variâ fortunâ per quadriennium hinc inde pugnatum, meliore ſemper ſucceſſu Helvetiorum, qui ferarum latibula innumera (ſic enim Arces vocabant) expugnârunt, vaſtârunt, incenderunt. Civitates tandem Imperii, pacis ſeptennalis authores fuêre, quâ Solodurum Helvetiorum fœderi acceſſit, anno Sal. 1389. eadémque pòſt in quinquaginta annos confirmata. Concilium interea Conſtantienſe Fridericum Auſtriacum, propterea quòd Epiſcopos quosdam in vincula conjecerat, & Iohannem XXIII. Pontificatu dejectum, contra datam fidem, Conſtantia profugientem adjuverat, anathemate perſtringit: Sigismundus Imp. Helvetios ad occupandas vicinas regiones hortatur, & quodammodo cogit, diplomate etiam teſtatus, quicquid contra hæreticum hominem juſſu Concilii egiſſent, id ſanctum, inviolatúmque fore, neque paci L. annorum cum Auſtriacis paulò antè initæ obfuturum: addidit & ſtipendium, & quicquid eo bello occupaturi eſſent, præcedentibúsve cepiſſent, id ut bonorum caſtrenſium loco perpetuò haberent. Itaque Argoviam & Tauracum pagum 1415. volente Jubente,

adju-

adjuvante, confirmante Imp. & Concilio, invaſerunt, occupâruntque. Anno 1468. ob temerè laceſſitos Schafhuſianos confœderatos ſuos, Waldeshutam obſidebant Helvetii. Sigismundus Auſtriacus, in pacis formula à Principe Bavaro conſcripta, in expenſas damnatus, quando apertè non poterat, occulta ratione Helvetios lædere parabat. Carolo Burgundo oppignorat ditiones ſuas Helvetiis propinquas. Is Petrum Hagenbachium illis præficit, crudeliſſimum tyrannum, & Helvetiorum acerbiſſimum hoſtem. Ludovicus XI. Gallorum rex ea occaſione captata, Helvetiorum amicitiam ambit, hoc veluti fræno Burgundum ſeſe in officio retinere poſſe ſperans. Sigismundum Burgundi libidine offenſum pœnitebat cæpti. Itaque Galli interceſſione cum Helvetiis contra Burgundum fœdus init. Abſente in Germania inferiore Carolo, Hagenbachium Briſacenſes, apud quos degebat, in vincula conijciunt, & accuſantibus Helvetiis ſecuri percutiunt. Fridericus III. Imp. Helvetios Burgundiam invadere jubet: ipſe inſtructo exercitu Nuſſiam à Carolo obſeſſam liberare contendit. Carolus cum Friderico paciſcitur, Maria filia Maximiliano filio deſponſata: neque verò in fœdere illo ullam Helvetiorum rationem habet. Carolus eo hoſte, quem periculoſiſſimum judicabat, liberatus, expulſo Lotharingiæ duce, Granceium ab Helvetiis occupatum proficiſcitur, ad 50000. expeditorum militum in exercitu habens. Helvetiorum quingentos arcem tuentes, deſperato ſuorum auxilio, impunitate promiſſa perfidè circumvenit. Helvetii ad XX. millia ſupervenientes, caſtris ducem exuunt, ſupra CM. aureorum prædam obtinent, deſtituti equitatu, victoriam perſequi nequeunt. Anno ſequente, qui fuit 1476. recollectis viribus C. millia in exercitu trahens, Moratam Carolus obſidet. Diviſerat ille exercitum. Helvetii caſtra ducis aggrediuntur, imparatos fundunt, XX. millia cædunt, X. millia in lacu vicino ſubmergunt. Renatus interea Lotharingiæ dux exul, auxiliis Germanorum corrogatis, regiones ſuas recuperat. Carolus XL. millibus Lotharingiam

 recipit,

recipit, Nanceio excepto. Renatus Helvetiorum auxilia implorat, XIII. millia obtinet. Hi ſexto die ad Nanceium anno 1477. Burgundi caſtra, diverſa quàm ille expectarat parte invadunt, Carolum cum ſeptem millibus ſuorum obtruncant, bellóque Burgundico, reſtituta Renato Lotharingia, finem imponunt, Ludovico XI. Burgundiam, tanquam feudum olim ducibus conceſſam, certo auri pondere, fruſtrà licèt Helvetios liberatores appellantibus Burgundis, concedunt. Anno 1481. Solodurum & Friburgum in confœderatorum claſſem recipiuntur. Virtutis comes perpetuus invidia. Nam ſeptennnio pòſt Fridericus III. ſpe ſua Helvetios alienis domandi viribus non ſemel fruſtratus, Suevici fœderis inter Principes & civitates Imperii anno 1488. authòr fuit, ſpecie quidem in commodum Germaniæ, revera autem, ut hoc veluti propugnaculo Helvetiorum frenaret potentiam. Moritur interea, & ut regnorum ſic odii ſucceſſorem relinquit filium Maximilianum. Is fœdus Suevicum decennio pòſt confirmavit. Animis paratis occaſio tantùm deerat. Ea autem oblata eſt ampliſſima, poſteaquam Rhæti Helvetiorum fœderi certis conditionibus acceſsêre. Maximilianus Curiam Rhætorum ſui juris eſſe dictitans, exercitum contra illos duxit. Rhæti Helvetios implorant: illè Suevicum fœdus appellat. Variis in locis Maximilianus Helvetios adoriri ſtatuerat, ut diſtractis viribus faciliùs conficerentur. Anno igitur 1499. ſexto Feb. crudele bellum cæpit, quod Suevici fœderis vocant, Helvetium cæteri, inſignibus victoriis nobile, quando octies aperto Marte victores evasêre Helvetii. Apud Rhætos ad montem S. Lucii primus conflictus, alter ad Treiſam. Tertius Hardæ ad lacum Acronium, quinque millibus Germanorum cæſis. Quartus propè Baſileam, ubi mille Helvetios prædæ cauſa in Alſatiam proficiſcentes, Fridericus Caplerus, dux Imperatorius, octo millia in exercitu habens, aggreſſus, ſexcentis ſuorum amiſſis, turpi fuga abiit, unico tantùm Helvetio cæſo, ſed vulneratis compluribus. Propè Conſtantiam quintus. In pago Ermatinga præſidiarios

diarios CCCC.ſecurè agentes Suevi per noctem trucidârant. Helvetii ſuorum clade cognita, repentè convolant, & in vicina ſylva Suaderloca, ex inſidiis victores Conſtantiam repetentes fundunt, fugántque. Eodem die præda omnis cum auctario recepta, ex octo millibus MMD. cæſi: reliqui in lacu ſubmerſi. Sextus apud Rhætos propè Raſtenzam, in Valgavia. Septem millia Helvetiorum, XV. millia Suevorum fugant, tria millia occidunt, plurimos in Ila fluvio demergunt, tormentorum ſupra D. capiunt. Henr. Vollebius Vrienſis à tergo circumductis bis mille ſuorum, montem occupavit, & victoriæ tam memorabilis author pro patria occubuit. Septimus apud Vennones in campis Malſiis. Ex octo millibus Suevorum quatuor millia cæſa à Rhætis eodem ſtratagemate, quo priùs: in Atheſi ſubmerſi plurimi. Rhæti ſupra ducentos è ſuis deſiderârunt. Maximilianus ignaviam ſuorum deteſtatus, ipſe præſens bellum adminiſtrare voluit. Conſtantiam venit, Helvetios uno eodémque die D. Margaritæ ſacro, tribus locis aggrediendi conſilium capit. Ipſe cùm Germanici imperii ſignis Conſtantia egreſſus, ubi ſuorum timidas ſententias in aggrediendis Helvetiis, qui Suaderlocam occupabant, cognovit, re infecta properè diſceſſit. Interea Rhenani populi propè Baſileam arcem Dornacum Solodurenſibus parentem oppugnaturi, venerant. Solodurenſes MD. ſilentio in vicinum montem proficiſcuntur. Commodum D. Tigurini accedunt. Caſtrametantes hoſtes, & nihil minùs quàm Helvetios adeſſe putantes (cùm omnes illorum vires Suaderlocæ coactas crederent) ex improviſo aggrediuntur, primos fundunt. Cæteri acie repentè, ut in eo terrore poterat, inſtructa, Helvetiis acriter reſiſtunt, eóſque ſuo equitatu circundant. Vigente prælio, mille Lucernates & Tugini ſuperveniunt, ſuóque clamore hoſtes ita terrent, ut ex XV. millibus tria millia ceciderint, plurimi in Byrſa amne vicino perierint. Helvetii centum ſuorum amiſſis, prædáque opulenta parta, nuſpiam ſe toto eo bello acriùs reſiſtentes hoſtes nactos liberè ſunt faſſi. Tandem de-

feſſi tot cladibus, Imperiales potiùs, quàm mitigati aut exhauſti, pacis cum invicto populo ineundæ conſilia amplecti cæpêre. Baſileæ igitur eodem anno, quo cæperat, 22. Septembris, bello Suevico finis impoſitus, cum ampliſſimo Helvetiæ virtutis teſtimonio, qui contra totius Imperii Germanici vires, pro aris & focis, octo menſium ſpacio octies cum hoſte potentiſſimo diverſis locis prælio depugnâſſent, nunquam victi eſſent, minimo ſuorum cum ſanguine, hoſtium uberrimo. Et hæc quidem pro libertate. Nam quæ pro duce Mediolanenſe, pro Gallorum Rege poſtea deſignârunt, magna quidem illa & æternitate digna facinora, hoc ipſo tamen minore digna commendatione, quòd baſim Helvetiæ libertatis *αὐτάρκειαν* labefactare ſunt viſa. Et hæc ex *Io. Stumpſii* Helvetia.

(*d*) Quis verò artes & dolos omnes recenſeat, qui Helvetiæ libertatem parturienti, parienti & foventi à trecentis annis ſunt ſtructi? Habuit 1. Tigurum ſuam lanienæ deſtinatam noctem, ubi an. Chr. 1350. multi Comites, Barones atque Nobiles nocte, quæ diem Matthiæ ſacrum præceſſit, exulum (de quibus *Simler*. lib. 1. p. 40.) opera, Tigurum proditione occupare conati ſunt. Verùm, re fruſtra tentata, multisque nocturno tumultu cæſis, Comes Toggius, navigio effugere tentans, Limago ſuffocatur: magnus nobilium numerus captus: nonnulli truncati capite, cæteri ad rotam damnati, ſolus Habſpurgius & Bonſtettanus Baro capti in vincula conjiciuntur. Easdem inſidias Lucernenſibus paratas narrat *Simler*. lib. 1. pag. 29. 30. & Solodorenſibus. *Stettler*. an. Ch. 1380. pag. 87.

G. Eſſe Rempublicam, cui vel in peragendis, vel peractis rebus arduis, multum fuerit delatum.

Hinc reperias, I. Imperatores, Reges, Principes, Duces, vel Helvetiis ſe purgâſſe, & actionum ſuarum rationem reddidiſſe: Id Matth. Hungar. Regem feciſſe, ſuprà, pag. 171. monuimus: & in Sfortia Mediolani Duce, qui

D. de

D. de Merueilles, Legatum Gallicum è medio, an. Chr. 1533. ſuſtulit, obſervat *Stettler*. vel rerum feliciter geſtarum eos certiores reddiderunt; Sic Carolus V. magna in Africa potitus victoria, conſcios eſſe voluit Helvetios; *Stettler*. an. Ch. 1535.

II. Imperatores & Pontifices non ſemel eos, quibus aqua & igni interdictum erat, Helvetiis, expugnandos & in ordinem redigendos tradidiſſe. Exemplum habemus A. In *Friderico*, de quo *Fab. Annal. Suev*. p. 180. *Anno Domini MCCCCXIV. convocatum fuit magnum Concilium ad Conſtantiam, propter maximum ſchiſma in Eccleſia: quia erant tres Papæ, & omnes tres citati fuerunt ad Concilium. Noluit autem Papa ille, qui reſidebat Romæ, Iohannes XXIII. dictus venire, niſi Dux Auſtriæ Fridericus, filius Lupoldi, Dominus Athiſi eum aſſecuraret, & ſecurè eum Conſtantiam ducere, & educere promitteret. Cùm autem ductu Friderici Ducis Conſtantiam veniſſet, ſubmiſit ſe Concilio, & humiliter juravit ſtare. Sed Diabolo incitante eum, ſecretè requiſivit ſuum ductorem Dominum Fridericum Ducem Auſtriæ, ut ſe educeret clandeſtinè, quia rigorem Concilii ſuſtinere non poſſet, nec vellet. Grave autem fuit Domino Friderico facere & educere eum contra Concilium: grave etiam ſibi videbatur non tenere juramentum, quod præſtiterat Iohanni de ſecura ductione. In his autem uſus conſilio Domini Moguntini Archiepiſcopi accepit ſiniſtrum Conſilium, quia prædictus Moguntinus tunc cum Imperatore diſcors erat, & ideò malum conſilium dedit, ut potius fidem Iohanni ſervaret, & ſui in hoc honori conſuleret, quàm obedientiam Concilio & fidelitatem Eccleſiæ. Quadam ergò nocte, ductu Friderici, aſcendit Iohannes Papa naviculam cum paucis, & in civitatem Schafhauſen per Rhenum feſtinè trajectus à Friderico Duce Auſtriæ ibi ſervatus eſt, de cujus receſſu magnus planctus & miſerabile lamentum in Concilio fuit propter Eccleſiæ periculum, non tamen ideò fuit diſſolutum. In iſta turbatione commotus Imperator Sigiſmundus, & omnes ibi congregati, contra Domi-*

num Fridericum Ducem Auſtriæ Svvitenſes advocaverunt, & eis auctoritate Concilii in pœnam Friderici totam regionem Argovviæ, cum omnibus oppidis, caſtris, & villis dederunt, imperantes eis vi armorum omnia illa capere. Et *Henricus Schvvitzerus*, Chronol. Helv. p. 82. Papa Iohannes 23. opera Friderici Auſtrii de Synodo Conſtantienſi ſubducitur. Itaque Imperator Friderico bellum infert, & Scaphuſium occupat, dato privilegio, ne unquam poſtea ab Imperio alienetur. Præterea Vitodurum, Dieſſenhofium, Frawenfeldam cum omni comitatu Turgojæ in fidem Imperii recipit. Simili modo provinciam liberam, ultra Alpem montem capit, & Tigurinis eam in perpetuum Feudum concedit. Præterea hortantur Helvetios, Generalis Concilii Patres ad Auſtrium bello proſequendum, nulla pacis ad annos 50. facta, ratione habita. Moti itaque Tigurini authoritate Patrum Concilii Dieticonam & Mellingam occupant, junctisque copiis Lucernatum, Suitenſium & Tuginorum, Bremogartum, & Surſeam capiunt, poſtea Badam obſident. Interea Suitenſes Advocatiam Eremitanam B. Virginis invadunt, & Bernates, auxilio Salodorenſium & Bipennatum Ergoviam deditione capiunt, & arcem Halluilanam comburunt, ob acceptum ab Wildecco, eo bello, damnum. Confer Herol. *Graſſer*. p. 92. & *Stettler*. an. Ch. 1415.

B. *Sigiſmundo*, propter captum Cuſanum Cardinalem, de quo *Idem Fel. Fab.* pag. 192. *Pius I V. Suiceris auctoritate Apoſtolica poteſtatem dedit, undique invadendi terras ejus, pro eo quia Dominum Iohannem de Cuſa Cardinalem captivaverat; propter quod multa ſuſtinuit Dux ille, quia ipſe cum tota terra ſua interdictus fuerat.* A pietate Ducem author commendat, qui tamen, ut alibi audiemus, Papæ & familiaribus ejus ſe maſculè oppoſuit.

III. Franciſcus Galliarum Rex, cùm Imperii axioma ambiret, per Helvetios commendari petit Electoribus. Rem totam, quâ nationis integritatem Hiſtoricus commendat, enarrat *Sleid.* l. 1. Coment. p. 8. his verbis:

Superatis

Superatis Helvetiis (ad Marignanum) Galliæ Rex Inſubriam tenebat, ſed quod ad ſui regni ſalutem propè neceſſariam eſſe duceret Helvetiorum amicitiam, magnis jacturis & pollicitationibus eam anno ſequenti redemit. Nunc ergò cùm in hunc caſum res deveniſſet, à morte Maximiliani, miſſis ad ipſos legatis, quamobrem cupiat deſignari Cæſar, exponit, ac ſimul petit, ut ſuam cauſam apud Electores adjuvent. Illi, quo tempore amicitiam cum eo pepegiſſent, Eccleſiam Romanam & Imperium ſeſe dicunt excepiſſe: ad Imperii verò Majeſtatem pertinere, ut ſint Electorum liberrima ſuffragia: non ergò ſibi licere, libertatem hanc ulla ſignificatione ſuæ voluntatis impedire. Sic dimiſſis legatis, dant literas ad ſeptem viros, & quid ille cupiat, quid etiam ipſi reſponderint, exponunt, & ne rationem ejus habeant. Sed Germanum aliquem Principem eligant, hortantur, & de ſua voluntate prolixè pollicentur. Sed & Leoni decimo ſcribunt, & quoniam ſit ipſius inaugurare & confirmare deſignatum Cæſarem, petunt, eò totus incumbat, ne munus hoc ad externum aliquem Principem deferatur. Ad hæc ille, audire ſe, quendam ad hunc honorem aſpirare, cui per leges non liceat: nam Reges Neapolitanos eſſe Pontificis Romani beneficiarios, & fide data jam olim ſic eſſe pactum, ne Romanum Imperium appetant, ſed ut alterutro ſint contenti, hujus etiam rei ſe commonefeciſſe jam Principes Electores. Hac Oratione deſignabat Carolum Auſtriacum: poſt devictos enim Helvetios ab Rege, quod fuit anno ſalutis humanæ M D XV. Idib. Septemb. & abductum in Galliam Maximilianum Sfortiam Principem, Leo Pontifex, fortunam ſecutus, Decembri Menſe Bononiam venerat, & ibi cum Franciſco Rege victore diu multúmque collocutus, amicitiam firmaverat: & hæc quidem cauſa fuit inter alias, quamobrem in ipſius partes magis jam inclinaret. Rem paulò fuſiùs tradit *Bzov.* anno Ch. 1530. S. 6. 7. Confer *Guicciard.* lib. 13. p. 290. *Stettler.* lib. 11. pag. 580. b. ubi duæ hac de re ſcriptæ Epiſtolæ familiares occurrunt, quarum altera colloquium Helvetii cum Galliarum Rege continet. IV. In

IV. In bello ſacro vel continuando vel impediendo quid Helvetiorum virtuti non fuit tributum? Cùm an. Chr. 1500. Maximilianus Cæſar fœdus hæreditarium cum Tigurinis, Bernatibus, Vriis & Subſylvanis redintegrâſſet, ſcripſit paulò pòſt, an. Ch. 1507. *Henricus Bebelius*, Iuſtingenſis, cohortationem atque congratulationem ad Helvetios, ubi in ipſo ſtatim limine ſequentia extant verba: *Poſtquam nuper acceperam Conſtantiæ, viri Helvetiæ fortes & bellatores incl3ti, vos communi conſenſu, paribusq; ſtudiis & voluntate, rediiſſe in corpus Sacri Imperii, in gratiamq; cum Rege Maximiliano, Cæſare ſemper-Auguſto, ejusq; & Imperii partes adjutare paratos, incredibile dictu eſt, quanto afficiebar gaudio, & quaſi geſtiendo lætatus, quòd eam rem, & vobis, & Germaniæ, Sacróque Imperio, & præcipuè fidei Chriſtianæ honori, utilitatiq; futuram augurabar. Gratulabar autem inprimis Germaniæ noſtræ, Sacroq; Imperio: quia vix fieri poſſe videbam, ut ea, quæ ſunt Cæſaris, in exteris regionibus nobis & Imperio poſſimus vindicare ab occupatoribus & rebellione: quoniam quamdiu vos ipſi Imperii membrum, in ipſáque Germania nati & ſiti eſtis, dubia in nos fide, totisq; viribus Francigenas Germanis veteres hoſtes adjutatis, eorúmque militiam ſtipatis; quî fieri poſſet, ut & vos, domi fortes, & non contemnendos: Foris autem & vos, & Italiam, & Regem Francigenam potentiſſimum, facilè debellare poſſemus? Quare plus quàm dici poteſt lætabar. Quod ſi vos unicos non habuerimus hoſtes & adverſos, vobiſcum vel ſine vobis nihil erit in toto orbe, quod timeamus, parati pugnare cum quovis Italo, vel Franco, qui, ſine vobis, ne vultus quidem noſtros audenter aſpicere audent, nec detrectabimus prælium cum Turcis. Sed crede mihi, priusquam ad corpus & gratiam Imperii redieritis, nulla expeditio ſperanda eſt, aut fieri poteſt in Turcas.* Et Cap. 4. *Quòd ſi Helvetii noſtri cum Imperio ſentirent, & non adverſam partem foverent, nihil nobis obſtare poſſet, ne alpes quidem inacceſſa, aut ulla maria. Sed Deorum immortalium fortaſse ira*

contingit, nunquam nobis eſſe concordes. Clariùs idem apud *Bzov.* verbis teſtantur Legati Sigiſmundi an. Chr. 1459. S. 14. *Inter hæc & Legati Sigiſmundi Auſtriæ Ducis Pontificem adière, qui Suizzeros propediem in armis dixerunt futuros, Auſtrialémque domum bello aggreſſuros. Id ſi fieret, magnam Germaniæ partem vexatum iri, cunctóſque Præſulis cogitatus adverſus Turcas eo pacto perituros fore. Itaque ſuis non fidens viribus, ad Pontificem, qui bellum interciperet, oratum miſit. Pius autem id minimè negligendum ratus, Notarium ſuum Stephanum Nordinum, egregia virtute virum, quem poſtea Mediolanenſi præfecit Eccleſiæ, ut tantum incendium reſtingueret, in Germaniam miſit.* Quid? quòd Pontifices & Concilia expeditionem Palæſtinam ſuſceptura, curas ſuas ipſis ſine mora aperuerunt Helvetiis? Habeo apographum literarum Concilii Piſani (quod Mediolanum poſtea translatum eſt) an. Ch. 1512. habiti, hujuscemodi. Sacro-Sancta generalis Synodus Piſana, in Spiritu Sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, univerſalem Eccleſiam repræſentans, ac Mediolanum per continuationem, ad tempus translata, dilectis Eccleſiæ filiis, Magiſtris Civium, Scultetis, Conſulibus, & Vniverſitati hominum duodecim Partium magnæ ligæ Superioris Alemanniæ, ſalutem & Omnipotentis DEI benedictionem. Quum tribus præcipuè cauſis nos Dominus congregaverit, exſtirpandarum videlicet hæreſium, & errorum gratia, reformandæ univerſalis Eccleſiæ, quæ in capite, & in membris morbo non mediocri laborat, & pacis Chriſtianorum efficaciter diſponendæ: quæ nonnullorum perfidia maximè turbata cernitur, & belli contra inimicos crucis, pro recuperatione quatuor Patriarchalium Eccleſiarum, quæ Chriſtianorum ignaviâ & diſcordiâ à Turcis & Agarenis, magno cum noſtro dedecore occupantur; ſolidè perſuadendi & inferendi. Quumque ob dictas cauſas in omni humilitate, ſanctiſſimo Domino Papæ ſupplicaverimus, rogaverimúſque alios Chriſtianos Principes, & apud omnes omnem operam noſtram navaverimus

pro

pro hac ſancta intentione noſtra,immo Dei in Concilio (prout juris eſt) perficienda,Voſque,dilecti Filii,& univerſa natio veſtra inter Chriſtianos non minus conſilio,quàm armis valeatis.Cogitavimus iſta Vobis ſignificare; ſed cùm præteritis diebus eſſetis diverſis bellis impliciti, non potuerunt illa Vobis nunciari: Nunc autem, ut fines iſtius ſacratiſſimæ Synodi aſſequi poſſimus,ſummoperè optamus,Vos huic Sancto operi noſtro favere,ac rem Dei conſilio & viribus veſtris juvare. Ob quæ,Pontificium oſtenſorem, ad Vos expeditum mittimus, & per illum, quamvis non multum neceſſarium credamus,ad majorem tamen ſecuritatis mittendorum noſtrorum oratorum abundantiam, hortamur, & rogamus, velitis ſalvum conductum nobis liberum remittere, pro oratoribus noſtris iſtuc mittendis,cum omni eorum comitiva,à quibus latiùs intelligetis juſtas & perneceſſarias cauſas congregationis noſtræ Synodi ex Conſtantienſi & Baſileenſi Conciliis ſacratiſſimis dependentes. Quæ Concilia præ cæteris inclyta natio veſtra, & Vos ipſi Domini Confœderati, quod Baſilea veſtra ſit,& dioeceſeως Conſtantienſis ſimiliter magna portio Vobis obediat,tutari & defendere tenemini. Pro quibus ſervandis in Domino viriliter certamus, & uſque ad mortem decertaturi ſumus,ut videlicet ritus ſacrorum Conciliorum, quo Fides fundata,& Eccleſia purgata eſt,non aboleatur. Ab eis ergò, quæ pro hac Reformationę Eccleſiæ & univerſali pace ad effectum expeditionis generalis,contra infideles,firmanda nobis occurrunt, ac mentem, & animum noſtrum bonum erga Vos cognoſcetis: & ubi poterimus ad omnem honorem & commodum veſtrum erimus ſemper parati. Datum Mediolani in generali congregatione noſtra die 20.Ianuarii, M D XII. Imperatores Pontifices,Reges quoties Helvetios monuerunt,ut,avitæ virtutis memores, ſuas maximè contra Turcas exercerent vires? Extant hac de re monita 1. Maximiliani Romanorum Regis,ex primis Comitiis ejus Wormatię 1495.habitis; *Stettler*.p.323. Id quod initio ſeculi XVI.repetiit,literis

Oeno-

Oenoponti datis anno Chriſti 1502. & Carolus V. anno Chr. 1532. *Stettl.* 2. Statuum Imperii, qui contra Turcas Hungariâ expellendos, petunt ſubſidia per Legatos anno Ch. 1481. *Id.* pag. 281. 3. Regis Galliarum, qui prætextu expeditionis ſacræ militem ab Helvetiis extorquere conabatur; an. Ch. 1500. *Id.* pag. 367. 4. Pontificum Romanorum, Leonis maxime an. Ch. 1517. *Id.* pag. 568. 569. & an. Chr. 1518. p. 576. & Clementis VII. an. Ch. 1532. *Id.* P. II. pag. 57.

V. Si quæ alia, graviſſima etiam, fuerunt gerenda bella, ſuis quiſque partibus optime conſultum arbitrabatur, ſi de Helvetio milite eſſet certus. Eum flagitabant, vel, invito Magiſtratu conſcribebant, 1. Sigismundus, Archidux Auſtriæ, qui a. Ch. 1487. à Tigurinis 200. *Schvvizer.* à Rhætis item & Turgojanis non contemnendas obtinuit ſuppetias, quarum etiam opera Veneti, cæſis 5000. erant victi: *Stettler.* lib. 7. p. 298. 2. Imperator Fridericus an. Ch. 1489. contra Matthiam Hungariæ Regem mitti ſibi voluit 1500. ſtipendiarios ex Helvetia: quos tamen, ne Matthiam, fœdere ſibi junctum læderent, non impetravit. *Stettler.* p. 203. 3. Carolus Galliæ Rex, contra Romanorum Regem ſuppetias petit anno eodem: ſed irrito conatu. Nolebant enim Helvetii male hinc inde à Gallis habiti, conſentire; *Ibid.* 4. Renatus, Lotharingiæ Dux, an. Chr. 1490. *Id.* pag. 316. 5. Maximilianus Imperator 6000. Helvetios concedi voluit a. Ch. 1492. *Id.* p. 319. & a. Ch. 1497. 1504. 1505. 1506. 1507. 1511. 6. Ludovicus Inſubium Dux, qui an. Chr. 1500. 5000. Helvetiorum, contra Magiſtratuum edicta, conſcripſit: Schwizer. 7. Marchio Brandenburgenſis bellum cum Norimbergenſibus geſſit, cui 200. Helvetii ſtipendia faciebant, quorum ope, pugna commiſſa, victor evaſit; *Ibid.* 8. Rupertus Palatinus Bavarum oppugnaturus, ab Helvetiis aliquoties per D. Laurentium Wiſsbergerum Canonicum Tigurinum militem ſolicitavit: Et quibus cum venia militare non licuerat, injuſſu Magiſtratus merebant. Ducebat

bat eos (numero erant 400.) Bernhardus Knöringen; *Id.*382.

VI. Clerus etiam, Monachi præſertim, Helvetiorum magnam eſſe authoritatem, qua turpiter conabantur abuti, non ignorârunt. Cur Bernæ Dominicani tragædiam ſuam an. Chr. 1507. agere voluerint, diſcimus non ex *Stettlero* tantùm lib. 8. pag. 389. ſed &, totidem penè verbis, ex libello an. Chr. 1509. ea de re edito, ubi inter alia: *Bernam tandem elegerunt, utpote civitatem ſimplicem, ruſticam & indoctam; ſed pugnacem, bellicoſam & potentem. Simplicem ob id elegerunt, ne fraus & deceptio providentiâ doctâ perderetur: Potentem tamen, ut, ſi perſuaſi fuiſſent, negotio credentes, ſua potentia eſſent opinionis teſtimonium defenſuri. Bernenſes eſſe potentes, non ambigimus; eſſe tamen & credere ſimplices, ſine cachinno neque recitamus: quare longè aliter de ipſis ſentiendum erat.* Sed de his alibi.

G. Eſſe Rempublicam [a] liberam: unde & Legationes Helvetiorum; quæ [b] certiſſimi Reipublicæ ſunt characteres; tanquam [c] abſolutorum ad abſolutos, honorificè, ut [d] plurimùm, fuerunt exceptæ [e] atque dimiſſæ.

(*a*) Vide ſuprà, pag. 170.

(*b*) Ita enim *Beſoldus*, diſſert. Polit. Iurid. de Leg. pag. 42. Legatos mittere poſſunt ii ſolùm, qui poteſtatem Reipub. ſummam habent. Et inde jurib. Majeſtatis accenſetur, cum exteris agere per Legatos, eóſque recipere, Ego, *lib. 1. politicor. cap. 4. num. 29.* Et proinde hoc nemini ſubditorum eſt conceſſum: nec mittere ſubditi legatos, in conſulto Principe ſuo ad alium poſſunt, in cauſa, quæ jus publicum attingat. Nam, cùm Princeps rerum privatarum Dominus non ſit, nuncios earum reſpectu rectè mittunt, recipiúntque privati: Videmus namque paſſim cum alienis hominibus contrahere

here principes, & peragere omne genus privatorum negociorum. Albericus Gentilis, *l.2.c.1.f.mihi 95.* quod tamen etiam prohibere & reſtringere, juſta ex cauſa ipſe Princeps poteſt, vel ſi quis alius ſit ſupremus Magiſtratus natus. Hi ergò duntaxat jus liberæ legationis habent, qui ex bona ſententia & arbitrio vivunt: ut non aliud inſignius libertatis ſymbolum (NB) haberi poſſit, quàm jus Legationis. Quòd ideò illi ſolùm habent, qui ex ſeſe, non ex alterius imperio pendent, quique nullo fidelitatis ſacramento ſunt obſtricti. At refert Franciſcus *le Vayr, cap.7.* Romanos honorarios arbitros conſtitutos, contra fas & jus, Lacedæmoniis jus Legatorum conceſſiſſe: cùm tum fuerint ſubditi Achæorum. Et Achæis, eosdem Romanos, refragantibus Ætolis permiſiſſe jus per ſe, & ſine Achæorum venia Legatos Romam mittendi; omnia eo fine, ut Græcos à Græcis diſtraherent, Achæorum intentas vires infringerent, & ſibi in Græciam, ſub ſpecie & prætextu Legationis patefacere aditum poſſent. Romanos enim nunquam ſubditis bello victis, jus Legationis indulſiſſe, aut eorum ſelectos, Legatorum inſtar habuiſſe. Victis quoties dantur Leges pacis, & interim induciæ, ſæpe imperatur, ne quoquam Legatos mittant. Si quid eos venerint, ne eos priùs dimittant, quàm à victore viſi, auditique ſint: & tale fuit imperatum Scipionis, poſt Annibalem à ſe devictum. Paſchalius, *hic, cap.13. ad fin.* Narrat item Livius, *lib.44.* Caduceatores Perſei retentos à Publio Æmilio, ad quem ille legaret. Victus nempe erat Perſeus, totóque exutus regno, & ideò inpertinenter jura Regum voluit uſurpare. Sicque idem ille Romanus, nec literas dignatus Perſei eſt, in quibus is ſe Regem nominabat, ac eo propterea titulo abſtinuit mox. Albericus Gentilis, *l.2.c.1.fol.93.* Sic & olim quidam Legatis Iohannis Weivode Hungariæ Regis audientia publicè conceſſa fuit: ſed cùm dicerent initio ſuæ Legationis, ſe miſſos fuiſſe à Iohanne Pannoniæ Rege, minimè ſunt auditi. Natalis Comes, *hiſtor. lib. 12. fol. mihi 258.* Sic Eliſabetha, Angliæ Regina, Chriſtophorum Aſſonvi-

lium ab Albæ Duce ad ſe miſſum, quòd nullas à Rege ipſo literas haberet, non admiſit. Coneſtag 3. *de bell. Belgic.* Cùm nobiles Genuenſes ad Philippum Hiſpaniæ Regem Stephanum Marium, & Bartholomęum Comellinum miſiſſent; Talicarnes, contrariæ factionis, in Rep. Genuenſi, interceſſit, hominésq; privatos, Oratores mittere non poſſe, dicens. Stephanus Poloniæ Rex Gedanenſium Legatos, ad ſe miſſos, in cuſtodiam tradidit. Philippus Hiſpaniæ Rex dubitavit, an Epiſcopum Conimonicenſem ab ordinibus Luſitanicis ablegatum admitteret; quòd illi ſubjecti ſui eſſent. Coneſtag, 4. *de conjunct. Portugal.* Quæ omnia ſunt apud Thuanum.

(*c*) Id quod probè obſervandum. *Beſold.* loc. cit. p. 15. Dixi, Legatos à Principibus abſolutis mitti ad abſolutos: quæ nota, quàm plurimos, à noſtra materia ſejungit. Fiunt enim & officii cauſa Legationes, quales ſunt, quæ ad Imperatorem ac Pontificem quotidie fermè ſolent. Sed hi propriè non veniunt titulo Legati noſtri, cùm non à pari ad parem, ſed in ſignum ſubjectionis mittantur. Sic Legati Provinciales, de quibus tituli Digeſtorum & Codicis, *de Legationibus* magna ex parte loquuntur; non hûc ſpectant: Initio enim Legatio tale munus eſt, quo funguntur, qui à Republ. ſua, ad Principem ablegantur, negocii publici causâ. Hisque hodierni Deputati æquiparantur, qui à ſtatibus ad Comitia, tam Imperialia, quàm Circularia, aut etiam Provincialia, auf die Reychs-Craiß-vnd Landtäge deſtinantur & mittuntur: eósque paſſim Nuncios adpellat Aurea Bulla. Et cùm Politici Germanorum intelligerent, differentiam eſſe inter Legatos & ablegatos, ſive Selectos, & Deputatos, Legatos propriè appellat die Geſandten. Et refert Kirchnerus, lib. 1. cap. 1. num. 20. ab Imperii metatoribus, von den Reychs-Furierern / in Comitiis id obſervari, in deſignationibus hoſpitiorum, &, verbi gratiâ, Legato Hiſpaniarum Regis, inſcriptum in foribus titulum eſſe: Königlicher würde auß Spanien Geſandte. Aliis verò Imperii Principibus: Churfürſtliche / Fürſtliche / ꝛc. Abgeſandte. Neque ita quotquot mittuntur,

tur,ut de rebus ad Rempublicam pertinentibus tractent, Legati exiſtunt, Legatorúmve obtinent Privilegia, atque dignitatem, Franciſcus *le Vayr, cap.7. à principib.* Et hinc aliquando cùm coloni jus ſibi ſumerent Legatorum ad Romanos mittendorum, Legati retenti interdum, quandóque etiam expulſi quaſi ex urbe fuerunt. Albericus Gentilis, *hîc, lib.2. cap.*40. *à principib.* ut ſuo loco pluribus dicam.

Viciſſim etiam Commiſſarii, quos Princeps ad ſubditos mittit, haud rectè Legati nominantur. Katman, *hîc, cap.*1. *num.*4. ſicque mittuntur Legati ad parem, Deputati ad ſuperiorem, Commiſſarii ad inferiorem, ſubditum. Quin & Legati propriè non ſunt, qui a Regibus vel Rebuspublicis abſolutis mittuntur ad Germaniæ, vel Italiæ Duces. Nam, ut Paſchalius *hîc* notat, *cap.2. fol.9.* cum iſtis vix Imperatoria & Regia Majeſtas quicquam agit eorum operâ, quos vocamus Legatos; ſed per Nuncios, ſi rem ac munus ſpectes, revera Legatos, ſi nomen ac dignitatem Legationis, minimè: niſi fortè iſti Duces ac Principes, quopiam conveniant, de graviſſimis rebus. Tunc enim non ad unum aliquem, ſed ad conventum tot Principum, mitti ſolent Legationes. Et addit: Chriſtianiſſimorum Regum (Galliæ ſcilicet) pervetuſtus mos eſt, ut ſuas Legationes, ad eos tantùm deſtinent, qui tituli dignitate ipſis æquantur: quales ſunt Reges & Imperator, exceptis Rebuspublicis quibusdam, Venetâ ſcilicet, (NB) Helveticâ, Rhæticâ, &c. Ad eos, qui vocantur Archiduces aut Majores Duces, vix unquam: utpote Majeſtate impares, & gradu inferiores. Itaque nec iſtos nuncios, quamvis à tanto Rege miſſos, eâ incedere pompâ & comitatu, quâ ſolent illi, qui ſunt circumfuſi ſplendore Legationis, & quibus vulgò nomen tribuitur Ambaſſiatoris, ſic pariter non Legationes propriè ſunt, quæ ſive à Præfecto conterminæ Regionis, ad Regem finitimum, ſive ab ipſo Rege ad finitimum Præfectum mittuntur: ſuper communibus negociis, ſcilicet quæ pertinent ad utramque jurisdictionem. Haſque eas eſſe putat Paſchalius *cap.13. mihi*

 *fol.*53.

*fol.*53.quæ ſequentibus ſeculis,dictæ fuerunt parvæ Legationes. Perinde ac ſi non impleant numeros juſtæ Legationis: ſed ſolùm ex aliqua parte referant Legationem. Ejúſque generis dici poſſe autumant idem, omnes illas,quæ non commeant inter ſummi faſtigii, culminisque poteſtates: quaſi non omnimodæ Leganes,ſed exſcriptæ & effigiatæ.

(*d*) Neque enim negare poſſumus,quin ab iis etiam, de quibus natio Helvetica optimè erat merita,indignè nonnunquam fuerint Legati noſtri tractati. Exemplum habet *Stettler*.an.Ch.1515.pag.526.

(*e*) Quàm enim ſplendidè Helvetiorum Legatos (ut cætera omittam) excepit poſt devictum Carolum Burgundum Ludovicus, Galliarum Rex? *Stettler*.anno Ch.1476.pag.264. Veneti, an.Chr.1512. *Id*. pag. 457. 470. Papa Iulius II. an.Chr. eodem; pag. 469. Carolus Sabaudiæ Dux an.Chr.1521. *Id*.pag.613. De Legatorum reciprocatione, ne Soli lucem mutuare videar, multa facere verba nihil juvat. Anno Chr.1509.Papa, Imperator, Rex Galliarum, Veneti Legationibus militem Helveticum ſolicitè quærebant. *Stettler*. pag.434. Illuſtriſſimus autem & memorabilis valde hoc nomine fuit annus 1512.ubi Tiguri,Lucernæ,Badæ ſuos habuerunt Legatos Pontifex Romanus Iulius II.Maximilianus Imperator, Ludovicus Galliæ,Ferdinandu Hiſpaniæ,Henricus Angliæ Reges; Reſpublica Veneta,Ducatus Mediolanenſis, Carolus Dux Sabaudiæ,Renatus Lotharingus, Berneta Principiſſa Auriaca: *Stettler*. pag.462. Crebrius ſuam per Legatos cauſam egit in Helvetia Imperator; *Stettler*.1519. p.577. 1521.p.607. Burgundi an.Chr.1523. *Id*.pag.627. Pontifices, Galliarum Reges,Veneti ſuos ordinariè in Helvetia habent Legatos.

H. Reipublicæ Helveticæ amicitiam [a] Imperatores, [b] Reges, [c] Principes,aliásque [d] Reſpublicas; quin & [e] Concilia, [f] Ponti-

[f]Pontifices, [g]Cardinales, Epiſcopos, Abbates, non modò ambiviſſe; ſed etiam obtentam [h] magni feciſſe, ſoliciteq; aluiſſe.

(*a*) Illi præſertim, quos domus dedit Auſtriaca, cui à Sigiſmundi Archiducis tempore, 1. fœdus cum Helvetiis fuit hæreditarium, de quo *Simler*. l. 1. pag. 109. b. & *Guillim*. l. 5. c. 1. Sigiſmundum, *inquit hic*, Friderici f. Auſtriæ Ducem, anathemate percuſſerat Pius II. Pontif. Max. ann. Ch. 1460. Helvetiisque ſub eadem pœna, ut bello perſequerentur, mandaverat, feceruntque, & Turgoviæ Comitatum nobiliſſimum, quando in Helvetiæ finibus alia non habebat, primò occupârunt. Acceſſerunt aliæ cauſæ. Nobilitatis adverſus Mülhuſianos, & Schaffhuſianos inſolentiæ, & injuriæ. Ipſi cum nonnullis ex Helvetiorum Civitatibus fœdere & amicitia juncti. Vnde victricia arma per totam Alſatiam circumtulerunt, Principémq; obſeſſo Valdshuto oppido, ad eas quas vellent pacis conditiones adegerunt. Quare multò jam commotior, inſtigante maximè nobilitate, quæ omnia malebat, quàm ſe inultam in qua impar eſſe videretur, Comitatum Ferretenſem, & Rheni oppida, & quæcunque in Helvetiorum finibus tenebat, Carolo Burgundiæ Duci, cujus opes, bellique fama ante omnes principes ea tempeſtate florebat, pignori tradidit, pro certa auri ſumma, ratus pro Burgundi inſita ſuperbia, & dominandi cupiditate, crudelitatéque, ex Leodienſium excidio, toto orbe vulgata, facilè ut inter vicinos & ſui juris tenaces, rixas fore, & inde bella. Nec animi falſus eſt. Cùm enim Carolus Petrum ab Hagenbach Equitem, Præfectum earum regionum, & oppidorum conſtituiſſet, ea eſt, non jam ſolùm contra Helvetios, ſed in omnes ſubditos ſibi, tyrannide, & crudelitate uſus, ut Sigiſmundum optimum Principem, & qui Pater pauperum, viduarum, & pupillorum vulgò aliâs nominaretur, denique precibus, & lacrymis ſeſe tam iniquo imperio revindicaret, compulerint. Sed cùm redemtionis pretium, ex pactis conventis Baſileæ depoſuiſſet, pignore

re abſcedere tamen Burgundus negavit, bellumq; ultro minatus eſt. Et ad illum longè etiam Auſtriacus inferior. Vnde ſolicitatu maximè Ludovici XI. Galliæ Regis, qui Burgundum magnoperè exhorreſcebat, adeoq; in quoſcunque & quacunque de cauſa, dum in aliquos, ejus arma à ſuis cervicibus repelleret, nihil penſi habebat, de pace firma & fœdere inter Sigiſinundum & Helvetios agi ceptum eſt. Non quòd ſic quoque reſiſtere poſſe arbitraretur, ſed quòd Carolum ad Imperium Germanicum aſpirare nonnullos ex Italia Principes ad id favere, & auxilia oſtentare, Rex callidus non ignorabat. Ipſum interea aut Germanorum opibus ſubactum, detritúmque iri, aut ſi vincat, tamen aliò arma converſurum, nam & ſtatum Mediolanenſem jam ante animo conceperat, & denique forte, aut, fato periturum, interea procul à ſe & regni ſui finibus futurum. Sed ut faciliùs Helvetios Rex adduceret, qui non minùs Burgundum pertimeſcebant, Auſtriaci verò amicitiam & ſocietatem ut ſemper ſuſpectam: ſuam ob memoriam, acceptæ apud Baſileam cladis, & injuriæ, ut parum fidam repudiaturi videbantur, non ſolùm auxilia privatim, publiceq́ue ſe ſuppeditaturum, ſed penſiones exinde annuas daturum promiſit. Agitatum primò Baſileæ negotium, tum Conſtantiæ, Iodoco Sillinio præpoſito Beronenſi, qui inde laboris, & mercedis loco adminiſtrationem Epiſcopatus Gratianopolitani à Rege accepit, & Ioanne Comite ab Herbenſtein regiis conſiliariis, & legatis præſentibus, diu, & variè: donec tandem controverſiam omnem ſibi in manum dari, committique inſtantiſſimè Rex flagitaret, impetraretque: Ex ejus arbitrio fœdus in hanc formam conceptum: Pax & amicitia æterna eſſet: Commeatus & mercimonia tuta, & libera: Controverſias jure & judicio diſceptarent: Helvetii Sigiſmundo militem, ſi ex dignitate, & per antiqua fœdera poſſent, darent, eodem quo inter ſe utuntur ſtipendio, idem Sigiſmundus Helvetiis præſtaret. Multa præterea de reſtituendis Scripturis, Inſtrumentis, Protocolis, &c. quæ ad domum Auſtriacam pertinere poſſent:

ſent: de agrorum, Vrbium, caſtellorum, vicorum, uti tenerent, uſu, & poſſeſſione, de ſubditis in tutelam, amicitiam, fœdus non accipiendis: de hoſtibus neque hoſpitio, commeatu, non qua alia re juvandis: de portoriis, vectigalibus, feudis, abolitione & exſtirpatione omnium præteritarum inimicitiarum, bellorum, injuriarum, &c. quæ inter eos, aut majores eſſe potuerunt, abſque dolo malo, & omni exceptione, hiſce fœderis, & amicitiæ literis, quæ ſigillo regio confectæ, & Civitatum Tiguri, Bernæ, Lucernæ, Vraniæ, Suitiæ, Silvaniæ, Tugii, & Claronæ ſignis firmatæ. Salæ XI. Iunii A. D. N. CIↃ CCCCLXXIV. Iſta fuit regis Ludovici arbitratio, hæc prima fœderis hæreditarii formula. Cùm verò bis victo profligatoque Granſonii Muratique Helvetiorum opibus & virtute Carolo, demumque tertio prælio, apud Nancium Lotharingiæ interfecto, non ſolùm obligatas regiones, oppida, caſtra, nullo omninò ſui diſpendio, ſed etiam pignoris pecunias recepiſſet Sigiſmundus, jam in admirationem, amoremque gentis raptus cùm qui omnes Imperii Germanici vires antè contemſerat Galliæ Regem quaſi ex arbitrio tenebat, omnes Europæ Principes ſuſpenſas habebat, Helvetiorum ſingulari fortitudine & gloria victum, everſumque conſideraret, ſe, ſuaſque pariter opes in ſolido, eadem opera, collocatas, quod antè Ludovici Regis ſuaſu, ſponte ſua demum confirmare, arctiorique fœdere Helvetios ſibi adjungere conſtituit. Itaque conventu Tiguri habito Sigiſmundus, Civitateſque Tigurum, Berna, Lucerna, Vrania & Solodorum, cum auctoritate, reliquæ & ſi vellent pariter tenerentur, non ſolùm perpetuum fœdus antè factum rurſus innovarunt, ſed mutui auxilii ita leges ſanxerunt, ut exceptionem, niſi quantum antiquiora fœdera xemonent, nullam omnino admittant, adeoque quocunq; ſe deinceps partes fœdere, aut ſocietate nova obligent, hæc excipiant, & abſque ejus fraude ſint oporteat, decreverunt. Literæ ſuper hac re datæ Friburgi menſe Oct. die Lunæ ante feſtum S. Galli An. D. CCCCLXXVII. Nec multò pòſt paternam hæreditatem, cùm liberis

careret, tradidit Maximiliano Imperator Sigiſmundus. Is cùm bellis contra Gallos Mediolanenſibus teneretur, magnamque in Helvetio milite, quem tot antè præliis expertus erat, ſpem haberet, nihil prius habuit, quàm ut hanc confœderationem hæreditariam renovaret, ſed cui adjungeretur Carolus nepos, Hiſpaniæ princeps, qui poſteà magna gloria & Chriſtianitatis bono imperavit, quatenus avita hæreditate Burgundiæ Comitatum, Helvetiæ conjunctum poſſidebat. Et ferme eædem fœderis, & perpetuæ amicitiæ leges, & conditiones, niſi quòd probra, contumeliæ, convicia, ex quibus jam olim ad verbera & arma ventum erat curatiùs prohiberentur, hocque fœdere Civitates omnes XIII. itemque oppidum, & monaſterium S. Galli includuntur: penſiones præterea annuæ, nomine Comitatus Burgundiæ, in ſingulas Civitates adſignantur. Actum Badæ VII. Februarii A. D. N. CIↃ IↃ XI. Formulam hujus fœderis verbotim expreſſam habet *Archont. Coſm.* p.692.

2. Arctius fœdus, auxiliare videlicet, & ſuppetias non ſemel ſolicitârunt, Helvetiis modò annuentibus, præſertim an.Ch.1513.1514.quod tamen fœdus anno ab Imperatoris obitu primo expirare debuit; *Schvviz. Stettler* lib.9. pag.472.505. modò ſe excuſantibus; an. Ch.1512.& 1522. quo Papa, Imperator & Dux Mediolanenſis Helvetios ad fœdus fruſtrà ſolicitârunt. *Id.* Et jam ante an.Chr.1480. cùm Maximilianus aliique Imperii Principes pro recuperanda Burgundia arctius vinculum urgerent; *Stettler*.pag.277.

(*b*) Cujusmodi ſunt 1. *Rex Galliarum.* De variis Helvetiorum fœderibus per ducentos jam continuos annos, qua Irenicis, qua auxiliaribus, cum Galliarum Rege initis, conſuli poteſt Scriptum Gallicum, cui nomen: *Le Tableau de la Suiſſe, & autres alliez de la France ès hautes Allemagnes, auquels ſunt deſcrites les ſingularites des Alpes, & raportees les diverſes Alliances des Suiſſes, particulierement celles qu' ils ont avec la France, Par MARC LESCARBOT, Advocat en Parlament.* Pariſiis an. 1618. Totam Helvetiam carmine deſcri-

deſcribit : Subjicit poſtea ordine formulas fœderis Gallico-Helvetici,pro ratione temporis,varii. Initium fecit *Carolus VII.* an.Ch.1453.cum Tigurinis, Bernenſibus, Solodurenſibus,Lucernenſibus,Vriis,Suitiis,Vnderwaldenſibus. Quo tamen fœdere amicitia potius, quàm mutuum quæritur auxilium,in hoc conſiſtens,ut tuta utrinque ſint commercia, neutráque pars alterutrius hoſtes juvet. Hujus fœderis noſtri non meminerunt. Extat tamen ejus formula,Tabulâ citatâ,pag.55. Succeſſit *Ludovicus XI.* qui *a.* paterna facta & pacta rata habuit,literis hac de re an.Ch.1463.die 27.Novembris datis. *Id.*pag.56. *b.* Fœdere caverunt,ne qua pars Carolo Burgundo ſubſidio eſſet: an Chr.1470.*Id.*p.57. *c.* Paulò pòſt,an.Ch.1474.arctiori coaluerunt amicitiæ jure, quod αὐτολεξεὶ recitat pag.57.& deinc. Occaſionem hujus fœderis Scriptores noſtri arceſſunt à clade illa Helvetiis propè Baſileam à Ludovico XI.illatam. Ferunt eum, ſuperatis hoſtibus dixiſſe, (*Simler.* lib.1, pag.114.b.) *ſe antè minoribus copiis trium horarum ſpatio tredecim millia hoſtium profligâſſe, longeq́ minori periculo, quàm nunc integri diei pugna unicum quodammodo manipulum hoſtium ceciderit : nunquam etiam ſe cum hoſte pertinaciore & robuſtiore congreſſum, quare daturum ſe operam, ne ſibi deinceps cum illis pugnandum ſit. Id autem non multò poſt regnum adeptus fuit. Etenim cùm Carolum Burgundum odio haberet, neque tamen aperto bello eum petere auderet, quod id antea ſibi infeliciter ſucceſſiſſet, ſtuduit eum cum Helvetiis committere : ut autem hoc facilius efficeret, & ad omnes caſus Helvetica auxilia parata haberet, fœdus cum illis decem annorum fecit, & Pagis annuas penſiones largitus eſt* (fœdus hoc Regem cum Helvetiis, victo demum apud Moratum Burgundo, iciſſe, habet *Guillim.*lib.5.pag.544. Sed nihil tale commemorat Tabula citata ; largitionibus quidem iratos placandos fuiſſe, &c, à profligato ſecundùm jam Carolo, munera regia creviſſe, ſuprà, pag. 316. ex *Comin.* monuimus) *ſeptem millia Francorum ſingulis : bello quoque Burgundico*

pecuniæ magnam vim Helvetiis ſuppeditavit, ne ejus inopia bello abſiſtere cogerentur, & de pace agere: & victo Carolo ad Moratum, ampliſſima munera & publicè Helvetiis, & privatim etiam belli largitus eſt: poſtremò cæſo Carolo, ne Helvetii Burgundiam jure belli invaderent, multorum animis in Burgundia pronis ad deditionem, pecunia (vide *Stettler*.l.6. a.Ch.1477.p.262.) *redemit, & eo bello quod poſt Caroli mortem geſſit, in occupandis illius provinciis Helvetico peditatu uſus, uberiora, quàm quiſquam antehac ſtipendia illis numeravit*. Formula fœderis an.Ch.1474.initi, cum explicatione D.D.Bernenſium, extat *Tab.cit*.pag.57. & deinc. Cur tergiverſati ſint Friburgenſes, habet *Stettler*.an. Chr.1474. pag.214. Fœdus ſecutum cum *Carolo VIII*. Ludovici filio, & primùm quidem Lucernæ ſcriptum, an.Ch.1484.die 4.Auguſti, & à Rege Viennæ die 24. Novemb.confirmatum, Irenicum tantum erat, nullius, habita ratione, aut *Συμμαχίας*, aut annui reditus, quod & *Stettler*. obſervat an.Chr.1483. pag.288. a.b. Poſtea verò an.Chr.1495. Ludovici defuncti pacta erant iterata hoc diſcrimine, quòd novo hoc fœdere à ſuo arbitrio & ſuppetias ſuſpenderent, & militum ſtipendia; *Id*.p.62. Quid verò Fœderatorum operâ contra Franciſcum, citerioris Britanniæ Ducem præſtiterit, ſuprà jam monuimus. Succeſſorem *Carolus* habuit *Ludovicum XII*. cùm Mediolanum recuperare vellet, ut Helvetios ab amicitia Ludovici Sfortiæ averteret, fœdus ipſe quoque in decennium cum illis conjunxit, quo finito gratias egit Helvetiis, ſtipendia renunciavit, & annuas penſiones (quod *ſibi mulctam imponi nolle diceret*; ut loquitur *Guicciard*.lib.X.pag.950.T.1.) quas publicè & privatim illis perſolverat, *non modò pertinaciter negavit*; *ſed etiam remediis adhibitis aſperioribus, ubi mitioribus erat opus, ne ex Mediolanenſi agro commeatum habere poſſent, vetuit*; Id.Ib. Quo facto multorum militarium hominum animi graviter offenſi ſunt, quibus auctoribus inſtigante ubique Principes Pagorum, Cardinale Sedunenſi, fœdus inierunt cum Iulio Papa II.

Papa II.an.Ch.1510. Qua quidem re,quod author *Tabul.*pag.62.minimè diſſimulat,Rex ſuis parùm conſuluit conatibus. Nam & Mediolanenſi Ducatu excidit, & ingentem ad Novariam cladem paſſus eſt. Erat hic Ludovicus, qui, eodem teſte Scriptore, inſcriptioni nummorum Pontificiorum: BON.PATER IULIUS A TYRANNO LIBERAT; ſequentem oppoſuit: PERDAM BABYLONIS NOMEN; quam obiter Hiſtoriam tetigimus P.III. ἰδίῃ γῆ pag.36. Ambiit quidem poſtea aliquoties Ludovicus novum fœdus,ſed renuerunt Helvetii,id tamen ſtrenuè operam dantes,ut, depoſitis armis,amicè Pontifex cum Galliarum Rege ageret. Hinc comitia Lucernæ die 14.Septemb. an.1510.habita literis Pontifici ſignificant, cur domum ſuos revocârint. Papam, ut, cùm Princeps pacificus audire geſtiat,pacem conſtanter cum Chriſtianis orbis Proceribus colat; ſuam ad hanc rem operam ſponte offerentes; ſanguinéque pretioſè redemtorum parcat,rogant. Etſi enim fœdus ſervare ſint parati,nolle tamen ſe vires ſuas vel contra Imperatorem, vel Galliarum Regem, veteri ſibi amicitia devinctum, periclitari. Iulius,ſcripto hoc Irenico exacerbatus,non modò reſponſo ſuo Helvetiis, temeritatem, quod Sedi Romanæ, quæ cautè ſatis & integrè cum quovis egiſſet,leges præſcriberent, exprobrat; ſed & contemtum iis,cur ſe pacis arbitros obtruderent,cùm alii tamen, majori loco habendi,repulſam tulerint. Pareant ſimpliciter monitis,Regi Galliarum renuncient, ni in offenſam Apoſtolicæ Sedis incurrere velint. Vſſit hæc reſponſio generoſa Helvetici Senatus Badæ congregati pectora: Religione tamen Sedis Romanæ, pro temporum illorum ratione, ducti, Legatione Papam placandum decernunt. *Schvviz*.lib.1. cap.16.de bell.Mediol. Quid Romæ actum fuerit, non eſt hujus loci prolixius enarrare; quod tamen ex actis Legationis illius,quæ Mſc.habemus,proclive eſſet. Solutionem urgent Helvetii. Negat Papa,ſe hilum debere. Iudices quærendi. Duos Pontifex Cardinales deligit. Quid ſibi polliceantur Helvetii? Dubitas,pro Pontifice,homi-

nes

nes juramento adſtrictos, decidiſſe? Extat *Breve* Pontificium per hos ipſos Legatos ad Helvetios miſſum, quod fidem facit, ſimúlque Galliarum Regem extra fœdus etiam, ſuos in Helvetia habuiſſe amicos, probat: IULIUS Papa II. Dilecti filii, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Oratores veſtros libenter vidimus & benignè audivimus, ejusdemque patientiæ & audientiæ noſtræ, quoties voluerunt, magis pro eorum, quàm noſtro commodo copiam fecimus. Hi inter cætera, à nobis veſtro nomine petierunt ſolutionem ſex millium peditum ordinariorum pro duobus menſibus, quibus reſpondimus, nos vigore fœderis & capitulorum inter vos & nos initorum non teneri ſolutionem ejusmodi. Nam vos tempore opportuno nobis, juxta formam capitulorum ipſorum non ſubveniſſe, nec continuato itinere ad loca per nos, vel noſtro nomine agentes deſignata, dictos pedites miſiſtis, ut tenebamini ex tenore dictorum capitulorum, & cùm tandem verſus Mediolanum ſex millia peditum, non expectato venerabili fratre Matthæo, Epiſcopo Sedunenſi, Commiſſario noſtro in Italiam miſiſſetis, potuiſſentq; illi faciliter ad nos penetrare, præſertim aucto numero peditum, ut pollicebamini, & pro recuperatione noſtræ civitatis Ferrarienſis, pro qua pedites veſtros petiveramus, per organum Epiſcopi prædicti, operam navaret, inconſultis nobis & Epiſcopo antè dicto, imò expreſsè renitente, & mandatis capitaneorum per nos eis deputatorum ſpretis, & poſthabitis, fuerint à vobis expreſsè revocati; retroceſſerunt, ſive gratia, ſive amicitia, ſive pretio Gallorum, fautorum Alphonſi Eſtienſis, noſtri & S. Romanæ Eccleſiæ rebellis, ut multi exiſtimant deliniti, quæ res nobis non ſolùm magni diſpendii, ſed etiam periculi cauſa fuerunt: Galli enim, fautores ipſius Alphonſi, *quos terrore armorum veſtrorum in metu eſſe oportuit*, & exercitum militum, ſive eorum validam manum in oppoſitum veſtrum continere poſt diſceſſum peditum ipſorum multiplicatis copiis in auxilium ejusdem Alphonſi rebellis noſtri venerunt, nec ſolùm loca, quæ idem Alphonſus in feu-

dum

dum à Romana Eccleſia obtinebat; ſed etiam multa alia oppida agri Bononienſis occupaverunt & diripuerunt, ac in eis cædes hominum fecerunt, prope etiam civitatis noſtræ Bononiæ mœnia, in qua nos cum ſacro Collegio Cardinalium, & Curia noſtra reſidebamus, venire auſi ſunt; adeò ut oportuerit nos magnum equitatum & peditatum ingenti ſumptu ad reprimendos illorum impetus & conatus impios conducere & undique accerſire, quæ certò non eveniſſent, ſi aut pedites veſtri ad loca per nos deſignata, prout poterant, ſi voluiſſent perveniſſent, aut tam citò non receſſiſſent, aut alia, quæ, pro fœdere tenebamini, opportuno tempore feciſſetis. His & aliis, quas omittimus, rationibus, credimus ad ſupra dictam ſolutionem nos nequaquam teneri, imò juſtius damna & intereſſe ac pecunias vobis ſolutas poſſe repetere: Ne tamen noſtro judicio inniti videremur, cauſam hujuſmodi duobus doctis, integriſque Prælatis ſacri Palatii Apoſtolici cauſarum auditoribus, Vener. videlicet fratribus, Anthonio Archiepiſcopo Sypontino cauſarum Cameræ Apoſtolicæ generali auditori, & Achilli civitatis Caſtellæ Referendario, domeſtico noſtro; commiſſariis; ut capitulis fœderis diligenter inſpectis, & Oratoribus veſtris diligentiſſimè auditis referrent, quid juris eſſet, qui tandem, ut ex ipſis oratoribus veſtris (ſæpius & maturè auditis & re diligenter diſcuſſa; ſi vera referre volent; intelligetis) retulerunt, nos ad ſolutionem hujuſmodi ex antedictis, & pluribus aliis non expreſſis rationibus ac cauſis non teneri. Quare hortamur charitate paterna, ne ea, quæ Vobis non debentur, poſtuletis à nobis: nos capitula ipſa noſtra, ſub Bulla plumbea confirmavimus, & obſervare ad unguem parati ſumus, nec in aliquo eis contra facere vel venire, cùm veſtrorum militum opera & præſidio indigebimus; nos vigore dicti fœderis requirimus, & juxta capitulorum hujusmodi tenorem ſatisfaciemus, ſperantes quòd tanquam boni Catholici, & fœdere nobis ac Sacræ Rom. Eccleſiæ cunctorum fidelium matri aſtricti, nec ipſi Eccleſiæ, nec nobis defuturi ſitis, dictumque

ctumque laudabile fœdus nobiſcum percuſſum, & tot ſolennibus promiſſionibus & ſigillis Cantonum veſtrorum munitum, & vallatum, ex quo natio veſtra plurimùm nobilitata eſt, & contra inimicorum veſtrorum inſidias munita ſervatur. Nam ſi ſecus, quod non credimus, facietis, nobis etiam tacentibus, & injuriam non expoſtulantibus, magna vos infamia ſequetur, non ſine periculo animarum veſtrarum. Datum Bononiæ, ſub annulo Piſcatoris, Viceſimo die Decembris M D X. Pontificatus noſtri anno octavo. Succeſſit Ludovico Gener, *Franciſcus Valeſius*, qui amicitiam Helvetiorum, victor etiam, quæſivit. Secuta enim mox die 13. Septemb. an. Ch. 1515. pugna Marigniana, in qua (verba ſunt *Franciſc. Guill.* l. 5. pag. 454.) *primo prælio, contra Franciſcum Regem Helvetii victores; Secundo non tam victi, quàm deſtituti* (multum tamen errat *author Tabulæ Helvet.* qui pag. 61. 14000. aut 15000. eâ pugna Helvetios amiſiſſe ſcribit; cùm in univerſum totus exercitus 12000. tantùm conſtiterit, *Stettl.* l. 10. pag. 551.) *qui latera tegeret, equitatu, nusquam interruptis ordinibus, tormentis etiam bellicis conſervatis, loco ceſſere, fruſtraq; exſpectato Cæſaris Maximiliani promiſſo auxilio, & ſummi Pontificis, denique domos quisque abiere, quo pacto rurſum Mediolanum, & cætera Inſubriæ in Gallorum poteſtatem venerunt. At verò Franciſcus eo modo victor, ſuſceptiq; belli ex animi ſententia compos, omnia tamen parum tuta, & duratura exiſtimabat, ſi Helvetios hoſtes haberet: quantum enim ſoli poſſent ingenti ſuorum ſtrage bis expertus erat. Quòd ſi opes junxiſſent, aut cum Cæſarianis, aut Pontificiis, quo in periculo futurus eſſet prudentiſſimus Princeps non ignorabat. Nec ea de cauſa ceſſavit, donec pacem quidem perpetuam cum Helvetiorum gente, & eorum ſociis Abbate S. Galli, Rhætis, Valeſianis, &c. paciſceretur, fœdus verò in certum tempus percuteret. Pacis æternæ legum prima omnia diſſidia, contentiones, bella, inimicitias exterminant, & reſtinguit, cætera controverſa ex æquo & jure dirimit, ex legum formula, quæ inter Ludovicum*

vicum XII. & Helvetios lata, & confirmata. Multa in iis de captivis abſque lytro dimittendis, de querelis privatis, mercatorum Lugduni, & Mediolani privilegiis & de debitis, & ære alieno, de contumeliis utrinque evitandis, hoſtibus commeatu, hoſpitio, auxilio non adjuvandis; de vectigalibus, penſionibus, exceptionibus, aliis, quæ memorare longum. Acta hæc Friburgi, vigilia S. Andreæ Apoſtoli, Anno Domini CIƆ IC XVI. Has etiam conditiones pacis & mutuæ amicitiæ, capitibus 13. abſolutas recenſet *Simler*. lib. 1. p. 116. Sed noluit *Franciſcus*, his quieſcere pactis Irenicis arctiori *Συμμαχίας ϗ ἐπιμαχίας* fœdere uniri deſiderat, quod & ab omnibus Cantonibus, Biennenſibus additis & Rotwilanis, (Tigurinis tamen exceptis) a. Ch. 1521. impetravit. Literæ Lucernæ ſcriptæ die 1. Maii anni citati. Summa fœderis ex *Simlero* eſt: Si quis Regi Galliarum, quisquis is fuerit, bellum inferat in regno Galliarum, ducatu Mediolanenſi, aliisque locis regni Gallici ultra & cis alpes, poterit ex Helvetiis militem conſcribere pro ſuo arbitrio, non pauciores ſex millibus, neque plures ſedecim millibus, niſi id permiſſione magiſtratuum fiat: deligat autem ſuo arbitratu tribunos militum, ſive capitaneos ex omnibus pagis & confœderatis, homines integræ famæ. Capitaneos autem à Rege delectos & milites magiſtratus Helvetiæ non impediant, neque moras aliquas nectant aut impedimenta obijciant, ſed permittant liberam profectionem ſuis militibus intra decimum diem, ex quo primo conventu rex militem petierit: permanebunt autem in militia ad finem uſque belli, ſi regi viſum fuerit, neque ante à ſuis magiſtratibus revocabuntur: his omnibus rex uſitata ſtipendia perſolvet. Quòd ſi ipſi Helvetiæ bellum inferatur, ac fraude omni ſepoſita militem ideò regi dare non poſſit, hoc caſu Helvetii liberi ſunt, ac poterunt tum ſuos confeſtim revocare eóſque rex exauctorare & dimittere debet. Porrò ſi rex hoſtibus ſuis bellum ultro inferre ſtatuerit, idem jus eſto milites conſcribendi non pauciores 6000. neque 16000. plures, duces verò deligito

viros

viros probos & honeſtæ familiæ vel famæ, ex Helvetiis pagis & eorum ſociis confœderatis. Helveticum exercitum rex non dividat, & in diverſarum urbium atque arcium præſidia diſtribuat: neque eo ad bellum navale maritimum utatur, ſed in terra illi ſerviant. De ſtipendiis militum ita inter partes convenit, ut rex in ſingulos milites numeret aureos Rhenanos quatuor, & ſemiſſem aurei, ſtipendia autem incipiant procedere quo die primùm domo exierint, ac tum trium menſium ſtipendia illis debentur, etiamſi minori tempore eorum opera utatur, primi autem menſis ſtipendium in ipſa Helvetia eis numeretur, reliquorum verò idoneis locis prout uſus poſtulaverit. Quòd ſi rex ultra tres menſes militem retinere voluerit, ſingulis menſibus eadem ſtipendia ſolvet, ad id uſque tempus intra quod commodè domum redire queant. Ducibus, ſigniferis, legatis & reliquis, qui ordines ducunt ſtipendia pro uſitata conſuetudine, & veteri more regum Galliæ numerentur. Si autem bellum Helvetiis illatum fuerit, rex Galliarum ſuo ſumptu illis auxilio mittat 200. cataphractos, & duodecim tormenta bellica cum omni apparatu, ſex majora & muralia totidémque mediocria: præterea in ſumptus belli ſingulo trimeſtri Helvetiis Lugduni numeret pecuniæ certam ſummam: & ſi Helvetii id maluerint loco cataphractorum rex illis 2000. coronatorum pro ſingulis tribus menſibus numerabit. Si bello exorto alibi emptione ſalis prohibeantur Helvetii, illud in Gallia emere & evehere poterunt. Si altera pars bellum adverſus hoſtes ſuos geſſerit, in conditionibus pacis ineundæ alteram quoque comprehendat: in hujus arbitrio ſitum eſt aſſentiri velit nec ne, quòd ſi pacem reſpuat, nihilominus altera pars in ejus actione progredi poterit. Neutra pars alterius ſubditos civitate donet, aut in ſuam tutelam recipiat. Neutra pars alterius hoſtibus aut exulibus hoſpitium, auxilium, defenſionémve præbeat, ſed eos juxta pacis capita ejiciat, pellat, impediat. Poſtremò Rex ad declarandum ſuum amorem & benevolentiam erga Helvetios, præ-

ter 2000.millia Francorum, quæ in pace illis ſpoſpondit,ſingulis pagis 1000.Francos quotannis eodem tempore durante hoc fœdere numerabit. Confœderâtis etiam mediam partem communis penſionis,quam antè habent, numerabit. Excipiuntur à Rege Leo X.P.P. Eccleſia ſedésque Romana, ſacrum Rom. Imperium, Reges Angliæ,Scotiæ,Daniæ,Duces Sabaudiæ,Lotharingiæ, Holſatiæ, Geldriæ, Reſpublica Veneta & Florentina: Medicea domus, Marchiones Brandenburgicus & Monteferatenſis. Helvetii excipiunt Leonem X. PP.ſedem Romanam,Imperium Romanum,Rempub. Florentinam & domum Mediceam,Ducem Sabaudiæ, domum Auſtriacam,fœdera & cives atque confœderatos ſuos, Ducem Wirtenbergicum, atque Octavianum Mariam Sfortiam, Epiſcopum Laudæ Pompeiæ. Si tamen aliqui horum, qui hîc excepti ſunt,uni parti bellum inferant in ſuis finibus,quos ea nunc habet cis & ultra Alpes,altera pars abſque ullo reſpectu parti læſæ & injuriâ affectæ auxilium ferat,juxta hujus fœderis pacta. Durare autem debet fœdus hoc vivente Franciſco Rege, & præterea ab ejus obitu adhuc triennium: Atque hæc ſunt hujus fœderis capita. Tigurini, qui has fœderis conditiones non recipiebant, monebantur, ut pacis interim æternæ viverent memores. *Stettler*.an.Ch.1522.pag.616. Hinc ſecuta mox Bernæ & alibi armiluſtria inſolita; à Regis officiariis inſtituta, de quibus *Id*.Ibid. Neſcio,an acerbius quid accidere potuiſſet Pontifici Romano,quàm Fœdus hoc Gallico-Helveticum. Teſtes ſunt literæ Leonis X.die 11.Auguſti, & 24.Septembris, an.Chr.1521.ſcriptæ,quas proinde opportunè hîc inſerimus:

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non poſſumus non graviter dolere & conqueri,noſmet ipſos, perſonamque noſtram,qui ſemper veſtras devotiones paterna diliximus charitate,tum ſanctam ſedem Apoſtolicam matrem primùm in Deum omnium veſtrum,deinde tot beneficiis,tot meritis, tot ſummi amoris ſignificationibus ſe de vobis ſemper optimè meritam

cum illa maximè auxilium veſtrum poſtularet, ita à nobis deſertam, & derelictam eſſe, ut non ſolùm noviſſimam hanc ſocietatem, quam cum Gallis feciſtis, illi diuturno & ſanctiſſimo fœderi, quod habetis cum illa, præponeretis, *ſed etiam* (novum hoc viſu, incredibile auditu) *mittere arma veſtra adverſus illam, & cum ipſius hoſtibus ſtare in acie contra vexilla Sanctæ Matris Eccleſiæ, contraq; Crucem Dominicam, & claves illas cœleſtes, animo perferretis*, quod, in quam partem accipere debeamus, ignoramus. Nam nec credere poſſumus, devotiones veſtras tantum de priſtina illa virtute & pietate amiſiſſe, ut cujus defendendæ nomen cum ſua maxima gloria acceperunt, eam velint nunc offenſam & perditam. Et tamen particulares in vobis multos eſſe intelligimus, qui infami pecunia à Gallis corrupti, falſis ſuis rationibus veram rationem in vobis excludere conentur. Videmus enim, vos iſtorum pravè ſentientium inſtinctu in antiquiſſimi, & ſanctiſſimi fœderis noſtri interpretatione, plusquàm fas ſit, eſſe diligentes, ſic enim verbis præfertis, quoniam ex fœdere tenemini noſtrum & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ defendere, & conſervare ſtatum, *vos quidem pedites veſtros miſſuros, ut noſtra terræ & civitates, ſi qui in eas inſultum facere auſi fuerint, defendantur*. Sed quoniam novo fœdere defenſivo cum Gallis juncti eſtis, vos non ſolùm non eſſe illos in ſuo ſtatu, & terris ad inſtantiam noſtram perturbaturos; ſed, quod in noſtrum grave præjudicium feciſtis, auxilia illis *ad defenſionem prabituros*. Quæ veſtra deliberatio, ſi fœdus quod nobiſcum, & cum ſancta ſede Apoſtolica habetis, ſalvum eſſe permittit, neque ei ita derogat, ut illud inutile ſit nobis, & ſupervacaneum, etiam nos in ſententiam veſtram venire parati ſumus, ſi verò nulla ex parte hoc fœdere munita, ſed nuda & deſerta ad omnes iniquorum injurias expoſita eſt ſedes Apoſtolica, erit profectò, erit cauſa juſtiſſima, cur vos veri filii Eccleſiæ, veri amici & benevoli ſedis Apoſtolicæ, hoc tempore maximè plenam defenſionem illius & protectionem capiatis. Etenim ſic eſt, credendum,

felicis

felicis recordationis, prædeceſſorem noſtrum, Iulium II. cùm vobiſcum illud fœdus faceret, per quod veſtri nominis auctoritas per orbem terrarum maximè fuit illuſtrata, *ob eam rem feciſſe, ut ſtatus ſedis Apoſtolicæ ab omnium injuriis eſſet immunis, ut aut non offenderetur, aut ſi offenſus eſſet*, vindicaretur: Nam ſi non ita intelligatur, quæ erit in ipſo fœdere ſedi Apoſtolicæ utilitas, aut tutela? Si enim, ut cuique improbo libitum fuerit, incurſiones in terras Eccleſiæ fecerit, oppida oppugnaverit, prædam abegerit, tantam notam & tantum dedecus dignitati Eccleſiaſticæ, quæ in defenſione veſtra eſt, intulerit, deinde ex finibus & agris Eccleſiæ decedat, is non erit à vobis ex fœdere proſequendus? nec injuriarum ultio inferenda? vana profectò erit hæc veſtra defenſio. Aut enim exercitus perpetuus ex veſtra natione ad tutelam tenendus, quod vos quoque cernitis, ſedi Apoſtolicæ impoſſibile eſſe, aut fœdus reddetur inutile, cùm, ſi in defenſione tantùm, non etiam in juſta ultione intelligatur, omnium volentium injuriis & irriſui ſancta nihilominus ſedes Apoſtolica exponatur. Quæ eſt igitur vera defenſio? primò prohibere injuriam, ne fiat; deinde factam vindicare, ut & qui fecerint, pœnas juſtas dent, & cæteri à malefaciendo metu deterreantur, hoc eſt protegere, hoc tueri, hoc defendere: Quòd ſi eo modo interpretemur, quo veſtræ devotiones facere videntur, *ſervabuntur fortaſſe verba fœderis, mens quidem & ſententia, & veritas non ſervabitur*. Quid ergò eſt? An Galli nobis & Apoſtolicæ ſedi inſignem injuriam non fecerunt? An ſedes Apoſtolica indigna eſt, quæ veſtro auxilio, veſtra virtute ſuam dignitatem recuperet? At illi nulla ſignificatione belli prius facta, nonnè repentè civitatem noſtram Regium oppugnatum venerunt? Nonne armati incurſiones fecerunt? Nonne vi & armis in dictam Urbem irrumpere conati ſunt? *Mittamus vetera, quòd ſemper nobis, & huic ſanctæ Sedi inſidiosè nocere conati ſunt.* Quòd concordata, quæ cum eis non ſemel; ſed pluries renovavimus, nunquam ipſi ſervârunt, & cùm eam partem, quæ pro ipſis

erat, ſervari à nobis minis & inſolentia intolerabili contenderent, eam, quæ ad ſedis Apoſtolicæ dignitatem pertinebat, irriſui ſemper habuerunt: Hoc ipſum recens factum tam iniquæ, & tam huic ſedi Apoſtolicæ ignominioſæ oppugnationis, quo tandem animo ferre vos etiam debetis? Vos libertatis & dignitatis Eccleſiaſticæ defenſores eſtis, vos ad illam defendendam ex fœdere obligati, hoſtes tam inſigni illata injuria ex agris noſtris ceſſerunt: ubi eſt ergo veſtra defenſio? ubi fœderis fides? Nonne cernitis, ſi tantam injuriam nobiſcum non ulciſcimini, inutilem nobis & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ recidere veſtram hanc ex fœdere defenſionem, niſi fortè apud vos indigna eſt, quæ ſuum jus obtineat ſedes Apoſtolica, cujus toties liberalitatem, ſummamque benignitatem, ac imprimis eximium amorem erga nationem veſtram cognoviſtis. Quid eſt in honore, in commodo, in laude, in benevolentia poſitum, quod non ab illa largè & libenter, & omni tempore receperitis, quantum prædeceſſor noſter Iulius, quantum noſmet ipſi de vobis ſemper bene mereri ſtuduimus? Non fuit ergo *rectum*; dilecti filii; *recenti cum Gallis fœdere noſtro antiquiſſimo & ſanctiſſimo fœderi derogare.* Quanquam vos non hac mente fuiſtis. Novimus enim pietatem & fidem veſtram, nec verbis ita fuit ſignificatum, ſed revera ſi ita fœdus noſtrum interpretamini cum maximo noſtro, & hujus ſanctæ Sedis damno facta eſt derogatio, cui Sedi, ſi ex fœdere non teneremini, tamen quia optimi Chriſtiani eſtis, & Deus Pater veſter eſt, Mater in terris Sancta Eccleſia, eas, quæ illi fiunt, injurias pro veſtra pietate & Religione acerbiùs propè, quàm nos ipſi, accipere deberetis, cujus etiam Eccleſiæ antiquo jure proprias Parmam & Placentiam civitates iidem ſui, noſtrique hoſtes per oppreſſionem à nobis extortas retinent occupatas, qui fœdus vobiſcum quod fecerunt, num putatis eos ob amorem & ſtudium veræ amicitiæ vobiſcum id feciſſe? Tales profectò non ſunt, ſed quò poſſent inſolentiùs in cæteros graſſari, injuriasque, quibus liberet facere, & omnem ſibi arrogare cum reliquorum
dede-

dedecore auctoritatem, idcirco prætextu vobiſcum fœderis defenſivi ad omnium offenſionem ſe paraverunt. Etenim ſic rationem putate: Galli, ut qui opibus potentes ſunt, ſine vobis certè injuriam cuivis ac præſertim huic ſanctæ ſedi per ſe ipſam imbecillæ facere poſſunt: ſi verò, ut quis injuriam ulciſci acceptam volet, vos ex fœdere ad defenſionem ſui vocabunt, & veſtris muniti præſidiis pœnæ immunes erunt. Nonne intelligitis, graves tyrannos omnium juri, & fortunis contra omnem divinam humanamque juſtitiam, per vos eſſe conſtitutos, quod quanto vobis apud omnes gentes honori, quantæ apud Deum laudi futurum ſit, vos conſiderate. Quanquam, dilecti filii, nos hæc vobis ſcripſimus, non quòd, de veſtra in nos & ſanctam Sedem hanc voluntate deſperemus: Recordamur enim in vobis præcipuam fidem, eximiam virtutem, ſummam Religionem, antehac ſemper fuiſſe, quam non penitus interiiſſe credimus, & ſumus nos quidem in amore erga vos ac benevolentia conſtantes, ſed ut nobis noſtri veri & ſancti fœderis juſtiſſimas rationes afferremus, ſimulque vos in Domino hortaremur, enixiusque peteremus, ut ſi qua vos plurimorum ſedis Apoſtolicæ erga vos beneficiorum adhuc movet memoria, eos, qui corrupta fide atque animo vos Gallici fœderis prætextu ab antiquo cum ſede Apoſtolica fœdere conantur retrahere, rejiceretis, iſtamque fortiſſimam & fideliſſimam nationem hac paucorum culpa, & crimine, labe aſpergi non ſineretis, tum ut veſtram illam veſtris jam multis in hanc ſanctam ſedem officiis maximè illuſtratam virtutem ab ejus libertate, dignitateque tutanda, quemadmodum nos paulò ſuprà declaravimus, non removeretis; ſed fœdus ſanctum, vetus, glorioſum, noſque veros & perpetuos patres, amicos, benevolos his novis, fictiſque amicis, veris autem hoſtibus anteponere velletis. Sicut vobiſcum latius coram, aut per ſuas literas idem Nuncius noſter, ad quem & de his copioſè, & de aliis multis deſideramus, ſcribimus, noſtro nomine aget, cui fidem indubitatam præbere, & promptos nos reddere ad re-

 tinen-

tinendam hanc, quam habetis defendendæ S. Eccleſiæ gloriam ſtudebitis. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIV. Septembr. M D XXI. Pontific. noſtri Anno I X. Vides, quàm verè alicubi ſcripſerit Bibliander noſter, *Pontificem Romanum Helvetiorum opem flagitantem non ſermocinatum de bellis, quæ cogitabat, de fuſione ſanguinis Chriſtiani, de oppreſſione innocentium; ſed de fide Catholica, de patrimonio Petri, de Eccleſia, de neſcio qua, libertate?* Quid miremur, aures Helvetios noſtros ſubſtrinxiſſe? Sed & patet hinc, quâ in explicatione formularum fœderalium fide illi ſint verſati, qui pro libidine ſua Majores noſtros tractârunt? Non ſuorum quisque, ſed alios, verborum eſſe volebat Interpretes. Sed & luculentum literæ hæ continent documentum, quàm non religioni duxerint Galliarum Reges Pontificis faſtûm armis etiam compeſcere. Laudem hanc Galliarum Regibus ipſe tribuit Pontifex Romanus, *quòd ſemper ſedi Romanæ nocere ſint conati.* Accedimus nunc ad alteram hac de re Epiſtolam, quæ ſic habet:

Dilectis Filiis Helveticis, Tresdecim Cantonum, ſuperioris Alamaniæ Eccleſiaſticæ libertatis defenſoribus, confœderatis noſtris:

Leo Papa X. Romæ, die 11. *Auguſti, An.* 1521.

Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Nihil jam diu magis mirati ſumus, quàm cùm tanta eſſet inter nos, ſanctámque ſedem Apoſtolicam, & iſtam invictam nationem conjunctio tam ſanctis fœderibus, tot mutuis officiis confirmata, cùm neque nos, & Apoſtolica ſedes unquam benignitati noſtræ erga vos finem conſtituiſſemus, & vos illi ſemper adeſſe, illi favere, illam omni veſtra protectione defendere conſueviſſetis: Tamen in hoc maximè neceſſario tempore, cùm veſtrá ex fœdere poſtulaviſſemus, non modò nobis debitam, & in conditionibus fœderis expreſſam peditum manum negaviſtis, ſed etiam noſtris, & ejusdem ſedis Apoſtolicæ hoſtibus contra nos ipſos, contra S.R.E. cujus vos

vos libertatis & dignitatis defenſionem cum maxima veſtra gloria recepiſtis, & ejusdem defenſores eſtis cognominati, auxilia veſtra miſiſtis. Cumque in eam comparationem res adducta eſſet, ut aut hoſtium noſtrorum inſolentiam, & effrenatam cupiditatem reprimi, aut ſedis Apoſtolicæ dignitatem omnem obrui neceſſe eſſet; Illorum tamen adjuvare ſuperbiam, quàm æquitatem noſtram fovere maluiſtis, quod inſperatum malum, cùm nobis, præter opinionem, accidiſſet, dolore magno fuimus quidem perculſi, qui dolor non ab indigentia auxiliorum, nec ab imbecillitate rerum noſtrarum, ſed ab amore procedebat, quòd veſtri nominis decus & ſplendorem, Veſtræque Fidei conſtantiam, quæ antehac ſemper firmiſſima habita eſt, vocari in periculum infamiæ, & in aliquam, nec mediocrem ſuſpicionem videbamus. Sed tum majore dolore fuiſſemus commoti, ſi hoc crimen commune veſtræ nationis, ac non potiùs proprium quorundam eſſe cognoſceremus, quorum cùm authoritas apud vos alicujus fortaſſe momenti ſit, deſideraremus vos animadvertere diligenter, qua illi cauſa vobis ſuadeant, quæ vobis nec utilitati ulli publicæ, & apud cæteras gentes, alicui vituperationi futura ſit. Etenim quos Fides, quos amicitia, quos tanta conjunctio, quos ſedis Apoſtolicæ ſanctitas, Romanæ Eccleſiæ veneratio in fide non tenuerit, Illorum fidem, quinam exiſtimabunt idoneam eſſe, cui credant? Sed interim ſicut nos crimen hoc in veſtri nominis laude minimè hærere deſideramus: Ita vos rejectis omnino malis ſuaſionibus, ne locum quidem ullum cuiquam relinquatis, ſiniſtrum aliquid de nobis ſuſpicandi: Ac ut de cauſa aliquid loquamur, nos, cùm debita à vobis auxilia poſtulavimus, non egemus id quidem inopiâ militum, aut penuriâ fortium virorum; Sed quòd noſter erga vos amor non patiebatur, nos quicquam vel ſalutare huic Sedi, vel neceſſarium ſine veſtra ſocietate cogitare, cui noſtro amori, quomodo vos ſemper benevolentia reſpondeatis, veſtrum judicium ſit, nam cauſa noſtra firmiſſimis eſt ſociis & adjutoribus munita. Adeſt

ſummus Deus, qui nunquam ſuperbiam,& injuriam voluit impunitam. Adeſt Sereniſſimus Cæſar, cujus tanta potentia cùm ſit, quantam vix antiquorum Cæſarum fuiſſe acceperimus, eâ tamen is eſt juſtitiâ, eâ bonitate, ut non eâ utamur ad inferendam, ſed ad propulſandam ſolùm injuriam, quem vos, cur ex amiciſſimo, & benevolentiſſimo vobis hoſtem facere velitis, rationem nullam poſſumus invenire: Adſunt chariſſimi in Domino Filii, digniſſimi Reges Angliæ, Portugalliæ, Daciæ, cæterique, ut confidimus, omnes Principes Regésque Chriſtianorum, qui partim ſuis propriis doloribus, partim hac communi indignitate moti, qui Regem Gallorum cernunt dominandi cupiditate inſidiantem omnibus, hanc ſanctam Sedem conculcare conantem, ſanctiſſimam expeditionem in Turcas diſturbantem, præclaram conſpirationem fecerunt, & ad hoc tantum malum à Reipubl. Chriſtianæ cervicibus amovendam, à quorum ſocietate unos Helvetios abeſſe, non ſolùm quàm honeſtum, verùm etiam quàm vobis ſit utile, conſiderate. Etenim, qui etiam fœdere recenti cum Rege Galliarum conjuncti eſtis, non debuit hoc ſanctioribus, & antiquioribus fœderibus derogare, niſi fortè cum illo ſocietatem iniviſtis, ut ille facilius poſſet cùm cæteros omnes, tum ſedem Apoſtolicam ſuis ſuperbiis & injuriis proculcare? Qui, ut taceamus omnes alias injurias, noviſſimè Vrbem noſtram Rhegium oppugnavit per Locum tenentes ſuos, parumque abfuit, quin civitatem minimè tale quid expectantem ab Romanæ Eccleſiæ gremio abriperet, cumque illi nulla cum Cæſare intercederet injuriarum cauſa, illum tamen per fraudem, & inſidias Navarræ Regno ſpoliavit, ſubmiſitque alios, qui eundem in natali Flandriæ ſolo perturbarent; in quibus tantis contumeliis apparuit, quid velit, & quid ſtatuat Deus. Nam & nos hos nefarios violatores ſtatus Eccleſiaſtici Anathemate percuſſimus, excommunicatosque publicavimus, ut qui illis auxilium, opemque præbuerint, in eaſdem excommunicationes ſint incurſuri, & Navarræ Regnum ab invicto exercitu Hiſpano

magna

magna cum ſtrage Gallorum eſt totum recuperatum. Nollemus ita, nollemus, ſed tamen aliquando ſeveritatem ſuam acuit Deus, & ita injuriam vindicat, ut qui modò cupiditate, & inſolentia cæteros quietos eſſe non ſinebat, nunc ſuarum viciſſim rerum metu terreatur. Itaque eodem & Duce, & adjutore Deo, daturi operam omnes fœderati ſumus, ut tot injuriis faciendis occaſio præcidatur, Ducatumque Mediolani in priſtinum ſtatum ſuum ſub veros & Legitimos Principes ſuos reducturi. In quo quid eſt, quæ noſtra paterna in veſtram nationem benevolentia amplius vobis efficere poſſit? Cùm dilectum Filium ei Ducatui ducem Bari præpoſiturus ſit Cæſar. Quæ etiam noſtra cum Cæſare fixa voluntas eſt, eandemque in protectione veſtra relicturus, ut quod ſuperioribus annis faciebatiś, *illud non magis cujusquam, quàm veſtrum futurum ſit dominium.* Qua in re, ſi vobis ita placuerit, Fidem noſtram ego & idem Cæſar interpoſituri ſumus, voſque certos facturi, rem ita ſe habituram, ſicut pollicemur. Sed ut fides noſtra nec defuit vobis unquam, nec defutura eſt, noſque vero & perpetuo amore erga vos, & veſtri nominis laudem feremur: Sic viciſſim fidem veſtram imploramus, fidem requirimus, ut fœdus, ut amicitiam, ut promiſſa veſtra nobis præſtetis, poſtulamus, & quidem ſolebatis novo omni fœdere cum aliquo faciendo excipere nos ſemper, & ſedem Apoſtolicam, & veteres fœderatos veſtros Florentinos, *qui non ſolùm in fœdere, ſed etiam in protectione veſtra ſunt.* Cùm igitur Gallorum Rex nobis, & ſedi Apoſtolicæ bellum antè fecerit, quàm indixerit, cumque innocentiſſimos homines negociatores Florentinos paulò antè in Lugdunenſi mercatu omnes in cuſtodia habuerit, contra fidem regiam, & communem mercatuum ſecuritatem, qua arrogantia cùm ille, veſtris exceptionibus nihil motus, omnia violaverit, vos ut fidem fœderis illi ſervetis audet poſtulare? præſertim contra nos & ſedem Apoſtolicam, & ipſum veſtrum Cæſarem. Qui cùm vos omni ſtudio animi amplectatur, & diligat, nobiſcum unà ægrè fert, vos cum

veſtris antiquis hoſtibus, injuſtiſſimâ in cauſa reconciliatos, nec æquitatis nec veteris amicitiæ videri habere rationem. Quanquam nos, dilecti filii, & ſperamus vehementer, & in Domino confidimus, devotiones veſtras converſuras animos & mentes ſuas ad reſpectum primi fœderis, repudiatisque malis ſuaſionibus & fidei ſuæ, & honoris rationem habituros, quod ut faciatis, non ſolùm vos hortamur in Domino, ſed etiam amantiſſimo animo obſecramus. Magna eſt veſtræ nationis gloria, eáque præclariſſimis in ſanctam ſedem hanc officiis comparata, quam hoc tempore violare, unósque vos communi Chriſtianorum Principum concordiæ, nec vobis utile, nec honorificum eſt. Ac nos, qui ſingulariter vos amamus, iſtamque invictam nationem, ſemper florentem cupimus, & honeſtam, Deum omnipotentem obteſtamur, nos non tam commodi noſtri, quàm veſtræ utilitatis vel dignitatis cauſa hoc à vobis petere: primùm, ut, quod omnes veræ, & juſtæ vobis ſuadent cauſæ, nobiſcum, & cum Cæſare, pro ſalute Italiæ, & communi bono Chriſtianæ Reipublicæ, ſentiatis. Deinde ſi hoc vobis perſuaderi non poteſt, fœderéque novo adverſus vetuſta fœdera obſtringimini, ſaltem ut æqui ſpectatores, neutri partium facientes injuriam, nec alterutra fœdera violantes, eventum belli expectetis. Quod quidem in ſecundi beneficii loco à vobis ſumus habituri. Horum alterum agentes, & nobis gratiſſimum, ac Cæſari facietis, & optimè vobis ipſis conſuletis. Sicut de omnibus largius vobiſcum Ven. frater Epiſcopus Verulanus Nuncius noſter, noſtro nomine aget, quem amanter audietis, & illi fidem ſummam habebitis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die 11. Auguſti, An. M D XXI. Pontificatus noſtri Anno nono.
Quid literis his Pontifex obtinuerit, eventus probavit. Milite, quem ex Tigurinis potiſſimùm & Tuginis conſcripſit, non leve damnum Gallico intulit exercitui; qua de re prolixè *Stettler*.an.Ch.1521.p.608. & deinc. Semel autem initum fœdus auxiliare, continuare deinceps Reges ſtatuerunt. *Henricus II.* Franciſci filius iiſ-

dem legibus,quibus pater (obſervat tamen *Leſcarb.*tab. cit.p.69.tria Rhætorum fœdera, & omnes Valeſianos, qui in ſeptem partes,quas ipſi Deſenas,Germanicè Zen- den vocant,diſtinguuntur,pro duobus computari Cantonibus) cum Helvetiis,(Bernatibus jam,præter Tigurinos,exceptis) Soloduri d.7. Iunii an.1549.fœdus fecit, quod quinquennium, poſt ejus obitum,duravit. Cæterùm (*Simler.* lib. 1. p. 119. b. *Leſcarb.*p. 69.) quia Inſubres, & quædam aliæ provinciæ ſuperiori fœdere comprehenſæ,hoc tempore à regno Galliæ avulſæ erant,de illis nominatim fœdere exprimitur, Helvetios non teneri ut militem dent Gallo ad hæc loca recuperanda, verùm ſi alio exercitu ea recuperaverit,& in poteſtatem redegerit,eodem jure ſunto,quo reliquæ regni provinciæ, & ad has tuendas militem danto Helvetii: ad Boloniam autem urbem recuperandam,& comitatum Bolonienſem in Picardia Gallo militent. Si Rex ipſe in propria perſona bello alicui intereſſe voluerit,pro ſuo arbitratu duces & milites in Helvetia,quot volet,colligere poterit,non pauciores tamen 6000.Exercitum Helveticum non licet Regi dividere, & disjungere, ſi prœliandum ſit: ſed extra prælii aleam in urbium & arcium præſidia diſponi poteſt. Stipendiorum militarium, & auxilii, quod Rex Helvetiis debet eadem ratio eſt,quæ & in priori fœdere: cætera quoque capita nihil ferè variant. Porrò ut tractatus pacis anno 16.poſt milleſimum quingenteſimum firmus maneat, de petitione non ſolutorum ſtipendiorum hujusmodi actio inſtituta eſt: Petitor rem ad Magiſtratum domi ſuæ referat,quibus ſi cauſam ſuam probaverit,Legatos regios in Helvetiis de ſuis ſtipendiis appellet,ſi autem nulli tum fuerint in Helvetia, magiſtratus ejus loci ad Regem ſcribat,& ab eo,ut huic ſatis fiat,petat: quòd ſi Rex æquam ſatisfactionem obtulerit,ea contentus Regem non amplius appellet: ſi verò æquam ſolutionem detrectaverit,tum actor judices & arbitrum ſibi dari petat,& coram his ſuam cauſam agat: quòd ſi Rex Judices ſuæ partis non dederit,Helvetici nihilominus in cognitione cau-

ne cauſæ procedant,& quicquid illi decreverint,utraq; pars judicio ſtato, non minus, quàm ſi omnes adfuiſſent. Mercatores utriusq; partis juxta pacis capita nullis novis portoriis aut vectigalibus graventur: Si inter ſubditos utriusque partis controverſiæ aliquæ oriantur,actor eo loco judicio contendat,in quo reus habitat. Repetitum eſt hoc fœdus tum Friburgi die 7. Decembris,an.Ch.1564. & confirmatum à *Carolo IX.* Henrici filio, d.21.Iul. an.1565. tum Soloduri an.Chr.1582. die Magdalenæ per Henricum III. qui maximi, ut poſtea audiemus,Helvetiorum fecit amicitiam. Redierunt in hæc pacta poſteriora D.D.Bernenſes: *Stettler*.Tom.II. lib.7. an. Chr. 1582. & 1583. quo juramentum Legato Gallico fuit præſtitum. Priora variis oppugnabantur rationibus, legibus etiam fundamentalibus, ut habet *Stettler*.lib.5.T.II.an.Ch.1565.pag.216. Et quanquam ipſi etiam Theologi Genevenſes,Beza cumprimis,fœdus illud ſuaſerint,modò proſcriptis mercenariis penſionibus, conditiones offerantur, & religione reformata, & Helvetiis dignæ,ita ut inviolabile pacis edictum ſervaretur: qua de re aliquoties ſcripſit ad *Iohannem Hallerum*, d.24.Maii. d.13.Iunii,6.Auguſti,13.Septembris,an.Chr.1564.& d.19.Iun.an.1566. nihil tamen impetrârunt. Anno poſtea 1602. Henricus IV. poſt tot demum reportatas victorias Helvetiam fœdere ſibi ſociavit, Soloduri d.ultimo Ianuarii. Extat in Hiſt.Franciæ *Matth.Pariſ*.Tom.II.lib.5.pag.166.prolixa oratio, quâ Legatus Regius D.de Sillery ad fœderis reſtaurationem Helvetios invitat. Narrat, quæ commoda ex hac amicitia,annorum etiam tractu,(nec enim poſtremum cum Galliarum Rege eſſe initum,contra Simlerum aſſerit *Leſc*.pag.69.commendata) ad utramque redierint partem. Narratione verò ſexta,pag.394.& deinceps, fusè agit de Helvetiis, occaſione Legatorum 42. qui Lutetiam miſſi,ad fœderis pacta juramento ſtabilienda,honorificè excipiebantur. Præter æternam pacem an.Ch.1516.quosdam fœderi inſeruit articulos,quibus Cantones nonnulli,Hiſpano fœderati,teneri noluerunt,

teſte

teſte *Leſcarb.* pag. 69. Tandem etiam Ludovicus XIII. ſub finem anni 1613. fœdus à Tigurinis, quod, ut idem author fatetur, *magno hactenus & Regum & Cantonum deſiderio efflagitabatur*, obtinuit. Qua ſolennitate in ipſa curia juramentum præſtitum fuerit, commemorat ordine, pag. 70. Cauſam denegati fœderis auxiliaris Zvinglio tribuit, qui publicè docuerit, militiam, quæ innocentem funderet ſanguinem, minimè eſſe probandam. Nec ferè aliter ſentiunt doctiſſimi viri *Thuanus*, lib. VI. an. Chr. 1549. *Sleidanus*, lib. 3. pag. 27. & lib. 21. pag. 273. *Beſold.* de fœd. jur. p. 69. Sed altius ſurgendum.

II. Rex *Hungariæ*. Hic etiam arcto fœdere Helvetiis fuit devinctus. Initium incidit in an. Ch. 1480. duravit undecim annos, *Stettler.* pag. 277. a. Confer 281.

III. Rex *Hiſpaniæ*. Primùm ſuos in Helvetiam Legatos pro impetrando fœdere Hiſpanus miſit an. Chr. 1512. *Stettler.* pag. 472. Id potiſſimùm agebat, ut magnæ illi Ligæ Papæ, Imperatoris & Venetorum accederent: Poſtea verò an. Ch. 1587. Lucernenſes, Urii, Suitii, Underwaldii, Tugini, Friburgenſes; *Stettler, Guillim.* lib. 5. pag. 453. Abbatiſcellani Pontificii, de hinc an. Ch. 1577. & Abbas Sangallenſis an. 1604. (quod acerbè ſatis ei exprobravit *Leſcarb.* tabula Helvet.) fœdus cum Hiſpano ſanciunt. *Idem* etiam pag. 71. quid in Valeſia Rex tentârit, præter *Stettlerum* an. Chr. 1604. p. 420. enarrat.

IV. *Angliæ* Rex ſibi etiam fœdus cum Helvetiis nec ingratum, nec inutile fore haud obſcurè teſtabatur: *Stettler.* an. Chr. 1514. pag. 512. unde ſeriò illud ſollicitavit, an. Ch. 1516. *Id.* pag. 563. ſed non ſucceſſit.

(c) Occurrit hîc 1. *Dux Mediolanenſis*, cui cum Helvetiis, vel omnibus, vel quibuſdam varia pacta intercedunt. De antiquiſſimis nihil certi conſtat. Anno Chriſti 1466. Galeatius Dux & Blanca Maria ejus conjunx fœdus ſeu potius conventionem fecêre cum VIII. Helvetiorum pagis, certis conditionibus, quæ vulgò Capitula Mediolanenſia nominantur, in quibus veterum etiam Capitulorum mentio fit, unde conſtat jam olim Helvetios, & præcipuè Uranios, qui ſummas Alpes accolunt,

colunt,

colunt, certis conventionibus ſociatos fuiſſe Inſubribus: Sed cùm illa antiquiora, penè oblivione ſepulta ſint, ſummam hujus conventionis, quam ut dixi, Galeatius Maria Sfortia fecit, exponam. Primum caput hujus fœderis ad Urios pertinet, litem illis de Lepontia valle moverat ordinarius ſummi templi D. Virginis Mediolani, hoc igitur capite dux concedit liberam ipſius vallis poſſeſſionem Uriis, quoad civilem ejus Iurisdictionem, & tum ſuo juri renunciat, tum idem ab Ordinario ſe impetraturum ſpondet. Viciſſim Urii vectigal annuum Duci pendant, ac Iunio, aut Iulio menſibus ante medium Auguſtum illi Mediolanum mittant, quatuor accipitres, & arcubaliſtam ſcorpionem. Controverſias de Eccleſiæ reditibus inter Ordinarium & Lepontinos judicent duo ab utraque parte delecti Judices, quibus tertius quaſi Arbiter à Duce adjungatur, quem deliget ex aliquo ſeptem Pagorum Helvetiæ ſenatorii ordinis virum. Iidem decernunto, quid Princeps, quid Lepontii Ordinario perſolvere debeant, & ſi præterea controverſiæ exiſtant de non ſolutis cenſibus, eas judicanto. Alterum caput eſt, ut Helvetii 8. Pagorum, & quicunque eorum limites inhabitant, & imperio parent, aut eorum inquilini per quadriennium fuerint, veteri libertate fruantur, nempe ut per omnia loca Mediolanenſis ducatus ad foſſam usque urbis à portoriis & vectigalibus exempti ſint. Tertium eſt de nominibus exigendis. Quartum de Controverſiis, ſi quæ fuerint inter Ducem & Pagos Helvetiorum, aut ſi fortè privati homines ex Helvetiis controverſiam cum Duce habeant. Quintum de Controverſiis Privatorum. Sextum de libero mercatu, ut liceat Helvetiis res ſuas, equos, boves vendere, neque Dux vel ipſis venditionem, vel ſuis emptionem inhibeat. Septimum, utrinque amicitia colatur, neq; una pars alterius hoſtibus tranſitum hoſpitiúmve præbeat.

Quoniam verò poſt hanc tranſactionem Mediolanum ſæpe Dominos mutavit, Capitula aliquoties confirmata atque renovata ſunt, ac poſtremò anno 1552.

Ferdi-

Ferdinandus Gonzaga, Gubernator Mediolanenſis, nomine Caroli V. Imperatoris, cum Helvetiis hanc conventionem renovavit, ſimilibus ferè conditionibus. Prima eſt de beneficio exemptionis à vectigalibus, aliiſque oneribus, item de emptione frumenti, ut ea libera ſit, at ingraveſcente annona, ſi modius 13. libris vendatur, ne quid evehatur, vetare licet: Verùm interea Helvetiis 2000. modii amicitiæ cauſa vendantur. Eandem rationem ſervant Helvetii erga Mediolanenſes. Altera eſt de emptione & vectura ſalis. Tertiâ confirmantur Helvetiis vetera privilegia, ut liberè iter facere, mercimonia exercere tota regione poſſint, neq; literis, aut ſalvo conductu opus habeant, peſtis tempore excepto; præterea tantùm Mediolani ſub porta ſolvant portorium. Quarta eſt, quinam poſſint frui his privilegiis, & nominatim excluduntur Mediolanenſes, qui ad Helvetios migrârint. Quinta, ne fraus fiat, ſancitur, ut qui his privilegiis gaudent, nullam ſocietatem mercaturæ ineant cum his, qui illis carent. Sexta conditio eſt de controverſiis componendis & dijudicandis. Septima ſi alterius partis rei ad alteram confugiant, causâ cognitâ, ſi ſontes judicentur, ſuo magiſtratui dedantur, ut ille pœnas ſumat. Octava in reditibus, decimis, bonis mobilibus & immobilibus, quæ vel nunc poſſident Helvetii in ducatu, vel hæreditate illis poſt obvenerint, eodem jure utantur, quo Mediolanenſes apud ipſos. Nona, utraque pars liberum tutúmque iter per alterius regionem habeat, & utrinque ut hactenus mutua amicitia ſervetur. Decima, excipiunt Helvetii fœdera ſua, & omnes vetuſtiores tabulas obſignatas, ne quid illis capitibus derogetur. Poſtremâ tempus hujus conventionis definitur, ut duret quadriennio poſt obitum Caroli Imperatoris. Etſi verò hactenus varias ob cauſas conventio hæc inter Sereniſſimum Hiſpaniarum Regem Mediolani Dominum & Helvetios nondum eſt renovata, tamen ſtudioſè utrinque veterem amicitiam conſervant, & iiſdem ferè, ut olim, privilegiis Helvetii hactenus Mediolani fruuntur. *Simler.* Fuerunt & fœdera

dera cum auxiliaria; præſertim an.Ch.1512.vide *Stettler*.& ſuprà,pag.366.

2. *Dux Sabaudiæ.* Sabaudiæ Ducum priſca cum Helvetiorum aliquot Civitatibus (omnium quærebant, ſed ſine ſucceſſu,an.Chr.1495.*Stettler*.pag.324.) amicitia,ſed præcipuè Friburgenſibus & Bernenſibus. Æduardus,credo, fuit primus Sabaudiæ tunc quidem Comes,qui cùm Bernenſes ſibi ſubditos libertati reſtituiſſet, fœderatos habere maluit. Eadem fœdera ſæpius poſtea repetita. Philibertus demum cognomento per elegantiam & decorem Corporis, *Formoſus*, cum iisdem duabus Civitatibus fœdus perpetuum fecit,multis conditionibus,quæ præcipuè de mutuo auxilio,tribus in Epiſcopatibus propriis utrinque ſumptibus, Lauſanenſi,Genevenſi, Sedunenſi, de mercimoniis vectigalibus,ſubditis, controverſiis publicis, privatis, adeóque omnia,quæcunque futura poſt iſtuc fœdera,ſine hujus fraude , & per ejus exceptionem fore , cuncta diſertim , & luculentè. Acta in urbe Bernenſi,die 26.Martii,An.D.N.1498. Fœdus Carolus III. Philiberti frater renovavit, paucis clariùs explicatis, quæ de auxiliis : Nempe duas quidem Civitates, ſuo ſtipendio, militaturas Duci intra trium Epiſcopatuum dictorum fines, extrà verò eos Ducis ſummi,ſed in quoſcunque,dummodo per fœdera poſſint. Bernæ 19.Martii,An.1509. Meminiſſe tamen *Stettlerus* renovationis hujus videtur ad an.Chr.1504. Sed poſtea,cum omnibus civitatibus ſocietatem & fœdus in annos 25. idem Carolus iniit Badæ, menſe Novembri,A.D.N.1512. Multis deinceps rerum & annorum converſionibus,patriis reſtitutus hæreditatibus Emmanuel Philibertus,novo fœdere ſe devinxit cum ſex Civitatibus Lucerna,Urania,Suitia,Sylvania,Tugio,Friburgo duraturo dum ipſi vita,& filio Carolo Emmanueli ſuppeteret, & deinceps quadriennium. Actum 8.Maij, A. D. N. 1577. Solenniter dein Taurini juratum 18.Septembris,A.D.N.1578. Patriam, amicitiam, & ſocietatem, cùm, ſuperiori anno diem ſupremum 30. Auguſti, Philibertus obijſſet, Carolus

ſolus filius confirmavit, Badæ 15. Feb. anno Chr. 1581. Hæc *Guillim.* Confer *Stettler.* an. Chr. 1577. pag. 259. Varias Eclipſeis fœdus Sabaudico-Bernenſe paſſum eſt tum aliis de cauſis, tum verò maximè, quòd Sabaudiæ Dux Genevæ, urbi D.D. Bernatibus arctiſſimè junctæ, moleſtus ſæpe fuerit, præſertim an. Chr. 1529. vide *Stettler.* P.II. lib. 1. pag. 33. & an. Chr. 1536. quo fœderi Bernenſes ſolenniter renuntiârunt: Unde & bellum, quo non pauca Sabaudo fuerunt erepta, exortum. Bernates quidem (verba ſunt *Schvvizeri*) conditiones pacis offerebant Sabaudo, & à Duce ludibrio habiti, armis jus perſequi ſtatuerunt. In Sabaudiam itaque profecti, univerſam, ad montium uſque anguſtias & clauſtra viarum, qua Lugdunum itur, occupant. Reliquam, quæ ultra dictas anguſtias eſt, Franciſcus Gallorum Rex armis obtinuit, ut omni ferè ſuo Imperio Dux exueretur. Quin etiam Valeſiani terras agro ſuo vicinas Sabaudo eripuerunt. Et Bernates, Remontii comitatu devicto, eo Friburgenſes donant; qua de re prolixius *Stettlerus*, an. citato.

3. *Lotharingus*, qui fœdus ſolicitavit an. Chr. 1492. *Stettler.* pag. 320. ſed fruſtrà; amicitiæ tamen continuationem per Legatum flagitatam obtinuit, an. Chr. 1505. *Idem*, pag. 382. b.

4. *Bavarus.* Nam anno Chr. 1487. Georgius & Albrechtus Bavariæ Duces fœdus auxiliare Helvetiorum, ſine ſucceſſu, ambiunt. *Idem*, pag. 301.

5. *Dux VVittenbergenſis*, Eberhardus uterque, in fœderis Helvetici ſocietatem, excluſo Henrico, erant aſciti, an. Chr. 1481. *Id.* pag. 282. Urget iterum & impetrat, invito Imperatore, pactorum repetitionem cum Tigurinis, Bernenſibus, Baſileenſibus, Friburgenſibus, Solodurenſibus, Schafhuſianis, Abbatiscellanis Dux Huldricus, an. Ch. 1509. *Id.* pag. 434.

(*d*) De *Veneta* Republica, ſuprà jam quædam monuimus. Adde, quòd fœdus etiam iis ab anno Ch. 1615. cum Tigurinis & Bernenſibus interceſſerit. Vide *Stett-*

 ler.

*ler.*P.II.pag.471. Genevam etiam & Conſtantiam inter Cantones referri voluiſſe, & hanc quidem an.Chr. 1509. 1510. refert *Stettler.* Conficta repulſæ cauſa eſt, quæ extat in *Tabul.*Helvet.*Leſcarb.*

(e) Vide ſuprà,pag.477.

(f) Nam & hi à longo tempore Helvetiorum ambiverunt amicitiam. Hinc fœdus a. *Sixti IV.*anno Chr. 1480.Stettler.pag.277. b. *Innocentii VIII.*an.Ch.1485. Id.pag.290. c. *Iulii II.*an. Chr.1503. Id. pag.381. Hic multa obtinuit,proxeneta Matthæo Schinero(hoc Cardinali nomen erat, quod in purpuratorum Catalogo omiſit *Onuphrius Panvinius*) Sedunenſi Epiſcopo; anno Chriſti 1510. Id. d. *Leonis X.* an. Chr.1513. Id. pag.482. an.Chr.1514. Id. pag.511. b.513. ubi plura, quàm ejus anteceſſores impetràſſe refertur: articuli fœderis recenſentur an.Ch.1515.pag.535. e. *Adriani VI.* an.Ch.1521. Vide ſup.pag.174. Confer *Stettl.*p.614.

(g) Vide ſup.pag.174.

(h) Ita,verbi gratiâ,Pontifex ad fœderis continuationem I. admodùm prolixis encomiis & elogiis Helvetios inſigniebat.Specimina dedimus in *Irenico*,p.174.

1. Identidem ingeminabat iis titulum Defenſorum Eccleſiæ, aut libertatis Eccleſiaſticæ. Hinc Ennius Philonard. in Orat.ſua ad Helvetios apud *Iov.*lib.25.p. m.24. Retuliſſe,ait, inde non optima modò ſtipendia, quibus honeſtè locupletes evaſiſſent,verùm,quod eſſet omni auro præſtantius, ad perpetuum gentis decus,illum cunctis publicis anteferendum ornamentis piæ virtutis titulum, quo Romani Pontificis defenſores, impiorúmque Principum domitores appellarentur. Confer *Stettler*,1512.& pag.530. & ὁδηγῷ P.III.c.2.

2. Largè ſuas Helvetiis offerebat Indulgentias. Certè Papa Iulius II. præter titulum Defenſorum Eccleſiaſticæ libertatis, plenarias conceſſit indulgentias, quarum exemplar hic αὐτολεξεὶ inſerimus. Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Superioribus diebus cùm intellexiſſemus, vos in Italiam deſcendiſſe contra Gallos, non ſolùm *pro ulciſcendis injuriis ab*

eisdem

eisdem nobis illatis; ſed etiam pro defenſione noſtra, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cujus urbes & loca illi *contra jus & fas, Dei timore prapoſito, occupant*, ſcripſimus ad vos charitate paterna; veſtrum factum ac propoſitum laudantes, & ut in ſuſcepto jam bello perſeverare velletis, hortantes. *Plenariam quoque Indulgentiarum & peccatorum remiſſionem vobis conceſſimus: Nunc autem* pro majori honore veſtro dilectum filium noſtrum Matthæum titulo Sanctæ Potentianæ Presb. Cardinalem nationis veſtræ, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Legatum, ad vos mittere decrevimus, ut majore animo melioréque ſpe bellum proſequi, ac communes veſtros ac ſanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtes, nec non hæreticos & Schiſmaticos, qui ab illis foventur, reprimere & ſubigere valeatis. Porrò ea, quæ vobis juxta conventiones inter nos initas promiſſa fuerunt, & propter viarum diſcrimina deferri ad vos nequiverint, Legatus ipſe in ſuo adventu expediet, & alia opportuna neceſſariaque in honorem & commodum veſtrum faciet, prout ex dilectis filiis Anſelmo Graf, Curato Uraniæ, acollito noſtro, & Ulrico de Alto Saxo, vel altero eorum intelligetis, omnibus fidem præſtabitis. Datæ Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris die XXVI. Decembris, Anno D M X I. Pontificatus noſtri anno nono. Præ omnibus *Leo* X. Ennium Verulani Epiſcopum, his phaleris abundè inſtruxit. Ne tædeat ex tenebris erutas, eas in aprico vidiſſe. Leo Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Fratri venerabili, Ennio Epiſcopo Verulano, ad dilectos filios Helvetios, magnæ Ligæ veteris, ſuperioris Alemanniæ, noſtro & Apoſtolicæ ſedis Nuncio cum poteſtate legati de latere, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Cùm nos aliâs te ad dilectos filios Helvetios magnæ Ligæ veteris ſuperioris Alemanniæ, & eorundem Helvetiorum Civitates & univerſitates, oppida, terras, & loca, pro nonnullis noſtris & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ arduis negotiis, noſtrum & Apoſtolicæ ſedis Nuncium cum poteſtate legati de latere duxerimus deſtinandum. Nos cupiemus, ut erga perſonas in

Civitatibus, oppidis, terris, locis prædictis reſidentibus; ac familiares tuos continuos commenſales, te poſſis reddere gratioſum. Diſcretioni tuæ, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, Tibi officium Tabellionatus quibuscunque Perſonis idoneis, recepto ab eis juramento, in forma ſolita, concedendi, illosque tabelliones creandi de dicto officio inveſtiendi, *nec non legitimandi ſpurios, naturales, baſthardos, manſeres, nothos, inceſtuoſos, copulativè & disjunctivè, & ex quocunque illicito, ac damnato coitu procreatos, viventibus, vel etiam mortuis parentibus* eorum, ita, ut ad paternam, & alias ſucceſſiones quorumcunque bonorum admitti, & in illis ſuccedere valeant, absque tamen præjudicio illorum, qui ad prædictas ſucceſſiones, ſi perſonæ, quibus ſuccederent, ab inteſtato decederent, de jure admitti deberent, ac etiam ad honores, dignitates, gradus & officia ſecularia publica & privata recipi & aſſumi, illaque gerere & exercere poſſint & debeant, ac ſi de legitimo matrimonio procreati eſſent, illosque ad jura naturæ & quoslibet actus legitimos reſtituendi & redintegrandi. Ac etiam per te quorumcunque ſimplicium & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum cum cura, & ſine cura ſecularium, & quorumcunque ordinum regularium etiam, quæ dictæ ſedi ex quavis cauſa (præterquam ratione officialium ſedis prædictæ, & Romanæ Curiæ actu officia ſua exercentium) generaliter reſervata fuerint, reſignationes ſimpliciter vel ex cauſa, per mutationem ac commendatorum & etiam litigioſorum, quàm in Curia, quàm extra illam, ceſſationes juris & litis hujusmodi penitus extinguendi, dictáque beneficia, tam ſimpliciter quàm ex eadem cauſa, & alia quacunque, & qualiacunque infra limites civitatum, oppidorum, terrarum & locorum hujusmodi exiſtentia quocunque vacantia, & pro tempore vacatura, etiamſi de jure patronatus Laicorum, & etiam præterquam, ut ſuprà, aut ratione vocationum illarum apud Sedem prædictam vel familiaritatem continuæ commenſalitatis noſtræ, ſeu dictæ Sanctæ Romanæ Eccle-

ſiæ Cardinalium viventium reſervata, vel affecta fuerint, quorum beneficiorum ſingulorum hujusmodi fructus redditus & proventus centum ducatorum auri de Camera ſecundùm conditionem extimationis valorem non excedunt annuum, ac de Domino inter ipſa omnia per obitum vacantia plura quàm triginta reſervata, vel affecta non ſint perſonis idoneis, etiam quæcunque, quotcunque, & qualiacunque beneficia Eccleſiaſtica cum cura & ſine cura obtinentibus etiam expectantibus conferendi. Regularia verò tum ad vitam, vel ad tempus, de quo tibi videbitur, commendandi. Illáque ſeu regularia beneficia ad vitam, vel ad tempus vivendi, ac ſuper reſignatorum, vel ad te dimiſſorum ut præfertur, ſeu occaſione reſignatorum & ceſſionum hujusmodi aliorum quorumcunque beneficiorum fructibus, redditibus & proventibus quascunque penſiones annuas, non tamen tertiam partem fructuum, reddituum, proventuum hujusmodi non excedentes, prædictis reſignantibus vel cedentibus, aut aliis perſonis idoneis, & quæcunque, quotcunque & qualiacunque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, per reſignantes vel cedentes hujusmodi ad hoc tibi nominandis, quoad vixerint per beneficia hujusmodi pro tempore obtinentes annis ſingulis in locis & terminis concordandis ſeu ſtatuendis etiam ſub privationibus & aliis pœnis ſententiis & cenſuris in talibus apponi ſolitis, perſolvendis, de conſenſu illorum, qui dictas penſiones perſolvere habebuntur, reſervandi, conſtituendi & aſſignandi. *Nec non ſtatutis & conſuetudinibus Eccleſiarum, in quibus ſinguli beneficia hujusmodi forſan fuerint etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis. At cum quibusvis perſonis in dictis civitatibus, oppidis, terris & locis conſtitutis hinc inde, quarto & tertio ſimul & quarto tantùm conſanguinitatis & affinitatis gradibus, ac quocunque impedimento publicæ honeſtatis, juſtitiæ, & qui per adulterium polluiſſent impedimentis conjunctis, ut, inter ſe matrimonialiter copulari, ac remanere poſſint, prolem ſuſcipien-*

dam exinde legitimam decernendo. Nec non cum quibusvis perſonis ſuper quibusvis natalium defectibus & irregularitatibus, quas alioqui cenſuris eccleſiaſticis ligati, Miſſas & alia divina officia celebrando aut aliâs illis ſe immiſcendo quolibet, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, ut ad omnes etiam ſacros & probatos ordines promoveri & in illis aut ſuſcipiendis ordinibus etiam in altaris miniſterio miniſtrare. Quiq; de illo non teneantur in omnibus gratiis ſibi concedendis aliquam facere mentionem, uſque ad quinquaginta tantùm, & cum eiſdem, vel aliis totidem perſonis, ut quæcunque, quotcunque & qualiacunque beneficia eccleſiaſtica cum curâ, & ſine cura ſe invicem patientia, etiam in Eccleſia, in qua eorum genitor fuerit, vel erit beneficatus Domino in altaris miniſterio in ſimul non miniſtrent. Nec non cum eiſdem vel aliis etiam totidem perſonis, & quæcunque duo curata ſeu aliis invicem incompatibilia beneficia eccleſiaſtica. Cum nobilibus, & graduatis aut aliâs qualificatis, ut tria quæcunque & cum eis & ſine illis quæcunque ſimilia vel diſſimilia ſub eodem tecto conſiſtentia, & ſi cum nobilibus graduatis vel aliâs qualificatis ad duo incompatibilia beneficia eccleſiaſtica in ſimul ad vitam obtinenda diſpenſatum fuerit, cum ejuſdem nobilibus graduatis & aliis qualificatis ut tertium quodcunque ſeu aliis invicem compatientia beneficia ſecularia, aut cum uno, vel duobus ex eis, etiam ſi compatientia canonicatus vel præbendæ, & tam illa, quàm incompatibilia beneficia parochiales Eccleſiæ vel earum perpetuæ vicariæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia in cathedralibus etiam metropolitanis, poſt Pontificales majores, aut collegiatis Eccleſiis hujusmodi principales & ad dignitates perſonatas adminiſtratione, vel officia hujusmodi conſueverint, qui per electionem aſſumi, eisque cura immineat animarum, ſi eis aliis canonicè conferantur, aut ipſi eligantur, putentur vel alias aſſumantur ad illa & inſtituantur in eis, recipere, etiam incompatibilia in ſimul quoad vixerint retinere, illáque

ſine

ſint vel ſucceſſivè ſimpliciter, vel etiam eam permutationem, quotiens eis placuerit dimittere, & loco dimiſſi, vel dimiſſorum aliud, vel aliæ, ſimile, vel diſſimile, ſimilia, vel diſſimilia, beneficium, ſeu beneficia, Eccleſiaſticum, vel eccleſiaſtica quæcunque, quotcunque & qualiacunque, ut præfertur compatientia, quoad vixerint, retinere liberè & licitè valeant. *Ac inſuper cum quinquaginta perſonis in vigeſimo, cum nobilibus verò & graduatis in decimo octavo ætatis anno conſtitutis, ad obtinendum unum beneficium* Eccleſiaſticum *cum cura, etiamſi parochiali Eccleſia, vel jus perpetua vicaria, aut alias ut præfertur, qualificatum fuerit.* Nec non cum obtinente hujusmodi beneficia cum cura, quorum ratione ad omnes etiam ſacros & probatos ordines ſe promoveri facere ſint aſtricti, ut ad hujusmodi ordines ſacros infra ſeptennium, dum tamen infra biennium dicti ſeptennii, ad ſubdiaconatus ordinem promoveantur, ſed promoveri facere minimè teneantur, diſpenſandi ac hujusmodi diſpenſationes ad biennium, vel annum à fine ſeptennii hujusmodi computandi ſemel vel pluries prorogandi. Nec non cum quibusvis perſonis, ut literarum ſtudio in loco ubi illud vigeat generale inſiſtendo, vel in Romana Curia, aut altero beneficiorum ſuorum quæ obtinuerint ſeu pro tempore obtinebunt reſidendo quoad vixerint omnes & ſingulos fructus, redditus, & proventus eorundem beneficiorum, quæ propterea debitis non fraudentur obſequiis, cum ea integritate quotidianis diſtributionibus duntaxat exceptis, liberè percipere valeant, cum qua illos perciperent, ſi in Eccleſiis, in quibus dicta beneficia obtinent, perſonaliter reſiderent, etiamſi in ejusdem Eccleſiis ſive locis primam non fecerint reſidentiam perſonalem conſuetam, ratione fundationis beneficiorum obtentorum, vel obtinendorum, aut ſtatutorum Eccleſiarum, in quibus illa obtinent aſtrictis, ut illis non obſtantibus in ejusdem beneficiis perſonaliter reſidere non teneantur, nec ad id à quoquam valent coarctari. Nec non in vigeſimo ſecundo, cum regularibus verò in viceſimo

ſecundo,cum regularibus verò in viceſimo ætatis anno conſtitutis ac quibusvis perſonis defectum membrorum etiam oculi non tamen canonis patientibus,dummodo non ſit talis deformitas, ex qua ſcandalum in populo generetur,ut ad omnes etiam ſacros & probatos ordines à quocunque Antiſtite gratiam & communionem dictæ ſedis habendæ, etiam extra tempora à jure ſtatuta ſe promoveri ritè facere,& in illis etiam altaris miniſterio miniſtrare poſſit. Et cum illis,qui ſine diſpenſatione ante ætatem legitimam ſeu per ſaltum ad dictos ordines promoti fuerint, eos ab exceſſu quem propterea incurrerint,& ſuper irregularitate forſan per eos contracta, etiamſi ex beneficiis eccleſiaſticis,quæ forſitan obtinuerint, fructus perceperint, abſolvendi, utque ordinibus ſuſceptis,uti & ad alios ordines promoveri valeant,diſpenſandi. Nec non Clericos & ſeculares quoscunque,manus violentas in perſonas eccleſiaſticas,non tamen Prælatos,temerè injicientes,ac homicidium caſualiter ſeu mentaliter reatum incurrentes, ab hujusmodi reatibus & exceſſibus ac cenſuris & inde provenientibus abſolvendi. Ac cum clericis ſuper irregularitate propterea, præterquàm ratione homicidii voluntarii, contracta, quod quis ad dictos ordines promoueri,ac in illis & per eas ſuſceptis, etiam in altaris miniſterio miniſtrare, & quæcunque,quotcunque,qualiacunque beneficia eccleſiaſtica ſe invicem compatientia obtinere poſſint,diſpenſandi,eósque rehabilitandi. Nec non quibusvis nobilibus graduatis & presbyteris ut liceat eis habere altare portabile cum debitis reverendis & honore,ſuper quo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis, & cùm qualitas negotiorum pro tempore ingruente id exegerit, etiam ante diem & in locis eccleſiaſtico interdicto auctoritate ordinaria appoſitis in ſua & domeſticorum potentia ſine juris alieni præjudicio poſſint facere celebrare. Nec non quibusvis Prælatis & perſonis eccleſiaſticis, & religioſis,ut de bonis ſuis etiam undecunque licitè tamen acquiſitis juxta formam cancellariæ Apoſtolicæ teſtari valeant.

Et

Et quibus licet de civitatibus, oppidis,terris locis prædictis petentibus, ut tempore interdicti dicta ordinaria auctoritatè impoſiti, Miſſas, & alia divina officia audire, illisque intereſſe valeant, dummodo ipſi cauſam non dederint interdicto, nec contingat illis ſpecialiter interdici. *Nec non eisdem petentibus, ut confeſſorem idoneum ſecularem aut cujusvis ordinis religioſum eligere, qui eis etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis & abſolutionis beneficium* ſemel in vita & in mortis articulo plenariæ; de non reſervatis verò totiens quotiens, juxta formam in eadem Cancellaria annotatam, concedendi. Nec non vota quæcunque perſonis regnorum & dominiorum prædictorum per eas emiſſa (liminum Apoſtolicorum Petri & Pauli, S. Jacobi in Compoſtella, & ultrà marina, ac ingreſſus religionis, & perpetuæ continentiæ votis, duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. At cùm te celebrare aut Miſſæ ſolemni intereſſe contigerit, intereſſentibus centum dies indulgentiarum elargiendi. Ac appellationum quarumcunque interpoſitarum, & interponendarum ab ordinariis vel delegatis eorum tam in judicio, quàm extra & alias quascunque cauſas ad forum eccleſiaſticum pertinentes, & per vim ſimplicis querelæ per te vel alium, ſeu, alios ſumariæ, ſimplici & de plano ſine ſtrepitu figuræ judicum, ſola facti veritate inſpecta, audiendi, cognoſcendi, ac fine debito terminandi & ſubdelegandi. Nec non decem *Comites Palatinos, ac etiam decem Poëtas laureatos, decem milites aureatos, & decem accolitos Capellanos creandi.* Ac etiam verò in noſtros & Apoſtolicæ Sedis notarios auctoritate Apoſtolica recipiendi aliorum noſtrorum etiam dictæ Sedis notariorum & accolitorum Capellanorum ac aulæ noſtræ Lateranenſis Palatii comitum & militum Palatinorum numero & conſortio reſpectivè favorabiliter aggregandi. Itaque omnibus & ſingulis Privilegiis prærogativis, honoribus & exemptionibus, gratiis, libertatibus, immunitatibus & indultis gaudeant, & utantur quibus alio noſtri & dictæ Sedis notarii & ac-

coliti Capellani,ac dictæ aulæ comites & milites Palatini utuntur,potiuntur & gaudent,ac uti potiri & gaudere poterunt,quodlibet in futurum exhibendique & exhiberi faciendi eis inſignia Notariatus & Militiæ hujuſmodi,recepto tamen prius ab eis juramento ſolito. At quadraginta perſonas ſufficientes & idoneas volentes ad Doctoratus,ſeu Licentiaturæ, in utroque vel altero Jurium,ac Magiſterii in Theologia vel artibus,ſeu alios gradus promoveri primo examine rigoroſo ac diligenti , & ſervata *conſtitutione Viennenſis Concilii,& aliis ſolennitatibus*,in talibus ſervari ſolitis promovendi , ac gradus hujuſmodi inſignia ſolita,& debita conferendi & exhibendi,ſeu promoveri & exhiberi ac conferri faciendi. Quique omnibus & ſingulis privilegiis & libertatibus, immunitatibus & exemptionibus ac indultis aliis ad hujuſmodi gradus in univerſitatibus ſtudiorum gradualium promotis, conceſſis & concedendis impoſterum,uti,potiri & gaudere liberè & licitè poſſint & debeant indulgendi. Ac quibusvis privilegiis,indultis & literis Apoſtolicis quibusvis ſtudiorum generalium vel particularium univerſitatibus dictorum regnorum & dominiorum per quoscunque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros ac ſedem prædictam conceſſis ; Nec non conſtitutionibus ſynodalibus & provincialibus ac ſtatutis & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica roboratis,derogandi. Nec non fundationibus & Juri patronatus Clericorum & Laicorum mixtum,aut Laicorum tantùm. Et ſi illis ex fundatione vel dotatione competant pro medietate,aliàs in totum: Nec non conſtitutionibus & patrimonialibus derogandi.Et quibusvis mulieribus honeſtis,ut quæcunque Monaſteria & domos Monialium quarumcunque etiam obſervantiæ clauſtralium exempta & non exempta quocunque recluſa, cum tribus matronis etiam honeſtis de conſenſu earum,quæ dictis monaſteriis & domibus præfuerint,dummodò ibidem non pernoctent,devotionis cauſa quater in anno aggredi valeant. Ac decem Re-
ctoribus

ctoribus parrochialium Eccleſiarum,& aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum curatorum ipſos, quoscunque parrochianos ipſorum,utriusque *ſexus ab omnibus & ſingulis eorum peccatis & criminibus in caſibus,in quibus ordinarii locorum de jure vel conſuetudine aut aliâs abſolvere poſſent,& in illis,quæ ſedi prædicta reſervata in alia pietatis opera commutare valeant*,auctoritatem impertiendi. Nec non quibusvis quinquaginta perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus,ac etiam quorumvis Ordinum regularibus ut Leges legere,audire & diſputare,ac in eis gradus conſuetos ad Magiſterium, vel Doctoratum incluſivè ſuſcipere,ac cum regularibus, ut ubicunque locorum Verbum DEI, prædicare,dicere, & cathedram regere liberè & licitè valeant,diſpenſandi. Nec non eos,qui horas Canonicas,prout tenebantur,dicere & recitare,omiſerint,abſolvendi. Et quibusvis perſonis,ut horas Canonicas & officium divinum, ſecundùm uſum,ritum & conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ ſoli, aut cum uno vel duobus ſociis dicere & recitare. Nec non,cum quibusvis perſonis Eccleſiaſticis ſecularibus & regularibus,ut bona immobilia Eccleſiarum & Monaſteriorum ac beneficiorum ſuorum permutare,vendere, & ad tempus etiam longum locare,& in feudum & emphyteuſin, ſeu cenſum & affectum concedere,& aliâs alienare valeant concedendi,& factorum alienationum defectus tam juris,quàm facti in evidentem tantùm utilitatem Eccleſiarum & Monaſteriorum,ſeu beneficia hujusmodi conferendi. Ac etiam perſonis eisdem eorum beneficia,etiam reſervata,prout per vos concedi conſuevit, in manibus quoruncunque ordinariorum locorum, & Canonicorum Cathedralium ac Metropolitanarum Eccleſiarum,ſeu in alia dignitate conſtitutarum perſonarum ſimpliciter vel cauſa permutationis reſignandi. *Nec non ſingulis quadrageſimalibus & aliis temporibus & diebus, quibus eſus carnium,ovorum, & aliorum lacticiniorum eſt à jure prohibitus, butiro, ovis, caſeo,& tempore neceſſitatis & de utriusque medici conſilio,carnibus utendi,veſcendi*

ſcendi & fruendi. Quique viſitando unam vel duas Eccleſias,ſeu unum vel duo aut plura altaria civitatum ſive locorum,in quibus ſtationes petentes moram trahere,quæ duxerint eligenda eis,quæ quadrageſimalibus, & aliis temporibus, & diebus cujuslibet anni, quibus ſtationes urbis celebrantur, omnes & ſingulas indulgentias & peccatorum remiſſiones,quas viſitantes ſingulas dictæ urbis & extra eam Eccleſias pro ſtationibus hujusmodi viſitari ſolitas conſequantur,conſequendi. Ac viſitantibus quascunque Eccleſias ſeculares,vel regulares,ac etiam in illarum fabricas ſeu pro conſecratione, & inſtauratione earundem manus porrigentibus adjutrices in duabus vel tribus feſtivitatibus duntaxat ſeptem annos & totidem quadragenas vel infra dictum tempus illud,*quod tibi videbitur*, de injunctis tibi pœnitentiis in Domino relaxandi miſericorditer. Itaque perpetuò, vel ad tempus, prout tibi videbitur, durare habeant. Nec non incolis,habitatoribus,& perſonis, & eorum ſingulis, ut temporibus interdicti auctoritate ordinaria appoſiti Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere, & decedentium corpora ſine funerali pompa Eccleſiaſticæ ſepulturæ tradi poſſint, concedendi. Ac prædictis facultatibus, & gratiis, conceſſionibus,& indultis erga familiares tuos continuos commenſales te in hujusmodi officiis legationes ſequentes. Etiam, ſi de civitatibus,oppidis,terris,locis & dominiis prædictis non fuerint & ipſi familiares tui,idioma loci non intelligant,nec intelligibiliter loqui ſciant,utendi. Ac omnes & ſinguli,quibus gratias & indulta hujusmodi juxta facultatem tibi conceſſam, conceſſeris,ſeu erga quos hujusmodi facultatibus uteris,à quibusvis ex cauſis ſuſpenſionis ac interdicti,aliisque Eccleſiaſticis ſententiis cenſuris & pœnis á jure vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus innodati erunt, etiamſi forſan in illis ultra annum inſorduerint,aut,pro re judicata,excommunicati fuerint,per te ad effectum gratiarum eis concedendarum, duntaxat, abſolvendi, & abſolutos fore nunciandi. Nec non omnia & ſingu-

la

la beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, quæ ſinguli etiam prædicti ex quibusvis diſpenſationibus Apoſtolicis obtinebant, & expectabant, ac in quibus & ad quæ, jus eis competit, quæcunque, quotcunque & qualiacunque fuerint, eorúmque fructuum, redditaum & proventuum veros omnes valores ac hujusmodi diſpenſationum honores ſimiliter ad effectum gratiarum hujusmodi & literarum tuarum deſuper conficiendarum validitate pro expreſſis habendi. Irritum quoque & inane, ſi ſecus ſuper à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit, attemptari, decernendi. Præſertim autem quibusdam literis Sixti Papæ quarti, prædeceſſoris noſtri, quibus inter alia cavetur expreſsè, quod Nuncii prædictæ ſedis pro tempore deputati, etiam cum poteſtate Legati de latere, eorum facultate, tam quoad beneficia conferenda, quàm diſpenſationem & alias gratias, per eos concedendas, uti non poſſint, & quævis clauſulæ in facultatibus, nunciis hujusmodi appoſitæ, adverſus dictas literas nunquam nullatenus ſuffragentur. Nec non quibuscunque generalibus vel ſpecialibus reſervationibus, pro tempore factum. Nec non defectibus prædictis & unionibus committendis ad partes & de Idiomate. Nec non Viennenſis, Pictavienſis, Lateranenſis, & generalium Conciliorum, ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Eccleſiarum Monaſteriorum, locorum & ordinum quorumcunque, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis etiam Cluniacenſis, Ciſtercienſis, Brandionenſis, & literis Apoſtolicis per ſedem prædictam, & ejus Legatos ordinibus & monaſteriis hujusmodi conceſſis latiſſimè derogandi. Nec non gratiis exſpectativis quibusvis perſonis, etiam familiaribus noſtris, continuis commenſalibus vel aliis conceſſis ſeu concedendis, quas, ut conceſſis tibi facultatibus & auctoritatibus uti valeas ſuſpendimus, quoad vacatura, beneficia per te vigore præſentium conferenda, cæterisque contra-

tiis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, facultatem concedimus. Datum Viterbii, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, quingenteſimo, quartodecimo, octavo Idus Octobris, Pontificatus anno ſecundo. De Sixto IV. conſule ὁδηγὸν, P.III. p.407. *Hiſt. Eccleſ.* Seculo XV. p.349. Leo merces ſuas paulò pòſt exponet.

3. Alia dona & munera extraordinaria 1. Prætoriam cohortem ex Helvetiis alere cœpit, ab anno Chriſti 1505. *Stettler*. 2. Certo Tigurinorum ſtudioſorum numero ſtipendia decreta, ut ſuo loco audiemus. 3. Pileum ipſis, gladium, cum vexillis ad pompam factis, obtulit: *Idem*, an.Ch.1512. pag.463.b. Quibus tamen apud alios tantam gratiam non iniit, quantam ſibi largioribus ſtipendiis pro tam fortiter geſtis rebus conciliâſſet. *Stettler*. pag.467.

II. Quanti *Galliarum* Reges, cæterique regni illius inquilini Helvetiorum nonnunquam fecerint amicitiam, patet, 1. quòd compaternitatis iis honorem detulerint, an.Ch.1522. quo communis Helvetiæ civitas, rogatu Franciſci Gallorum Regis filium, Carolum IX. ex ſacro baptiſmate ſuſtulit: *Schvvitz*. & *Stettler*. Gratiæ tum Regis nomine actæ, non ut patrinis, ſed ut Patribus regni: *Tropha. Helv*. p.23. Et an.Chr.1547. quo *Andreas Schmidius*, Tigurinus communi Helvetiorum nomine pro filia Regis Francorum in Sacro-Sancto baptiſmo fidejubet. *Id*. 2. Quòd fateri non dubitârint, ſe fœdus cum Helvetiis à Majoribus acceptum, inter pretioſiſſima avitæ hæreditatis referre κειμήλια. Id quod ad Helvetios perſcripſit Henricus III. Pro Henrico IV. loquatur ſermo habitus ad Legatos Helvetiæ, cùm fœdus reſtauraretur, apud Matth. Par. P.II. lib.5. pag.411. Habeo & Epiſtolam ejus ad duos Colonellos ſcriptam, quæ teſtimonio eſſe poteſt, quàm grata ei in rebus arduis Helvetiorum fuerit opera. Digna proinde eſt, quæ in poſteritatis gratiam, ex tenebris eruatur:

A Mes-

A Meſsieurs les Colonels Galaty & Baltaſar.

Meſsieurs les Colonels mes amis, C'eſt à ce coup qu'il faut que vous me faciéz paroitre, que vous m'aimez, car les ennemis ſe reſoliient de venir à nous, ie m' aſſure que vous auriès trop de regret qu'une ſi belle occaſion ſe paſſat ſans vous, & de m'auoir abandonné à ce beſoin. C'eſt pourquoy ie vous en fais ce mot de ma main, pour vous prier ſurtant, que vous m'aimés & le bien de France, que vous vous auanciés à ce coup, eſtans aſſurés que vous me ferés en cela un ſignalé ſervice, & que ie m'efforceray de reconnoitre en toutes occaſions qui ſe preſenteront. I'ay tant de confience en voſtre affection outre ce q'uil y va de l'homeur, que ie ne penſe eſtre beſoin de vous en dire davantage, priant Dieu qu'il vous tiene en ſa ſainte garde, le 27. Novembre au Camp, deuant la Fere.

Confer *Stettler.* Tom.II.lib.3.an.Ch.1535. & Tom. I.lib.7. an. Chr.1446. ubi Helvetiorum beneficia Rex Carolus prolixè commendat. Lib.6.an.Ch.1476. fatetur, ſe, ſi à Deo diſceſſerit, plurima ſibi de Helvetiis polliceri.

3. Varia munera, tum ut fœdere ſe ei agglutinarent; tum ut nemini ſuam contra ipſum operam addicerent; cujus poſterioris conditionis meminit *Stettler.* an.Chr.1502.pag.373. Sed & Scriptores nonnulli Gallici (contra quàm alii faciunt) Helveticæ fortitudinis præcones ſunt largi; ut Bartaſius, Cantique de la Vict. d'Yury.pag.205.

Ita & *Bodinus: Ab Helvetiorum ſalute & tranquillitate, ſecuritas Francorum quodammodo pendere videtur*; apud *Caſp.Ens*, Theſaur Polit.apotel.23.p.391. Plura recitat *Matth.Par.* P.II.l.5.p.395.& deinc.

III. Dux Mediolanenſis, vix alio Helvetios, quàm Patrum nomine, appellare conſuevit. Vide *Stettler*.an. Chr.1514.pag.515.& 517.

XXXVIII. Supereſt *religio* pro duplici

plici temporum periodo, duplici conſideranda ſtatu.

XXXIX. Primo ſtatu *Gentiliſmus* occurrit, quo veteres Helvetii erant imbuti.

Veteres Gentiles ſuperſtitioni nec finem poſuiſſe, nec modum, vel ex iis manifeſtum eſt, quæ de eorum Idololatria ſcripſit *Gerardus Iohannes Voſſius*. De Helvetiis nunc nobis ſermo eſt, qui, Gallis annumerati, Gallorum etiam, dubio procul; (quanquam & à Germanis eos multa mutuâſſe, veriſimile eſt) ſecuti fuerunt ſacra. De quibus quidem prolixè ſcripſerunt *Stumpf. Guillim. Huld.* Hiſt. Fel. & Regulæ; alii, quibus *Simlerum* addimus ex Antiquitatum Helveticarum *ἀνεκδότων* lib. 1. quem, dum hæc meditabamur, opportunè Venerandus Eccleſiæ noſtræ Antiſtes, *D. Iohannes Iacobus Huldricus*, obtulit. Locus de religione & ſtudiis veterum Helvetiorum ita habet: De Gallis igitur Cæſar primùm in hanc ſententiam ſcribit: *Deum maximè Mercurium colunt: hujus ſunt plurima ſimulacra. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum: hunc ad quæſtus pecuniæ, mercaturáſque habere vim maximam arbitrantur. Poſt hunc Apollinem, & Martem, & Iovem, & Minervam. De his eandem ferè, quam reliquæ gentes habent opinionem: Apollinem morbos depellere: Minervam operum atque artificiorum initia tradere: Iovem imperium cœleſtium tenere: Martem bella gerere. Germani verò, quid illi, quos Deos colunt? Deorum numero eos ſolos ducunt, quos cernunt, & quorum operibus apertè juvantur. Solem, & Vulcanum & Lunam: reliquos ne famâ quidem acceperunt.* Utriusque ſuperſtitionis etſi par eſt impietas, tamen ſi religio Helvetiorum ex vetuſtis inſcriptionibus æſtimanda eſt, magis ad Gallorum, quàm Germanorum ſuperſtitionem accedit, quanquam pleraque quæ in his habentur, eos à Romanis accepiſſe crediderim. *Mercurii*, quem Galli

ut Cæſar tradit, Deorum omnium maximè coluerunt, imago adhuc extat Vindoniſſæ in muro templi, veteris ſuperſtitionis teſtimonium. Præterea vetuſtæ inſcriptiones oſtendunt, majores noſtros coluiſſe *Iovem, Apollinem, Iſidem, Fortunam,* Deos manes, & hos forte ex veteri ſuperſtitione patria: deinde Deam *Eponam, Deam Aventiam*, *Genios locorum*; *Numina Auguſtorum*: quæ Numina ipſos vel à Romanis accepiſſe, vel Romanorum imitatione ſibi confinxiſſe crediderim.

Iovis & *Fortunæ* & *Genij* mentio fit in ſtatua veteri, quæ Paterniaci viſitur

JOVI O. M
GENIO. LOCI.
FORTUNÆ
REDUCI D. AP
PIUS AUGUS
TUS DEDICA.

Iſidis templum fuiſſe in pago Tigurino, non longè à Caſtello calidarum aquarum, ſequens inſcriptio oſtendit, quæ in proximo vico, Wettinga nomine, in pariete templi poſita eſt.

DEAE ISIDI TEMPLUM A SOLO
LANNUSIUS MAGIANUS
DE SUO POSUIT VIR AQUENSIS
AD CUJUS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINULA CONJUNX
ET PEREGRINA FIL. XC. DEDE
RUNT L. D. D. VICANORUM.

Eſt etiam in pago Tigurino inter Albium montem, & Urſam fluvium mons, in quo multa adhuc rudera, & veteris cujusdam ædificii veſtigia reperiuntur, vulgus locum templum Ethnicum ſua lingua nominat, & mon-

tem *Iſenbergium*,quaſi dicas Iſidis montem,unde Iſidis templum hoc loco fuiſſe,conjectura eſt.

Apollinis verò atque Numinis Auguſti, & Genii mentio fit in Aventicenſi inſcriptione

NUMINIB. AUG.
ET GENIO COL. HEL
APPOLLINI SACR.
Q. POSTUM. HUGINUS
ET POSTUM. HERMES LIB.
MEDICIS ET PROFESSORIBUS.
D. S. D.

Auguſtorum Numina coluere,quòd Romani Imperatores inter divos referrentur,ſæpe etiam pari adulatione vivis Imperatoribus divinos honores decrevêre. *Genios* verò *locorum* religiosè coluerunt, quòd crederent, varios cuſtodes urbibus à divina mente diſtributos, & ut animas naſcentibus, ita populis fatales genios dividi: ut Symmachus ait, quam ejus Sententiam Prudentius his verbis expreſſit:

At ſolers Orator ait: fataliter urbem
Sortitam,quonam Genio proprium exigat avum:
Cunctis nam populis ſeu mœnibus inditur,inquit,
Aut Fatum,aut Genius noſtrarum more animarum
Quæ ſub diſpari ſubeunt nova corpora ſorte.

Eſt autem frequens *Geniorum* mentio in vetuſtis inſcriptionibus. Nam præter duas proximè poſitas in aliis duabus Aventici inſcriptionibus mentio fit Geniorum & in cœnobio Wiler & Paterniaci:

GENIO
PAG. TIGOR
P. GRACCIUS
PATERNUS
CUR. COL. ET
SCRIBONIA
LUCANA
V. VEC.

ibidem

ibidem

DEAE AVENTIAE
ET GENI. INCOLARUM
T. JANUARIUS
FLORIANUS
ET P. DOMITIUS
DIDYMUS
CURATORES COL.
EX STIPE ANNUA.

Mentio etiam ſit in Villarienſi inſcriptione *Dea Aventia*. Quæ fuerit *Dea Aventia* affirmare certò non poſſum: Aventinæ quidem Dianæ meminit Propertius:

Phyllis Aventina quadam eſt vicina Diana.

Lunæ etiam Aventinæ Ovidius meminit:

Luna regit menſes, hujus quoque tempora menſis
Finit, Aventino Luna colenda jugo.

Strabo, inter indicia amicitiæ Romanorum cum Maſſilienſibus commemorat, qui apud eos ſimulacrum divinæ Aventinæ poſuerint καὶ δὴ καὶ τὸ ξόανον τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν τῷ Ἀβεντίῳ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἔχοντες, παρὰ τοῖς μασσαλιώταις ἀνέθεσαν.

Verùm an hîc *Aventia* Dea ſit, quæ Romæ in Aventino colebatur, non temerè affirmarim: fortè erat hæc Aventicorum peculiaris, & quaſi oppidi tutelaris Dea, quales ſingulæ urbes habuère apud Gentes: ſic urbi Romæ & aræ ſacratæ fuerunt, & in nummis, & in aliis inſcriptionibus ſæpe legitur: ROMAE AETERNAE: ſimiliter in Italia Ferentinæ lucus ſæpe à Livio nominatur: eſt autem Ferentina Dea à Ferentino oppido nominata.

Epona mentio fit in fragmento, quod Solodori extat, & ſuprà à nobis poſitum fuit. Quidam mendum eſſe arbitrati ſunt, & DEAE BONAE legendum exiſtimârunt: ſed non tantùm in hac inſcriptione expreſsè nomen EPONAE poſitum eſt, ſed idem in Carinthiæ inſcriptionibus legitur:

HERCULI ET EPONE AVO fortè; Ex.Vo.
PRO SALUTE IMP. CAES.
MAUR. ANTONINI PII
FELICIS. INVICTI.

Extat & aliud monumentum in *Bojoaria* inferiori, in quo CAMPES & EPONAE votum ſolvitur: Præterea Prudentius in Apotheoſi:

Nemo Cloacinæ aut Eponæ ſuper aſtra deabus
Dat ſolium, quamvis ſolidam perſolvat acerram,
Sacrilegisq́; molam manibus rimetur & exta.

Videtur autem *Epona* eſſe, quæ & *Hippona* quaſi ſtabularia, quòd jumentis præſit: de qua Juvenalis:

Iurat ſolam Hippo, & facies olida ad præſepia pictas.

Quo loco *Adrianus Turnebus* docet, authoritate veterum, exemplarium, apud Juvenalem *Eponam* legendam eſſe. Originem turpiſſimam hujus Eponæ Plutarchus in Parallelis minoribus tradit: quam qui velit ab ipſo petat: munus ejus his verbis indicat:

Ἔστι δὲ Θεὸς πρόνοιαν ποιουμένη ἵππων.

Verùm, quicquid hoc ſit, & quæcunque tandem Epona fuerit, apparet, Helvetios Romanorum Deos, magnos & parvos, & medioximos coluiſſe. Coluerunt autem eos haud dubiè ea ratione, qua & cæteræ gentes, templis, aris, ſtatuis, ſacrificiis, feſtis diebus, votis & ſimilibus ceremoniis: habebant etiam *Flamines* & *Flaminicas*, quæ ſacris operarentur: utriusque teſtimonium præbent inſcriptiones, quæ *Agauni* habentur:

M PANSIO COR
FILIO SEVERO
II VIR FLAMINI
JULIA DECUMINA
MARITO

Alia ibidem.


V F
JULIA DECUM. FIL.
DECUMINA
FLAMINICA

Mihi

Mihi etiam veriſimile fit, *Seviros Auguſtales*, quorum in aliis inſcriptionibus fit mentio, è ſacerdotum numero fuiſſe. Jam quod ad *funerum curam & ſacra parentalia* attinet, multæ inſcriptiones DIIS MANIBUS ſatis teſtantur, majorum noſtrorum ſuperſtitionem: & aræ quoque, in quibus manibus defunctorum thus adolebant. Cujus generis duæ extant in pago Tigurino, una Raperſuilæ hac forma:



Altera verò ad aquas Helveticas.



Nuper etiam, in pago Tigurino, Uſterio vico, ſepulchrum à ruſticis fodentibu repertum eſt, quamvis abſque inſcriptione, in quo urna fictilis & conticula ærea cum manubrio, haud dubiè in uſum ſacrorum, quæ Diis manibus fiebant, parata.

Sed ne hoc ſilentio præterire videar, accuſantur Galli barbarę crudelitatis, quòd homines, diis gratiſſimum animal, victimarum loco immolârint: & Germanos quo-

quoque humanis hoſtiis Mercurio litâſſe tradit *Tacitus*. Quid ergò dicemus,an ab hac crudelitate barbarica majores noſtros excuſabimus? quî verò id poſſemus, cùm factum negare non poſſimus? Quis enim credat,nos aliter feciſſe,quàm tum tota faciebat Gallia & Germania? neque ſolùm Germania,ſed ipſa parens, domina rerum Roma,hujusmodi ſacra in foro Boario fecit,& ita Saturnum placârunt Carthaginenſes: quin & Græci, Ægyptii,Arabes, Thraces, Scythæ, quondam humanis hoſtiis litabant. Quin & ipſe populus Dei, cùm à vera religione defeciſſet ad tantam cæcitatem redactus eſt,ut liberos ſuos Molocho offerret. Eſt quidem hæc atrocitas magna, & juſtiſſima pœna eorum, qui, deſerto Creatore,creaturas coluerunt,eſt νοῦς ἀδόκιμος,ſed communis gentium atrocitas, ne fortè ſolos Gallos & Germanos immanes fuiſſe credamus: qui mihi etiam cæteris gentibus humaniores in hac re fuiſſe videntur. Illi enim liberos ſuos diis immolabant, ſed Galli ſupplicia eorum,qui in furto aut latrocinio aut in aliqua noxa ſunt comprehenſi,gratiora diis immortalibus eſſe arbitrantur; ſed cùm ejus generis copia deficit etiam ad innocentium ſupplicia deſcendunt. Verùm immania hæc ſacrificia Romanis legibus ſublata ſunt: quo nomine etiam verè Romanos laudat *Plinius*,quod ſuſtulerint monſtra, in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat: attamen illi neque penitus hæc abolere potuerunt,quando *Mela* ſcribit, ſua ætate manſiſſe veſtigia feritatis jam abolitæ: ut enim ab ultimis cædibus temperarent, tamen nihilominus ſolitos devotas altaribus admovere & delibare: & præterea non minus impia ſacra in locum veterum ſubſtituere.

Affinia veterum Helvetiorum ſacris,ſtudia ſunt literarum; quæ verò & qualia illa fuerint,idem etiam *Simlerus* noſter oſtendit. Apud Gallos,*inquit*,fuerunt tria hominum genera,qui ſapientiam profitebantur,*Bardi, Vates* & *Druidæ*. *Bardi* erant Poëtæ,qui præclaros viros carminibus celebrabant. *Vates* ſacris operabantur

& Phy-

& Phyſices ſtudioſi erant. *Druidæ*, illi quoque rebus divinis intererant, ſacrificia publica & privata procurabant: religiones interpretabantur. Multa præterea de animarum immortalitate, de ſyderibus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate diſputabant. Eosdem *magiæ* ſtudioſos fuiſſe *Plinius* tradit, verè an falsò, ipſe viderit. *Strabo*, eos Philoſophiam morum ſtudioſè tractâſſe tradit, ideóq; illis propter juſtitiæ & probitatis opinionem judicia publica & privata fuiſſe commiſſa. *Diodorus* Philoſophos & Theologos Gallorum Saronidas nominat, quos illi in præcipuo honore habuerint. Eosdem nonnulli *Semnotheos* nominant: qui fortè Druides etiam erant. An autem in Helvetia Druides fuerint, affirmare nolim: Nam, cùm Germanis vicini fuerint, cum quibus quotidie præliabantur, fortè magis ad Germanorum mores inclinabant, qui nullos Druides habuerunt, ut *Cæſar* ſcribit, & apud quos literarum ſecreta, ut *Tacitus* ait, viri pariter ac fæminæ ignorant. Poſteaquam verò Romanis paruerunt Helvetii, cœperunt apud eos florere bonarum artium & literarum ſtudia, cujus rei certiſſima argumenta afferre poſſumus. *Claudium Coſſum* legatum Helvetiorum facundia celebrem fuiſſe indicat *Tacitus*; cujus eloquentia patriæ ſaluti fuit: nam cùm Helvetiis iratus eſſet Vitellius, quòd ſoli ex omnibus Gallis arma pro Galba contra ſe cepiſſent: & milites etiam civitatis excidium poſcerent, atque tela & manus in ora legatorum intenderent: neque imperator ipſe minis temperaret; hic unus oratione ſua impunitatem, ſalutémque civitati impetravit. O præclarum oratorem, qui non tantùm Imperatorem iratum placare, infenſum reconciliare civitati ſuæ potuit; verùm etiam militem victoria inſolentem, naturâ pronum ad crudelitatem; adhæc prædæ cupiditate & avaritia ardentem, ad miſericordiam inflexit, & prædam, quam jam ſpe devorârunt, ut negligerent, perſuaſit. Quòd ſi cauſæ privatæ, & quæ in foro quotidie verſantur, non poſſunt

aptè & eloquenter agi, niſi ab eo Oratore, qui & multarum & magnarum rerum atque artium peritiam habeat, quomodo graviſſimam totius Reipublicæ cauſam abſque his præſidiis artium, & civilis uſus agere hic Orator potuiſſet? Viguiſſe autem *ſtudia eloquentiæ* in his regionibus, teſtatur inſcriptio, quæ non longè à Geneva ad Lacum Lemannum in via publica extat, poſita L. Aurelio Reſpecto Cauſidico.

D. M.
L. AUR. RESPECTO JUVEN.
ERUDITO CAUSIDICO
BIS CIVI VALINSAE
ET JOVIS TRI. DEI UNC
TO ANNORUM XVIII
FILIO PIENTISSIMO
L. AUREL. RESPECTUS
PATER PONENDUM
CURAVIT

Neque quæro nunc, quantâ Eloquentiâ fuerit hîc *L. Aurel. Reſpectus*, neque eum his parem fuiſſe contendo, qui vel inter mediocres oratores Romæ cauſas agebant. Hoc tantùm dico, apparere ſtudium & induſtriam in eo, qui natus annos duntaxat decem & octo, in foro cauſas egit: apparere hinc contendo, artes has honoratas fuiſſe, ideóque etiam excultas. Sed tamen clarius teſtimonium ſtudiis noſtrorum perhibet *Aventicenſis* inſcriptio, quam ſuperius poſitam non piget denuò repetere:

NUMINIBUS. AUG.
ET GENIO. COL. HEL.
APPOLLINI SACR.
Q. POSTUM. HUGINUS
ET POSTUM HERMES LIB.
MEDICIS ET PROFESSORIBUS.
D. S. D.

Fuerunt ergò *Aventici Profeſſores*, qui Philoſophiam

m videlicet & eloquentiam docerent, poſitis ſtudiis
ellorum cùm pacatè ſub Romano imperio viverent,
Ielvetii à Martis ad Muſarum ſtudia ſe contulerunt.
uit autem hæc Romanorum vetus,ut videtur,conſue-
ıdo, qui Gentes Barbaras redactas in provinciæ for-
ıam Romanis moribus & ſtudiis imbuebant, & lin-
uam Romanam, quàm latiſſimè per provincias pro-
abant: Ita apud Tacitum Gallorum & Helvetiorum
omina ſunt longè alia, quam apud Cæſarem Orgeto-
x, Divico, Numejus, Verodontius, quorum omnium
iallica eſt origo: at apud Tacitum legas Claudium
everum, Julium Alpinum, Claudium Coſſum, hic in
etuſtis inſcriptionibus occurrunt nomina Decimi Ap-
ii D. Valerii. P. Domitii. C. Plinii. M. Otacilii. L. Ca-
ıilli Fauſti. D. Panſii Severi & mulierum nomina Ju-
a Cenſorina, Julia Decumina, Ælia Modeſtina, Scri-
onia, Lucana, Julia, Fl. Severiana & ſimilia, quę omnia
on amplius Gallica; ſed Romana, ſed Latina ſunt. Cum
ıſa verò lingua *Philoſophia* quoque & eloquentiæ *ſtu-
ia* à Romanis ſunt propagata & boni Imperatores in
am curam incubuêre, quo nomine inter cæteros *An-
minus Pius* commendatur, qui Rhetoribus & Philo-
ophis per omnes provincias & honores & ſalaria detu-
t Lugduni certè floruiſſe eloquentiæ ſtudia, vel illa Sa-
rici. Lugdunenſis ara teſtatur. Crediderim ergò, Hel-
etios, & domi, Aventici, & aliis in urbibus ſuos habuiſ-
: Profeſſores, & deinde in Galliam, Lugdunum, & ad
lias urbes profectos, ubi magis florebat Eloquentia, ibi
: in his ſtudiis exercuiſſe. Galliam certè & Africam
ıultos habuiſſe cauſidicos, verſiculus Satyrici teſtatur:

Gallia cauſidicos, &c.

Quod autem nulla veteris eruditionis monumenta
uperſint, non eſt mirandum, cùm hujus rei variæ ſint
auſæ. *Primùm* enim eorum, qui eloquentiæ ſtuduêre
pud veteres in ipſa urbe Roma, non modò in provin-
iis pauciſſimi fuerunt, qui aliquid literis mandarent:
k fortè etiam Galli in Philoſophia Druidarum mo-
em veterem retinuerunt, qui ſuam diſciplinam literis

 mandare

mandare non fas eſſe exiſtimabant,quòd neque in vulgus diſciplinam efferri velint, neque eos, qui diſcunt, literis confiſos, minus memoriæ ſtudere, quod ferè plerisque accidit,ut præſidio literarum diligentiam in perdiſcendo ac memoriam remittant. Præterea,ut maximè aliquid literis mandârint,tamen exterarum gentium irruptiones frequentes & everſiones celeberrimarum urbium Aventici, Coloniæ,Rauracæ,Vindoniſſæ nobis omnem admirationem adimunt,cur nulla literarum monumenta ſuperſint. Quæ autem dogmata fuerint Philoſophorum apud Gallos & Helvetios, ſi fortè quis à me quærat, reſpondebo, ea procul dubio, quæ tum in Italia florebant,Academiæ & Stoæ præcipuè: Nam hæc & moribus noſtrorum hominum,& veteribus opinionibus maximè congruebant. Fuit enim hoc quaſi Gallicæ Philoſophiæ fundamentum, quod & Druides tradebant, & Gallis omnibus perſuaſum fuit, animas hominum morte non interire,ſed immortales eſſe,veluti graviſſimi auctores *Cæſar,Strabo,Diodorus, Mela,Valerius Maximus* de Gallis ſcribunt. Hujus autem perſuaſionis cauſam exiſtimant,ut Galli contemptu mortis, fortiores eſſent, atque ad bella meliores. Quod ut verum ſit,tamen non huc tantum majores noſtros ſpectâſſe arbitror, verùm hanc doctrinam à Japeto primisque patribus acceptam conſervâſſe, & hac ſententia ad omne genus virtutum ſuos homines excitâſſe crediderim.

XL. Succedit *Chriſtianiſmus*, quem magno etiam fervore Helveticæ gentes fuerunt amplexæ.

Quæ fides fuerit veterum Gallorum, & Germanorum, & Helvetiorum, exponam verbis *Irenæi* lib. 1. adverſus hæreſes: *Eccleſia per univerſum terræ orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Dominum Patrem Omnipotentem, qui fecit cœlum & terram,*

m,mare & omnia,quæ in iis ſunt,& in unum Ieſum riſtum,filium Dei,incarnatum pro noſtra ſalute,& Spiritum ſanctum,qui per Prophetas prædicavit diſitiones Domini, & adventum, & eam, quæ eſt ex rgine generationem, & paſſionem, & reſurrectionem vortuis, & in carne in cœlos aſcenſionem dilecti Ieſu riſti Domini noſtri & de cœlis in gloria Patris adntum ejus, ad recapitulanda univerſa, & reſuſciıdam omnem carnem humani generis,ut Chriſto Ie-Domino noſtro, & Deo,& Salvatori, & Regi,ſecunm placitum Patris inviſibilis,omne genu curvetur, leſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua fiteatur ei, & judicium juſtum in omnibus faciat. ritalia quidem nequitiæ & angelos transgreſſos ate apoſtatas factos, & impios & injuſtos, & iniquos, blaſphemos homines in æternum ignem mittat. Iuſtis tem & æquis, & præcepta ejus ſervantibus, & in ditione ejus perſeverantibus, quibusdam quidem ab tio,quibusdam autem ex pœnitentia,vitam donans, corruptelam loco muneris conferat,& claritatem ænam circumdet. Hæc eſt vera & antiqua fides majon noſtrorum,quam amplexæ ſunt,ut *Irenæus* teſta-, omnes Eccleſiæ per Germaniam,Hiſpaniam,Galn,&c. In Ægypto,in Lybia,in Oriente,per univerı denique terrarum orbem: Hæc eſt ſancta traditio ies ab Irenæo, Tertullianoque vetuſtiſſimis ſcriptous commendata, quam nos venerabundi retinere demus. Sed fuſiùs de primæ Theologiæ capitibus ɔi à nobis eſt actum, præſertim P.I. ὁδηγῦ cap. 1. & *Hiſtoria Eccleſiaſtica,* ad cujuslibet Seculi ζυμβίξα-

Ad pleniorem autem Chriſtianiſmi in Helvetiam iti notitiam,duo diligenter ſunt obſervanda:

A. *De prima in Helvetia accenſa Evangelii face, rerſas eruditorum eſſe ſententias.* Alii Beato, Brinno; Apoſtoli Petri diſcipulo acceptam eam ferunt. prolixè *Guillim.* lib.2. cap.15. Alii tamen, quibus :a illa narratio vel ſuſpecta videtur,vel ridicula (vide *ılder.*l.c.pag.12. & *Præfat.*in Hiſt.noſt.Eccleſ.P.III.

ſubi

ubi quàm variè inter Hiſtoriam & fabulam fluctuent, quæ de περιβεκήρυξι Helveticis tradunt plerique, monuimus) Legionis Thebææ diſperſionem, copiam nobis tanti feciſſe theſauri, conſtanter aſſerunt. Hiſtoriam prolixè narrant annales domeſtici & exteri, quorum nomina expreſſimus P.I.ὁδηγῦ cap. I. Qui prioris ſententiæ patrocinium ſuſcipiunt, ipſi vident, difficultatibus eam laborare. Unde *Guillim.*lib.cit.cap.15.p.136. *Quos Beatus in Helvetia reliquerit ſucceſſores & diſcipulos, quiq; poſt eum Chriſtiana religioni præcipuè incubuerit, non ita exploratum eſt. Nam & ſæviſſimæ deinde in Gallia, ſub Antoninis, Aureliano & denique Maximiano perſecutiones fuerunt & eodem tempore, Chriſtianorum ſcriptis, & omnibus primæ & antiquæ veræ pietatis inſtrumentis incenſis, eorum pariter memoria apud homines propè extincta eſt. Poſtquam verò perſecutionum procellæ deferbuerunt, Conſtantiniq; Imperio fides confirmata eſt, Helvetia viris ſanctitate & miraculis conſpicuis nunquam caruit.* Neſcio, livore an ignorantia Legionem Thebæam ſuppreſſerit, quâ poſitâ, nodus hic facilè ſolvitur. Quanquam & hoc certum videatur, non ſimul Paganiſini tenebras ex Helvetia eſſe pulſas. Collum, Columbani diſcipulum, ſexto adhuc ſeculo, Tucconliæ ad Limagi ſuperioris fauces, delubrum incendiſſe, ſcribit *Mur.*Helv.Sanct.p. 96. & 196. & *Guillim.*l.c.pag.138. Fridolinum, Glaronenſem regionem, & viciniam partim convertiſſe, partim in fide ſuſcepta confirmâſſe, habet *Guillim.*lib.cit. pag.137. Mortuus autem hic demum fuit an.Chr.514. Sed & Romanum & Lupicinum Burgundorum, Aventicorum, aliorúmque Helvetiorum ſeculo ſexto; quo inculta & fera adhuc fuit religio; Evangeliſtas fuiſſe, refert uterque.

B. Helvetiam, Chriſtianiſmo imbutam, doctrinæ, ſine dubio, illius fuiſſe, ad tempus, tenaciſſimam. Id enim gentis probat candor & veſtigiorum avitorum ſedula obſervantia. Unde & novitatibus ſe, paulatim emergentibus, acriter oppoſuit. Fateor quidem, Creſcenti-

bus

ius in Eccleſia ſuperſtitionibus, & blandiente Monachatu, ipſam quoque Helvetiam nonnunquam ſuccubuiſſe. Hinc tot ubique videas peregrinos Monachos ſedem in montanis noſtris regionibus fixiſſe. Vix usquiam plura Monaſteria, quàm in Helvetiæ arctis cancellis. Somnia ſua & deliria, quàm impudenter nationi noſtræ homines otioſi obtruſerunt? Habemus, præter figmentum illud de Lacu Pilati, *Daniel. Eremitæ*, Pontificii, querelam deſcript. Hel. pag. 489. *Retruſiſſima inibi* (apud Sedunos) *ædificia, ædesq́; etiam ſacra, montium crepidinibus præcipitiisq́; adhærent; in hoc urgente religione, tanquam major ibi ejus ſit reverentia, ubi major ſolitudo, & cultus potior, ubi major labor. Sic Iaaria illa, ſic Bremiſa, ſic apud S. Bernhardi D. V. Sacra, ſic infinita ſurrexerunt: in tantum aucta ſuperſtitione, ut Idolo, quod ibi antiquitus prætereuntium cultui habebatur, ſacellum circumſtruxerint; nugante vulgo & credente, dejectos hic à D. Bernhardo dæmones ibidem includi.* Templorum ſtructuris quàm carioſa fabularum poſita ſunt ſæpe fundmenta? De fune cœlitus demiſſo in aream erigendi Monaſterii Abbatiſſani apud Tigurinos, alibi dicemus. Sanctorum vitæ in Helvetia vix, ut plurimum, meliores & certiores nacti ſunt authores, quàm cæteri, de quibus notæ ſunt querelæ *Lud. Vives*, & *Melchioris Cani*. Unde multorum Scriptores hodiernos pudet, de quibus ante Reformationem nemo facilè dubitavit. Sit exemplo Theodulus; de quo *Murer*. Helv. S. pag. 135. Es ſchreibt auch obgeſagter Robertus vnder anderen ein wunderbarliche hiſtori vnd geſchicht/wie der heilige Theodulus einen Teuffel beſchworen (alii tamen paulò aliter; ut in *Hiſtor. Eccleſ.* monuimus.) der ihne gen Rom für des Papſts gemach oder zimmer/vnd nach verꝛichtung ſeiner geſchäfften/widerumb von Rom gen Sitten in Wallis mit ſamt einer groſſen glocken tragen ſolte. Dieweil aber diſe geſchicht von keinem Authentiſchen Scribenten beſchriben/vnd Cæſar Baronius, deßgleichen eine vom H. Biſantziſchen Biſchoff Antidio, ſo im jahr 411. gelebt/

geſebt/vnd von den Vandalis oder Wanden gemartyret worden / den 25. Brachmonat / in ſeinen Notis ad Martyrologium Romanum mit nachfolgenden worten verwirfft: *Sigebertus* in Chronico an. D. 411. (de S. Antidio loquens) *Sed quædam admiſcens apocrypha & à veritate aliena; quæ cùm Magiam magis, quàm pietatem redoleant, meritò rejicienda ſunt.* Deßwegen wöllen wir diſe Hiſtoriam (wann es ein Hiſtori iſt) weiter nicht einführen; ſonder den gutherꜩigen Leſer in Wallis ſchicken / diſe ding zuerfragen. Sed affirmant plerunque Valeſiani, hiſtoriam eſſe, non fabulam. Reliquias adhuc oſtendunt, eas cum viris magnis communicant, tempeſtatibus, morbiſque opponunt, atque adeò rem geſtam, non infimi ſubſellii homines, peregrinis commemorant. Teſtem αὐτόπτην ϗ αὐτήκοον habemus *Marcum Leſcarb.* Pariſienſem, ut ipſe fatetur tabulâ ſæpiùs citatâ, pag. 76. Taceo nummis, feneſtris ubique inſculptam fuiſſe & inuſtam traditionem potiùs, quàm Hiſtoriam, de quibus ὁδηγοῦ P. III. pag. 41.

Hanc verò ſcabiem, etſi Seculi injuria majoribus noſtris affricuerit, certum tamen eſt

A. *Nunquam Helvetiæ noſtræ defuiſſe Bernhardos, qui acerbè ſatis perſtinxerint* 1. Papæ πολυπραγμοσύνην: *Anal.* P. I. pag. 57. Simoniam, fraudes; *Ibid.* p. 43. ὁδηγοῦ P. III. pag. 425. tyrannidem; pag. 47. 2. Monachorum luxum, & diſſolutam vitam. *Ibid.* pag. 24. 25. 3. Sacerdotum hiſtrionicas declamationes; *Ib.* p. 53. 4. Cleri ignorantiam, oſcitantiam, *Ib.* p. 55. 65. & Epicureiſmum, pag. 69.

B. *Cultum imaginum apud veteres Helvetios non tam frequentem ubique fuiſſe*, qui, vel Germanos, Gallos, Flandros, Armenos ſecuti; vel Caroli Magni & poſterorum ejus exemplo (de quibus P. III. ὁδηγοῦ cap. 1. pag. 18. 19.) excitati; pompam hanc fecerunt miſſam. *Zuvingl.* T. I. pag. 253. ad Valent. Compar. *Majores enim noſtri omni laude digni, & præſtantiſſimi homines; imaginum uſu magna ex parte caruerunt, quem-*

admodum

lmodum vel hodie illorum religio teſtatur, qui monta-ım regionem incolunt.

C. *De juſtificatione multa*, in ipſo Papatu, Majo-nı noſtrorum Doctoribus excidiſſe, unde *χεάτ...* *...ων* domum redire potuerunt, condocefacimus tum *ι ὁδηγῷ* P.III.p.167.& deinceps: tum in *Hiſtor.Eccleſ.* :c.XV.pag.65.

D. *Helvetios contra Pontificem ſemper feciſſe pro ncilis.* Hanc eis laudem tribuunt ipſi Patres Piſani, paulò antea monuimus. Unde Archiepiſcopum raynenſem, Andream, in cauſa Concilii Baſileenſis terminandi patrocinio ſuo dignum æſtimârunt D.D. rnenſes & Baſileenſes. Ipſa acta ex Notarii publici *tri Numagen*, Trivirenſis autographo dedimus Se-lo XV.*Hiſt.Eccleſ.*

E. *Optimos quosque viros Reformationis cupidos plexi ſunt.* Tigurinis in medio Papatu placuit Ar-ldus Brixienſis; *Guilliman.*lib.3.pag.313. *Vldricus vvinglius Sacerdotii ordinis, nonnulla quoque nova dere cœpit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixia-s, Tiguri docuerat poſt quadringenteſimum annum, lucem memoriamq; hominum revocavit.* Doctri-m Arnoldi, Gunteri carmine expreſſam, poſtea ſubji-. Quæ ad rem noſtram faciunt, excerpſimus in *Hiſt. cleſ.*Sec.XII.pag.270. Hinc & quoties alibi de refor-nda religione conſilia fuerunt agitata, inter primos ı ſemper Symbola Helvetii contulerunt, ex quibus id in ipſo Papatu & traditionibus Eccleſiaſticis de-erârint, luculentiſſimè patet. Documentum habe-ıs an.Ch.1524. à pleriſque Helvetiæ cantonibus; & no Chr.1525. ab illuſtri Bernatum Republica, apud *ettler.*lib.12.pag.642. dignum quod accuratè expen-tur. Elucet enim hinc, eos etiam, quibus Papatui re-nciare non fuit in animo, multa obſervâſſe onera *σϐάςαχθα*, quę, ne conſulto quidem Pontifice, abjice-voluerunt.

F. *Excommunicationum Pontificiarum magnum d eos fuiſſe contemptum*, probat exemplum 1. Tigu-

rinorum,

rinorum *Anal.*P.I.pag.72. ἐδηγῦ P.III.pag.419. Aliud occurrit an.Ch.1496.apud *Stettler*.lib7.p.326. 2. Baſileenſium; *Hiſt.Eccleſ.* Sec.XV. p.354. confer *Naucl.* Gen.45.pag.254. *Paraleip.Vrſp.*pag.357. 3. Abbatiſcellanorum *Anal.*P.I.pag.73. quod Pontificis fulmen vibravit Epiſcopus Conſtantienſis. Conf.*Herol.Graſs.* pag.179.

G. *Mercatum Indulgentiarum, Helvetiis utplurimum,diſplicuiſſe.* Multa hac de re ex annalibus & monumentis domeſticis in apricum produximus,Part.III. ἐδηγῦ pag.459. ad finem. Quibus adde *Stettl.* an.Chr. 1518.pag.574. & quæ litera Q. paulò pòſt ſequentur. Jam anno Chriſti 1500. inſtitores ejusmodi Pontificios; ſola Bernenſi Eccleſia excepta; ſua ſibi habere Helvetii jubebant; *Stettler*.p. 368. Confer judicium *Petri Numagen Trevirenſis*,Hiſt.Eccl.Sec.XV.p.529.

H. *Exemtionem Cleri à muneribus & oneribus civilibus ſemper ferè oppugnâſſe.* Hinc communi legum jugo Clerus ſubjectus fuit *a.* à Tigurinis tempore Friderici II. *Stumpf.* de Tig.l.6. c.16. & aliâs: vide *Anal.* P.I.p.74. *b.* Bernenſibus,an.Chr.1466. *Stettler*,p.188.

I. *Helvetia Clerum ad tabulas etiam fœderales adſtrictum,jure extraneo non auſum fuiſſe uti.* Extat hac de re conventio,vulgò der Pfaffen brief/de qua *ſuprà.* Quæ quidem Lex, quantum ex Hiſtoriis obſervare licet, rigidè ſatis fuit obſervanda & obſervata. Quid? quòd patriæ & libertati amore ad multorum invidiam multi ſacrificuli arſerint? In tales enim potiſſimùm *Bebelius*,gratulat.ſua invehi mihi videtur,quos,hoc ſolo nomine, ait *Sacerdotio indignos eſſe; Antichriſti præcurſores,Diaboli mancipia,nec divinum nec humanum jus callentes, imò hæreticos appellandos.* Quæ *VVimphelingus* habet Soliloq.c.17. de fœderato quodam,dicente: *Libenter mori ſe velle,ſi ſibi contingeret prius omnes Sacerdotes Auſtriæ domui faventes,manibus propriis occidiſſe:* Et c.18. de fratricello,*qui rem divinam facturus, caſulam purpurea cruce inſignitam abjeciſſe; & tantiſper ſacrificare diſtuliſſe,quo ad alteram*

ſm alterius coloris cruce ſignatum obtinuiſſet; ut ma-
iſeſtam redolent ἀμουσίαν τῆς αὐθολκῆς, ita & luculen-
:r indicant, infeſtis etiam animis eos certâſſe, quibus
crorum harmonia majorem concordiam perſuadere
:buiſſet.

K. *Helvetios in Clerum delinquentem ſua ſtatuiſ-
ſupplicia*. Valde memorabile eſt exemplum præſti-
atorum illorum clauſtralium, qui Ampliſſimi Ber-
:nſium Magiſtratus authoritate dignas ſua temeritate
impietate luerunt pœnas. Hiſtoriam deſcripſit Va-
rius Anshelmus, qui rei geſtæ interfuit, *Stettler*. anno
hriſti, 1509. pag. 436. quem ſequitur is ipſe, anno ci-
:o. Compendium Hiſt. dedimus in ἐδηγῷ noſtro P. II.
g. 166. Plura vide *ſuprà*, pag. 457. *Hiſt. Eccleſ.* Se-
lo XV. pag. 530. *Stettler*. an. Ch. 1515. pag. 528. & an.
ı. 1532. Unde Helvetii Epiſcopos & Abbates, pacem
blicam turbantes, nova molientes, aut injurios, variis
ıctârunt ſuppliciis. Anno Chriſti 1370. *VVernerius
nacus, Præpoſitus Tigurinus, quosdam Lucernates in
ro Tigurino captos vinculis conſtrinxerat. Itaq, Ti-
rini Rinacum cum ſuis exilio multabant*. Schwiz.
Chr. 1496. *Iodocus Sillinius*, Epiſcopus Seduhenſis,
òd factioni Gallicæ addictus eſſet, Valeſia pellitur.
:m accidit an. Chr. 1516. *Id.* ubi tamen Gallicarum
:tium-aſſeclæ Epiſcopum Valeſianum ejecerunt,
òd Papæ faveret. Eandem jam antè, an. Chr. 1377.
tem fuerat expertus *Eduardus*, itidem Epiſcopus,
ɔd tamen exilium frater ejus Amedæus Sabaudus
t ultus. *Id.* Univerſi Helvetii an. Ch. 1499. Conſtan-
ıſi Epiſcopo Caſtellas, quòd Suevis Gottlieben tra-
liſſet, comburunt, & Rhæti, Epiſcopo ſuo, qui Auſtriis
rſtenbergam conceſſerat, Staſsbergum igni vaſtant.
an. Chr. 1511. quidam Helvetii, ob non ſolutum ſti-
ıdium, Sedunenſi Epiſcopo, bellum indicebant. Res
ıen transactione fuit compoſita. De bello Abbatis-
lano contra Ulricum Abbatem, an. Ch. 1489. ob ex-
ıctum Roſaci cœnobium, ſuprà egimus. Confer
ttler. an. Ch. 1490. pag. 314. *Graſſer*. Herol. pag. 164.

ubi & juramentum ab Abbate Pontifici præſtitum, commemoratur. Felices Bernenſium contra Epiſcopum Baſileenſem, Biennenſium vitæ & privilegiis inſidiantem, ſucceſſus deſcribit *Stettler*.an.Ch.1367. In Sempachiano etiam prælio quendam, qui ſpiritualibus armis abjectis, ferrum tractavit, occubuiſſe, patet ex cæſorum Catalogo. *Id*.pag.94. Huc pertinent, quæ idem recitat an.Chr.1243.p.8. an.Chr.1315. Inter Suitenſes & Eremitanos: pag.41.an.Ch.1517.pag.572.a.

L. *In ritibus etiam Helvetios variâſſe à cæteris fidei ſuæ conſecraneis*, patet ex proſopop.illa Nicolai Underwaldii, quæ cap.33.Solil.*VVimphel*.extat. Ubi inter alia: *Nolita confidere in ceremoniis quibusdam, quas vobis ipſis, præter morem aliorum Chriſtianorum, impoſuiſtis. Nolite arbitrari, quod per ſacras literas Spiritus Sanctus prohibet, id à vobis ſolis Deo acceptum eſſe. Geſtus & ceremoniæ quædam inter orandum manifeſtè & in propatulo fieri poſſunt. Quaſdam autem (inter quas eſt una brachiorum per modum crucis expanſio) non in publico; ſed ſecretiſſimè in intimis penetralibus faciendas Sapientiſſimi Patres edocuerunt.* Hinc fortè convitium Lancigerorum in bello Suevico, de quo *Stumpf*. lib.13.rer. Helvet.c.24. ubi preces Helvetiorum vocantur Klaffter-gebett. Aſſervatur etiam in Bibliotheca Carolina *Breviarium Eccleſiæ Thuricenſis*, ante 4. Secula uſitatum, in quo diverſitatis ceremoniarum & feſtorum haud obſcura apparent veſtigia.

M. *Vbi ad Conjugium clericorum deventum fuerit.* Conſtat a. In clero Tigurino non paucos fuiſſe, qui tyrannicam de cœlibatu legem damnârint. *Malleoli* judicium habes in *Anal*.P.I. pag.50. *Petrus Numagen*, Paphnutii in Niceno Concilio concluſioni; *Ne Presbyteri & Diaconi cum uxoribus, quas ante conſecrationem duxerant, dormirent*; reclamanti, ſatis clarè applaudit, *Not. in Arch. Crayn. geſta*, p.521. Retulit mihi non ſemel vir Ampliſſimus, D.Joh.Rodolphus Waſerus, Vitoduranæ nuper œconomiæ adminiſtrator meritiſſimus, conſtitutionem ſe vidiſſe & legiſſe Imperialem,

nialem, ante annos 800. Præpoſituræ Tigurinæ Presbyteris conceſſam, ubi inter alia, ſequentia occurrant: *Nos concedimus & volumus etiam, ut Presbyteri Præpoſituræ Thuricenſis Sanctorum Martyrum, Felicis & Regulæ, uxores ducant, undiquaque velint, ſi modò ſint legitimè natæ*.b. Contrà, manifeſtum eſt, Tigurinos pridem jam vagam ſacerdotum & concubinarum libidinem exilio mulctâſſe; *Anal*.P.I.pag.77. Lupanar Bernæ in διδασκαλεῖον convertitur; a.Ch.1481.*Stett*.p.287.

N. *De Monachatu Helvetico variæ notantur querelæ*. Abbatis Ciſtertienſis verba ſunt: *A multis diebus & annis per plures fide dignos tam religioſos, quàm ſeculares intelleximus, Monaſterium prædictum Marisſtellæ in utroque ſtatu multum eſſe diminutum. Nec non & alia Monaſteria in toto dominio Suitenſium ad deſolationem religionis non modicè vergere, quod propter defectum bonæ & regularis viſitationis accidere arbitramur*. Eandem querelam repetit Epiſtolâ ad Abbatem Maris-ſtellæ: ubi cauſam corruptæ diſciplinæ addit aliam, *irreligioſam vitam Abbatis & reliquorum Monachorum*. Aliâ Epiſtolâ, an.Ch.1515 exaratâ, idem & in memorato, & in cæteris per Helvetiam ordinis Ciſtertienſis Monachis, à Jacobo Abbate notatur nævus. Anno Chr. 1472. Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus idem queritur de Monaſterio S. Martini in monte Thuricenſi. Bernenſes etiam Interlacenſium Præpoſito & Monachis, Reformationis frænum injiciunt, an. Chr.1473. *Stettler*.pag.218. Beguttas & Beguinos ſcripto damnavit *Malleolus*; qui & plura in Monachatu ſui ſeculi reprehendit, quàm religio Pontificia ferat. Eaſdem familias exilio multatas à Republica Bernenſi, legimus apud *Stettler*.an.Ch.1403.pag.102. Quibus ipſi ſe characteribus notârint Monachi, *Spiritus Sancti fraternitate ſuperbientes*, an.Ch.1490. refert *idem*, pag. 361. Tribules planè fuiſſe videntur Imbriacenſium illorum, qui de Epicuri grege porci etiam poſt funera vivunt. Notæ ſunt ſcripturæ & picturæ eorum. Sed &, ne, dilatando pomœria, inſanire pergerent Monachi,

publicè reprimebantur, Carthuſiani Bernæ anno Chr. 1481. *Stettler*. pag. 282. cæteri clauſtrales Tiguri; *Anal.* P. I. pag. 80.

O. *Ipſum etiam Pontificem Majores noſtri officii monere non ſemel fuerunt auſi.* 1. Cùm Regem Galliarum bello ubique tentare conaretur, pacis ei commendantur ab ipſis Helvetiis conditiones, quòd ægrè tulit. Vide *ſuprà*, pag. 491. 2. Indulgentiæ per Samſonium ad Helvetios miſſæ, quàm paucos multis in locis nactæ fuerunt emtores? Non religioni duxerunt Simoniacum hoc monopolium ſatis magno animo exprobrare Pontifici. Acta, quæ hac de re lingua originali αὐτόγραφα ad manus ſunt, id ipſum clarè demonſtrant. Dabimus autem primò Epiſtolam Pontificis ad Helvetios hoc nomine ſcriptam, quæ haud obſcurè, quid de Italico ſenſerint mercatu, aperit. Ita illa habet: *Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum, perdilectis filiis, nobilibus viris Cantonibus Helvetiorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Placuit nobis intelligere, quòd cùm ex quorundam religioſorum diſputationibus circa indulgentias per nos pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum conceſſas, & iſthic publicatas, dubia quædam exorta fuerint, quæ animarum veſtrarum periculum & ſcandalum aliquod parere poſſent, Apoſtolicæ Sedis oraculum conſulere voluiſtis, ipſius ſedis conſiliis adhærere & juſſionibus parere. Nos igitur devotioni veſtræ ſuper his reſpondimus, quòd, cùm nuper ſuper hujuſmodi Indulgentiarum publicatione, inter aliquos Theologos partium Alemaniæ ſimilis diſputatio exorta fuiſſet, dilecto filio, Thomæ tituli Sancti Sixti, Presbytero Cardinali in partibus Alemaniæ, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Legato, per alias noſtras literas reſcripſimus, Romani Pontificis poteſtatem in hujuſmodi Indulgentiarum conceſſione, juxta Romanæ Eccleſiæ veram definitionem, quam ab omnibus teneri & prædicari debere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ejus abſolutionem, præterquam in mortis articulo, nobis & eidem Romano Pontifici reſervandæ, decernimus, prout ex ipſis literis, quas* *vobis*

obis conſignari mandamus plenè videre, & ſervare urabitis, de cætero diſputationibus hujusmodi, quæ candalum in mentibus generare poſſent, aures non præenda, ſed veræ determinationi Sanctæ Romanæ Eccleiæ & hujus Sanctæ Sedis, quæ non permittit errores, firniter adhærebitis, Ipſumq; Prædicatorem ad omnem equiſitionem veſtram revocari mandavimus, & ſi eum n his, quæ ſcribitis, exceſſiſſe invenerimus, puniri facienus. Dat. Romæ apud S. Petrum, An. incarnationis milleſimo, quingenteſimo decimò nono, pridie Cal. Maij. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Vides ſcrupulos, quos n Majorum animis impudens Indulgentiarum venunlatio movit. Quàm ipſe Inſtitor Samſonius inviſus llis fuerit, tum alibi diximus, tum ex ex ſequenti Johannis Baptiſtæ Puppii patet Epiſtola: *Magnifici & honoabiles Domini, poſt debitam commendationem & ſaluem. Quum Sanctiſſimus D.N. tum pro divini nominis propagatione, tum pro animarum ſalute, tum etiam pro Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, reſtauratione, per diviſas Provincias, indulgentias plenarias, aliasq; gratias in literis Apoſtolicis deſuper confectis, contentas deſtinârit, noluit tamen ſua Sanctitas tresdecim Helvetiorum Cantones, ab illarum participatione eſſe diſcretos: quos quidem, ut experientia comprobat, verè catholicos Sanctæq; Romanæ Eccleſiæ fideliſſimos filios ac ad illius defenſionem promptiſſimos novit: ſed ad illos ſuum Commiſſarium Patrem & fratrem Bernardinum Samſonium, ordinisq; fratrum Minorum regul. obſervant. cum plena prædicatione Indulgentiarum commiſſioni deſtinavit. Nec illum, Magnifici Domini, pro negotio tam arduo, tamq; ſalubri ad vos miſiſſet, niſi hunc ſcientia moribusq; refertum ſua Sanctitas comprobâſſet. Verùm his diebus idem ſanctiſſimus D. per literas veſtras certior factus eſt, eundem fratrem Bernhardinum in promulgatione præfatarum Indulgentiarum in quosdam errores (ut fertur) incidiſſe, pro quibus ſua Sanctitas quàm plurimùm admirata, mihi vivæ vocis oraculo commiſit, ut vobis ſuo nomine denuntia-*

rem, ut ſi idem frater Bernhardinus in ſua prædicatione eſt vobis moleſtus, cum bona pace tranquilloq; animo à vobis in Italiam transmittatur. Si autem illum adhuc ſuſtinere ac audire vultis, placet eidem ſuæ Sanctitati, ut vobiſcum tam diu moram trahat, quàm diu ſua commiſſionis tempus extendetur. Vult enim ſua Sanctitas in omnibus, quæ vobis ad animarum ſalutem conducunt, mórem gerere. Quapropter, Magnifici Domini, vos omnes rogatos eſſe velim, ut eundem fratrem Bernhardinum, ſi in Italiam transmeare mavultis, quàm vobiſcum degere, ſine aliqua moleſtia diſcedere permittatis, qui quidem ſi in dicendo erravit, paratus erit etiam coram ſanctiſſimo Domino N. de ſe rationem reddere, pœnamq; pro erratis ſuſtinere. Nil aliud in præſentiarum ad vos ſcribere, niſi ut Magnificentiam Clementiamq; ac illam, quam ad ſanctam Romanam Eccleſiam, vos ſemper exhibuiſſe, dignoſcitur, reverentiam, erga præfatum fratrem Bernhardinum præferatis, vos omnes oro atque obſecro, quos quidem in Domino ſemper felices peropto. Ex conventu noſtro N. N. de Vrbe, die prima Maii. M D XIX. Et ne ſine ratione Majores noſtri querelas moviſſe videantur, aut Indulgentias rejeciſſe, videamus exemplar illarum, vix tandem poſt longam & diligentem inquiſitionem, nobis oblatum.

Leo Papa X.

Univerſis præſentes literas inſpecturis pateat, qualiter propter eleemoſynariam contributionem, factam, juxta formam Apoſtolici indulti infra ſcripti, in ſubſidium *fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe*, conceſſum eſt, ut Burkhardus Würtz/Johannes & Anna Parentes ejus, una cum contrinis ſuis uti, (Magnificus & nobilis Dominus Antonius Spilman, cum uxore ſua D. Dorothea Roſſin, cum filiabus ſuis, & Ægidio Patre ſuo, cum tota familia ſua. *Hæc manu Samſonii* in alio exemplari Bernenſi annotata erant) potiri & gaudere valeant beneficio & indulto Apoſtolico per literas ſub plumbo datas, Romæ, apud Sanctum Petrum, in ſubſidium & reparationem Baſilicæ Principis Apoſto-

lorum

lorum de Urbe,à ſanctiſſimo Domino noſtro Leone Papa X. noviter emanatas,anno Incarnationis Dominicæ M D XVII. decimo octavo Cal.Octobris, Pontificatus verò ejusdem anno quinto. Et facultatis ſive Commiſſionis à præfato S.D.N.in & ſuper eisdem literis conceſſæ & factæ,Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, D.Chriſtophoro de *Forlivio*, Tituli Sanctæ Mariæ in ara Cœli Presbytero Cardinali,ac totius ordinis Minorum Miniſtro generali ſuper XXV. provinciis in Bulla numeratis. Et ſub quibus etiam tota Italia, Sicilia, Corſica, Creta,Cyprus,Rhodus,usque ad Hieroſolymam, Dalmatia, Crovatia,Boſna,Ungaria, Auſtria, Bohemia, Polonia ac Inſulæ maris mediterranei continentur. (Et pari formiter (Hæc Parenthefis in Bernenſi bulla non habetur,ſed ejus loco ; *Et conſequenter mihi infra ſcripto,tanquam ab eo prædicta authoritate Apoſtolica deputato & delegato*: In margine verò: *ac etiam præfati S.D.N. Papæ nuncio & Commiſſario Apoſtolico generali in partibus Dominorum Helvetiorum,prout patet in literis Apoſtolicis,datis Romæ in forma Brevis apud S. Petrum XV. Novemb. An.*1517. hæc manu ipſius Sanſonii.) facultatis & generalis commiſſionis motu proprio,& ex certa ſcientia auctoritate Apoſtolica extenſa & ampliata, Reverendo fratri *Bernhardino Sanſon* de Mediolano, Ordinis fratrum Minorum de obſervantia ad partes & adloca dilectorum filiorum Elvetiorum duodecim Cantonum, & illis Confœderatorum,ac ad Civitates Diœceſum,& loca Valeſii,& Curii, ſive Griſonum,prout patet per literas Apoſtolicas in forma *Brevis* datas, Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV. Novembris, An. M D XVII. Pontificatus ejusdem S. D. N. Papæ Leonis X.anno quinto,) quantum ad infra ſcripta videlicet. Quod præfati poſſint idoneum eligere Confeſſorem Presbyterum,ſecularem vel regularem,cujuscunque ordinis,etiam Mendicantium,qui confeſſions eorum diligenter audita,pro commiſſis hactenus,tempore electionis, per eos exceſſibus,delictis & *peccatis*

geſebt/vnd von den Vandalis oder Wanden gemartyret worden / den 25. Brachmonat / in ſeinen Notis ad Martyrologium Romanum mit nachfolgenden worten verwirfft: *Sigebertus* in Chronico an. D. 411. (de S. Antidio loquens) *Sed quædam admiſcens apocrypha & à veritate aliena; quæ cùm Magiam magis, quàm pietatem redoleant, meritò rejicienda ſunt.* Deßwegen wöllen wir diſe Hiſtoriam (wann es ein Hiſtori iſt) weiter nicht einführen; ſonder den gutherzigen Leſer in Wallis ſchicken / diſe ding zuerfragen. Sed affirmant plerunque Valeſiani, hiſtoriam eſſe, non fabulam. Reliquias adhuc oſtendunt, eas cum viris magnis communicant, tempeſtatibus, morbisque opponunt, atque adeò rem geſtam, non infimi ſubſellii homines, peregrinis commemorant. Teſtem αὐτόπτην καὶ αὐτήκοον habemus *Marcum Leſcarb.* Pariſienſem, ut ipſe fatetur tabulâ ſæpiùs citatâ, pag. 76. Taceo nummis, feneſtris ubique inſculptam fuiſſe & inuſtam traditionem potiùs, quàm Hiſtoriam, de quibus ὁδηγὸς P. III. pag. 41.

Hanc verò ſcabiem, etſi Seculi injuria majoribus noſtris affricuerit, certum tamen eſt

A. *Nunquam Helvetiæ noſtræ defuiſſe Bernhardos, qui acerbè ſatis perſtinxerint* 1. Papæ πολυπραγμοσύνην: *Anal.* P. I. pag. 57. Simoniam, fraudes; *Ibid.* p. 43. ὁδηγὸς P. III. pag. 425. tyrannidem; pag. 47. 2. Monachorum luxum, & diſſolutam vitam. *Ibid.* pag. 24. 25. 3. Sacerdotum hiſtrionicas declamationes; *Ib.* p. 53. 4. Cleri ignorantiam, oſcitantiam, *Ib.* p. 55. 65. & Epicureiſmum, pag. 69.

B. *Cultum imaginum apud veteres Helvetios non tam frequentem ubique fuiſſe*, qui, vel Germanos, Gallos, Flandros, Armenos ſecuti; vel Caroli Magni & poſterorum ejus exemplo (de quibus P. III. ὁδηγὸς cap. 1. pag. 18. 19.) excitati; pompam hanc fecerunt miſſam. *Zvvingl.* T. I. pag. 253. ad Valent. Compar. *Majores enim noſtri omni laude digni, & præſtantiſſimi homines; imaginum uſu magna ex parte caruerunt, quemadmodum*

admodum vel hodie illorum religio teſtatur, qui montanam regionem incolunt.

C. *De juſtificatione multa*, in ipſo Papatu, Majorum noſtrorum Doctoribus excidiſſe, unde κρέπτονες ἑαυτῶν domum redire potuerunt, condocefacimus tum in ὁδηγῷ P.III.p.167.& deinceps: tum in *Hiſtor.Eccleſ.* Sec.XV.pag.65.

D. *Helvetios contra Pontificem ſemper feciſſe pro Conciliis.* Hanc eis laudem tribuunt ipſi Patres Piſani, ut paulò antea monuimus. Unde Archiepiſcopum Craynenſem, Andream, in cauſa Concilii Baſileenſis determinandi patrocinio ſuo dignum æſtimârunt D.D. Bernenſes & Baſileenſes. Ipſa acta ex Notarii publici *Petri Numagen*, Trivirenſis autographo dedimus Seculo XV.*Hiſt.Eccleſ.*

E. *Optimos quoſque viros Reformationis cupidos amplexi ſunt.* Tigurinis in medio Papatu placuit Arnoldus Brixienſis; *Guilliman.*lib.3.pag.313. *Vldricus Zvvinglius Sacerdotii ordinis, nonnulla quoque nova tradere cœpit, aut pleraque, quæ olim Arnoldus Brixianus, Tiguri docuerat poſt quadringenteſimum annum, in lucem memoriamq́; hominum revocavit.* Doctrinam Arnoldi, Gunteri carmine expreſſam, poſtea ſubjicit. Quæ ad rem noſtram faciunt, excerpſimus in *Hiſt. Eccleſ.*Sec.XII.pag.270. Hinc & quoties alibi de reformanda religione conſilia fuerunt agitata, inter primos ſua ſemper Symbola Helvetii contulerunt, ex quibus quid in ipſo Papatu & traditionibus Eccleſiaſticis deſiderârint, luculentiſſimè patet. Documentum habemus an.Ch. 1524. à pleriſque Helvetiæ cantonibus; & anno Chr.1525. ab illuſtri Bernatum Republica, apud *Stettler.*lib.12.pag.642. dignum quod accuratè expendatur. Elucet enim hinc, eos etiam, quibus Papatui renunciare non fuit in animo, multa obſervâſſe onera δυσβάστακτα, quę, ne conſulto quidem Pontifice, abjicere voluerunt.

F. *Excommunicationum Pontificiarum magnum apud eos fuiſſe contemptum*, probat exemplum 1. Tigurinorum,

rinorum *Anal.*P.I.pag.72. ὀλίγῳ P.III.pag.419. Aliud occurrit an.Ch.1496.apud *Stettler*.lib7.p.326. 2. Baſileenſium; *Hiſt.Eccleſ.* Sec.XV. p.354. confer *Naucl.* Gen.45.pag.254. *Paraleip.Vrſp.*pag.357. 3. Abbatiſcellanorum *Anal.*P.I.pag.73. quod Pontificis fulmen vibravit Epiſcopus Conſtantienſis. Conf.*Herol.Graſs.* pag.179.

G. *Mercatum Indulgentiarum, Helvetiis utplurimum, diſplicuiſſe.* Multa hac de re ex annalibus & monumentis domeſticis in apricum produximus, Part.III. ὀλίγῳ pag.459. ad finem. Quibus adde *Stettl.* an.Chr. 1518.pag.574. & quæ litera Q. paulò pòſt ſequentur. Jam anno Chriſti 1500. inſtitores ejuſmodi Pontificios; ſola Bernenſi Eccleſia excepta; ſua ſibi habere Helvetii jubebant; *Stettler*.p. 368. Confer judicium *Petri Numagen Trevirenſis*, Hiſt.Eccl.Sec.XV.p.529.

H. *Exemtionem Cleri à muneribus & oneribus civilibus ſemper ferè oppugnâſſe.* Hinc communi legum jugo Clerus ſubjectus fuit *a.* à Tigurinis tempore Friderici II. *Stumpf.* de Tig.l.6. c.16. & aliâs: vide *Anal.* P.I.p.74. *b.* Bernenſibus,an.Chr.1466. *Stettler*,p.188.

I. *Helvetia Clerum ad tabulas etiam fœderales adſtrictum, jure extraneo non auſum fuiſſe uti.* Extat hac de re conventio, vulgò der Pfaffen brief/de qua *ſuprà.* Quæ quidem Lex, quantum ex Hiſtoriis obſervare licet, rigidè ſatis fuit obſervanda & obſervata. Quid? quòd patriæ & libertati amore ad multorum invidiam multi ſacrificuli arſerint? In tales enim potiſſimùm *Bebelius*, gratulat. ſua invehi mihi videtur, quos, hoc ſolo nomine, ait *Sacerdotio indignos eſſe; Antichriſti præcurſores, Diaboli mancipia, nec divinum nec humanum jus callentes, imò hæreticos appellandos.* Quæ *VVimphelingus* habet Soliloq.c.17. de fœderato quodam, dicente: *Libenter mori ſe velle, ſi ſibi contingeret prius omnes Sacerdotes Auſtriæ domui faventes, manibus propriis occidiſſe:* Et c.18. de fratricello, *qui rem divinam facturus, caſulam purpurea cruce inſignitam abjeciſſe; & tantiſper ſacrificare diſtuliſſe, quo ad alteram*

ram alterius coloris cruce ſignatum obtinuiſſet; ut manifeſtam redolent ἀμεξίαν τῆς αὐθολχῆς, ita & luculenter indicant, infeſtis etiam animis eos certâſſe, quibus ſacrorum harmonia majorem concordiam perſuadere debuiſſet.

K. *Helvetios in Clerum delinquentem ſua ſtatuiſſe ſupplicia.* Valde memorabile eſt exemplum præſtigiatorum illorum clauſtralium, qui Ampliſſimi Bernenſium Magiſtratus authoritate dignas ſua temeritate & impietate luerunt pœnas. Hiſtoriam deſcripſit Valerius Anshelmus, qui rei geſtæ interfuit, *Stettler.* anno Chriſti, 1509. pag. 436. quem ſequitur is ipſe, anno citato. Compendium Hiſt. dedimus in ἐδηγῷ noſtro P. II. pag. 166. Plura vide *ſuprà*, pag. 457. *Hiſt. Eccleſ.* Seculo XV. pag. 530. *Stettler.* an. Ch. 1515. pag. 528. & an. Ch. 1532. Unde Helvetii Epiſcopos & Abbates, pacem publicam turbantes, nova molientes, aut injurios, variis mactârunt ſuppliciis. Anno Chriſti 1370. *VVernerius Rinacus, Præpoſitus Tigurinus, quoſdam Lucernates in agro Tigurino captos vinculis conſtrinxerat. Itaq; Tigurini Rinacum cum ſuis exilio multabant.* Schwiz. an. Chr. 1496. *Iodocus Sillinius*, Epiſcopus Sedunenſis, quòd factioni Gallicæ addictus eſſet, Valeſia pellitur. Idem accidit an. Chr. 1516. *Id.* ubi tamen Gallicarum partium aſſeclæ Epiſcopum Valeſianum ejecerunt, quòd Papæ faveret. Eandem jam antè, an. Chr. 1377. ſortem fuerat expertus *Eduardus*, itidem Epiſcopus, quod tamen exilium frater ejus Amedæus Sabaudus fuit ultus. *Id.* Univerſi Helvetii an. Ch. 1499. Conſtantienſi Epiſcopo Caſtellas, quòd Suevis Gottlieben tradidiſſet, comburunt, & Rhæti, Epiſcopo ſuo, qui Auſtriis Fürſtenbergam conceſſerat, Staſsbergum igni vaſtant. Ita an. Chr. 1511. quidam Helvetii, ob non ſolutum ſtipendium, Sedunenſi Epiſcopo, bellum indicebant. Res tamen tranſactione fuit compoſita. De bello Abbatiſcellano contra Ulricum Abbatem, an. Ch. 1489. ob exſtructum Roſaci cœnobium, ſuprà egimus. Confer *Stettler.* an. Ch. 1490. pag. 314. *Graſſer.* Herol. pag. 164.

ubi & juramentum ab Abbate Pontifici præſtitum,commemoratur. Felices Bernenſium contra Epiſcopum Baſileenſem, Biennenſium vitæ & privilegiis inſidiantem, ſucceſſus deſcribit *Stettler*.an.Ch.1367. In Sempachiano etiam prælio quendam,qui ſpiritualibus armis abjectis,ferrum tractavit,occubuiſſe, patet ex cæſorum Catalogo. *Id*.pag.94. Huc pertinent,quæ idem recitat an.Chr.1243.p.8. an.Chr.1315. Inter Suitenſes & Eremitanos: pag.41.an.Ch.1517.pag.572.a.

L. *In ritibus etiam Helvetios variâſſe à cæteris fidei ſuæ conſecraneis*,patet ex proſopop.illa Nicolai Underwaldii,quæ cap.33.Solil.*VVimphel*.extat. Ubi inter alia: *Nolite confidere in ceremoniis quibusdam, quas vobis ipſis,præter morem aliorum Chriſtianorum,impoſuiſtis. Nolite arbitrari,quod per ſacras literas Spiritus Sanctus prohibet,id à vobis ſolis Deo acceptum eſſe. Geſtus & ceremoniæ quædam inter orandum manifeſtè & in propatulo fieri poſſunt. Quasdam autem (inter quas eſt una brachiorum per modum crucis expanſio) non in publico; ſed ſecretiſſimè in intimis penetralibus faciendas Sapientiſſimi Patres edocuerunt.* Hinc fortè convitium Lancigerorum in bello Suevico,de quo *Stumpf*. lib.13.rer. Helvet.c.24. ubi preces Helvetiorum vocantur **Klaffter-gebett.** Aſſervatur etiam in Bibliotheca Carolina *Breviarium Eccleſiæ Thuricenſis*, ante 4. Secula uſitatum,in quo diverſitatis ceremoniarum & feſtorum haud obſcura apparent veſtigia.

M. *Vbi ad Conjugium clericorum deventum fuerit.* Conſtat a. In clero Tigurino non paucos fuiſſe,qui tyrannicam de cœlibatu legem damnârint.*Malleoli* judicium habes in *Anal*.P.I. pag.50. *Petrus Numagen*, Paphnutii in Niceno Concilio concluſioni; *Ne Presbyteri & Diaconi cum uxoribus, quas ante conſecrationem duxerant, dormirent*; reclamanti, ſatis clarè applaudit,*Not. in Arch. Crayn. geſta*, p.521. Retulit mihi non ſemel vir Ampliſſimus,D.Joh.Rodolphus Waſerus, Vitoduranæ nuper œconomiæ adminiſtrator meritiſſimus, conſtitutionem ſe vidiſſe & legiſſe Imperialem,

rialem, ante annos 800. Præpoſituræ Tigurinæ Presbyteris conceſſam, ubi inter alia, ſequentia occurrant: *Nos concedimus & volumus etiam, ut Presbyteri Præpoſituræ Thuricenſis Sanctorum Martyrum, Felicis & Regulæ, uxores ducant, undiquaque velint, ſi modò ſint legitimè natæ.* b. Contrà, manifeſtum eſt, Tigurinos pridem jam vagam ſacerdotum & concubinarum libidinem exilio mulctâſſe; *Anal.* P. I. pag. 77. Lupanar Bernæ in διδασκαλεῖον convertitur; a. Ch. 1481. *Stett.* p. 287.

N. *De Monachatu Helvetico varia notantur querelæ.* Abbatis Ciſtertienſis verba ſunt: *A multis diebus & annis per plures fide dignos tam religioſos, quàm ſæculares intelleximus, Monaſterium prædictum Marisſtellæ in utroque ſtatu multum eſſe diminutum. Nec non & alia Monaſteria in toto dominio Suitenſium ad deſolationem religionis non modicè vergere, quod propter defectum bonæ & regularis viſitationis accidere arbitramur.* Eandem querelam repetit Epiſtolâ ad Abbatem Maris-ſtellæ: ubi cauſam corruptæ diſciplinæ addit aliam, *irreligioſam vitam Abbatis & reliquorum Monachorum.* Aliâ Epiſtolâ, an. Ch. 1515 exaratâ, idem & in memorato, & in cæteris per Helvetiam ordinis Ciſtertienſis Monachis, à Jacobo Abbate notatur nævus. Anno Chr. 1472. Hermannus Conſtantienſis Epiſcopus idem queritur de Monaſterio S. Martini in monte Thuricenſi. Bernenſes etiam Interlacenſium Præpoſito & Monachis, Reformationis frænum injiciunt, an. Chr. 1473. *Stettler.* pag. 218. Beguttas & Beguinos ſcripto damnavit *Malleolus*; qui & plura in Monachatu ſui ſeculi reprehendit, quàm religio Pontificia ferat. Eaſdem familias exilio multatas à Republica Bernenſi, legimus apud *Stettler.* an. Ch. 1403. pag. 102. Quibus ipſi ſe characteribus notârint Monachi, *Spiritus Sancti* fraternitate ſuperbientes, an. Ch. 1490. refert *idem*, pag. 361. Tribules planè fuiſſe videntur Imbriacenſium illorum, qui de Epicuri grege porci etiam poſt funera vivunt. Notæ ſunt ſcripturæ & picturæ eorum. Sed &, ne, dilatando pomœria, inſanire pergerent Monachi,

 publicè

publicè reprimebantur, Carthuſiani Bernæ anno Chr. 1481. *Stettler*. pag. 282. cæteri clauſtrales Tiguri; *Anal.* P. I. pag. 80.

O. *Ipſum etiam Pontificem Majores noſtri officii monere non ſemel fuerunt auſi*. 1. Cùm Regem Galliarum bello ubique tentare conaretur, pacis ei commendantur ab ipſis Helvetiis conditiones, quòd ægrè tulit. Vide *ſuprà*, pag. 491. 2. Indulgentiæ per Samſonium ad Helvetios miſſæ, quàm paucos multis in locis nactæ fuerunt emtores? Non religioni duxerunt Simoniacum hoc monopolium ſatis magno animo exprobrare Pontifici. Acta, quæ hac de re lingua originali αὐτόχθονα ad manus ſunt, id ipſum clarè demonſtrant. Dabimus autem primò Epiſtolam Pontificis ad Helvetios hoc nomine ſcriptam, quæ haud obſcurè, quid de Italico ſenſerint mercatu, aperit. Ita illa habet: *Leo Epiſcopus, ſervus ſervorum, perdilectis filiis, nobilibus viris Cantonibus Helvetiorum ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Placuit nobis intelligere, quòd cùm ex quorundam religioſorum diſputationibus circa indulgentias per nos pro fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum conceſſas, & iſthic publicatas, dubia quædam exorta fuerint, quæ animarum veſtrarum periculum & ſcandalum aliquod parere poſſent, Apoſtolicæ Sedis oraculum conſulere voluiſtis, ipſius ſedis conſiliis adhærere & juſſionibus parere. Nos igitur devotioni veſtræ ſuper his reſpondimus, quòd, cùm nuper ſuper hujusmodi Indulgentiarum publicatione, inter aliquos Theologos partium Alemaniæ ſimilis diſputatio exorta fuiſſet, dilecto filio, Thomæ tituli Sancti Sixti, Presbytero Cardinali in partibus Alemaniæ, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Legato, per alias noſtras literas reſcripſimus, Romani Pontificis poteſtatem in hujusmodi Indulgentiarum conceſſione, juxta Romanæ Eccleſiæ veram definitionem, quam ab omnibus teneri & prædicari debere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ejus abſolutionem, prætorquam in mortis articulo, nobis & eidem Romano Pontifici reſervandæ, decernimus, prout ex ipſis literis, quas vobis*

vobis conſignari mandamus plenè videre, & ſervare curabitis, de cætero diſputationibus hujuſmodi, quæ ſcandalum in mentibus generare poſſent, aures non præbenda, ſed veræ determinationi Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & hujus Sanctæ Sedis, quæ non permittit errores, firmiter adhærebitis; Ipſumq́ Prædicatorem ad omnem requiſitionem veſtram revocari mandavimus, & ſi eum in his, quæ ſcribitis, exceſſiſſe invenerimus, puniri faciemus. Dat. Romæ apud S. Petrum, An. incarnationis milleſimo, quingenteſimo decimò nono, pridie Cal. Maij. Pontificatus noſtri anno ſeptimo. Vides ſcrupulos, quos in Majorum animis impudens Indulgentiarum venundatio movit. Quàm ipſe Inſtitor Samſonius inviſus illis fuerit, tum alibi diximus, tum ex ex ſequenti Johannis Baptiſtæ Puppii patet Epiſtola: *Magnifici & honorabiles Domini, poſt debitam commendationem & ſalutem. Quum Sanctiſſimus D. N. tum pro divini nominis propagatione, tum pro animarum ſalute, tum etiam pro Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, reſtauratione, per diviſas Provincias, indulgentias plenarias, aliasq́ gratias in literis Apoſtolicis deſuper confectis, contentas deſtinârit, noluit tamen ſua Sanctitas tresdecim Helvetiorum Cantones, ab illarum participatione eſſe diſcretos: quos quidem, ut experientia comprobat, verè catholicos Sanctaq́ Romanæ Eccleſiæ fideliſſimos filios ac ad illius defenſionem promptiſſimos novit: ſed ad illos ſuum Commiſſarium Patrem & fratrem Bernardinum Samſonium, ordinisq́ fratrum Minorum regul. obſervant. cum plena prædicatione Indulgentiarum commiſſioni deſtinavit. Nec illum, Magnifici Domini, pro negotio tam arduo, tamq́ ſalubri ad vos miſiſſet, niſi hunc ſcientia moribusq́ refertum ſua Sanctitas comprobâſſet. Verùm his diebus idem ſanctiſſimus D. per literas veſtras certior factus eſt, eundem fratrem Bernhardinum in promulgatione præfatarum Indulgentiarum in quosdam errores (ut fertur) incidiſſe, pro quibus ſua Sanctitas quàm plurimùm admirata, mihi vivæ vocis oraculo commiſit, ut vobis ſuo nomine denuntia-*

rem,ut ſi idem frater Bernhardinus in ſua prædicatione eſt vobis moleſtus,cum bona pace tranquilloq́; animo à vobis in Italiam transmittatur. Si autem illum adhuc ſuſtinere ac audire vultis,placet eidem ſuæ Sanctitati, ut vobiſcum tam diu moram trahat, quàm diu ſuæ commiſſionis tempus extendetur. Vult enim ſua Sanctitas in omnibus,quæ vobis ad animarum ſalutem conducunt,mórem gerere. Quapropter,Magnifici Domini,vos omnes rogatos eſſe velim,ut eundem fratrem Bernhardinum,ſi in Italiam transmeare mavultis, quàm vobiſcum degere,ſine aliqua moleſtia diſcedere permittatis,qui quidem ſi in dicendo erravit,paratus erit etiam coram ſanctiſſimo Domino N. de ſe rationem reddere, pœnamq́; pro erratis ſuſtinere. Nil aliud in præſentiarum ad vos ſcribere, niſi ut Magnificentiam Clementiamq́; ac illam,quam ad ſanctam Romanam Eccleſiam, vos ſemper exhibuiſſe, dignoſcitur, reverentiam, erga præfatum fratrem Bernhardinum præferatis,vos omnes oro atque obſecro,quos quidem in Domino ſemper felices peropto. Ex conventu noſtro N. N. de Vrbe,die prima Maii. M D XIX. Et ne ſine ratione Majores noſtri querelas moviſſe videantur,aut Indulgentias rejeciſſe, videamus exemplar illarum,vix tandem poſt longam & diligentem inquiſitionem,nobis oblatum.

Leo Papa X.

Univerſis præſentes literas inſpecturis pateat,qualiter propter eleemoſynariam contributionem, factam, juxta formam Apoſtolici indulti infra ſcripti,in ſubſidium *fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe*, conceſſum eſt,ut Burkhardus Würtz/Johannes & Anna Parentes ejus,una cum contrinis ſuis uti, (Magnificus & nobilis Dominus Antonius Spilman,cum uxore ſua D. Dorothea Roſſin, cum filiabus ſuis, & Ægidio Patre ſuo,cum tota familia ſua. *Hæc manu Samſonii* in alio exemplari Bernenſi annotata erant) potiri & gaudere valeant beneficio & indulto Apoſtolico per literas ſub plumbo datas,Romæ,apud Sanctum Petrum,in ſubſidium & reparationem Baſilicæ Principis Apoſto-

lorum de Urbe, à ſanctiſſimo Domino noſtro Leone Papa X. noviter emanatas, anno Incarnationis Dominicæ M D XVII. decimo octavo Cal. Octobris, Pontificatus verò ejusdem anno quinto. Et facultatis ſive Commiſſionis à præfato S.D.N. in & ſuper eisdem literis conceſſæ & factæ, Reverendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, D. Chriſtophoro de *Forlivio*, Tituli Sanctæ Mariæ in ara Cœli Presbytero Cardinali, ac totius ordinis Minorum Miniſtro generali ſuper XXV. provinciis in Bulla numeratis. Et ſub quibus etiam tota Italia, Sicilia, Corſica, Creta, Cyprus, Rhodus, usque ad Hieroſolymam, Dalmatia, Crovatia, Boſna, Ungaria, Auſtria, Bohemia, Polonia ac Inſulæ maris mediterranei continentur. (Et pari formiter (Hæc Parenthesis in Bernenſi bulla non habetur, ſed ejus loco; *Et conſequenter mihi infra ſcripto, tanquam ab eo prædicta authoritate Apoſtolica deputato & delegato:* In margine verò: *ac etiam præfati S. D. N. Papæ nuncio & Commiſſario Apoſtolico generali in partibus Dominorum Helvetiorum, prout patet in literis Apoſtolicis, datis Romæ in forma Brevis apud S. Petrum XV. Novemb. An.* 1517. hæc manu ipſius Sanſonii.) facultatis & generalis commiſſionis motu proprio, & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica extenſa & ampliata, Reverendo fratri *Bernhardino Sanſon* de Mediolano, Ordinis fratrum Minorum de obſervantia ad partes & ad loca dilectorum filiorum Elvetiorum duodecim Cantonum, & illis Confœderatorum, ac ad Civitates Diœceſum, & loca Valeſii, & Curii, ſive Griſonum, prout patet per literas Apoſtolicas in forma *Brevis* datas, Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die XV. Novembris, An. M D XVII. Pontificatus ejusdem S. D. N. Papæ Leonis X. anno quinto,) quantum ad infra ſcripta videlicet. Quod præfati poſſint idoneum eligere Confeſſorem Presbyterum, ſecularem vel regularem, cujuscunque ordinis, etiam Mendicantium, qui confeſſione eorum diligenter audita, pro commiſſis hactenus, tempore electionis, per eos exceſſibus, delictis & *peccatis*

quibuscunque, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; Et à cenſuris Eccleſiaſticis, etiam quarum abſolutio dictæ Sedi reſervata foret. Etiam de his, quæ in *Cœna Domini* reſervantur, (præterquam occaſione machinationis in perſonam ſummi Pontificis: Occiſionis Epiſcoporum, aut aliorum ſuperiorum Prælatorum, & injectionis manuum violentarum in illos, aut alios Prælatos. Falſificationis Bullarum, aut literarum Apoſtolicarum. Delationis armorum, aut aliorum prohibitorum, ad partes infidelium, Aluminum Tulphe. Ac de partibus infidelium ad fideles, contra prohibitionem Apoſtolicam delatorum incurſis (non tamen ſub ſpe & prætextu præſentis conceſſionis) ac prævia ſatisfactione de jure competenti) in vita ſemel, nec non in articulo mortis, & quotiens de illo dubitatur, Abſolutionem & remiſſionem ac plenariam indulgentiam impendere. In non reſervatis verò caſibus & cenſuris licèt aliis inferioribus Papa, forent reſervati, totiens quotiens id petierint, abſolutionem impartiri, ac pœnitentiam ſalutarem injungere. Ac quæcunque tunc per eos emiſſa vota (ultra marino, ingreſſus religionis ac caſtitatis votis duntaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare. Omnia inſuper juramenta in quibusvis contractibus, inſtrumentis & obligationibus (præterquam in forma Cameræ) appoſita ad effectum agendi duntaxat, relaxare. Et ab eisdem, nec non à quocunque perjurio abſolvere valeat. Similiter præfati eligentes, Quadrageſimalibus & aliis temporibus prohibitis ovis, butyro, caſeo, & aliis lacticiniis, ac etiam carnibus, de utriusque Medici conſilio uti, frui & veſci liberè & licitè, & absque conſcientiæ ſcrupulo poſſint. Nec non omni tempore anni, etiam in die Paſchatis, & in mortis articulo (ſine tamen Rectoris & proprii Curati præjudicio) Euchariſtiæ Sacramentum ubicunque voluerint, & à quocunque presbytero ſeculari vel regulari devotè ſuſcipere. Et ſi perſonæ nobiles aut presbyteri extiterint, altare portatile, quod cum debitis reverentia & honore retineant, & ſuper quo in locis ad hoc congruentibus & honeſtis,

honeſtis, etiam non ſacris, & Eccleſiaſtico interdicto, generali & ſpeciali, tam Apoſtolica, quàm ordinaria auctoritate ſuppoſitis (dummodò hujusmodi interdicto cauſam non dederint) habere. Etiam antequam eluceſcat dies (circa tamen diurnam lucem) in ſua ac ſuorum domeſticorum præſentia, juxta formam capituli, Alma de ſententia excommunicationis, libro ſexto. Miſſas & alia divina officia per ſe ipſas, qui presbyteri ſunt, aut pro tempore erunt, celebrare, ſeu per alios Sacerdotes celebrari facere. Tempore quoque interdicti iſtiusmodi divinis intereſſe, & eorum corpora (ſine tamen funerali pompa) Eccleſiaſticæ tradi ſepulturæ. Ac demum tot & ſimiles indulgentias & peccatorum remiſſiones, quas, ſi ſingulis diebus Quadrageſimalibus & totius anni ſingulas dictæ urbis, & extra, Eccleſias, quæ à Chriſti fidelibus propter ſtationes dictæ urbis aſſequendas viſitari ſolent, perſonaliter viſitarent, aliquam vel aliquas Eccleſiam (in Bern. bulla; *Pro ſtationibus conſequendis conceditur, ut eligant quamcunque Eccleſiam voluerint dicendo Ter Pater Noſter, & totidem Ave Maria.*) vel Eccleſias, juxta ejusdem Nuncii & Commiſſarii ſeu deputandi, vel deputandorum aut ſubdelegandorum ab eo providam ordinationem ſuper hoc faciendam devotè viſitando, & in capſis ad hoc in ſubſidium dictæ fabricæ per eosdem deputandis, pias eleemoſynas effectualiter porrigendo conſequeretur, auctoritate Apoſtolica per dictas literas conceſſa, conſequi poſſint & valeant. Conceditur etiam, Apoſtolica authoritate, ut accipiens iſtud confeſſionale, & juxta ordinationem Commiſſarii & ab eo deputatorum, manus adjutrices ad opus fabricæ porrigens, omnium ſpiritualium bonorum, quæ fient in tota univerſali ſacro-ſancta Eccleſia militante, particeps in perpetuum fiat. Conſtitutionibus & ordinationibus ac literis Apoſtolicis quorumcunque Prædeceſſorum Rom. Pon. præſertim Pauli II. & Sixti IV. *quibus expreſsè & ſufficienter per dictas literas* derogatur, cæterisque aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuscunque.

Adhæc præfatus ſanctiſſimus Dominus noſter, per prædictas literas inhibet ordinariis & aliis quibuscunque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, & quingentorum ducatorum auri fabricæ prædictæ applicandorum pœnis, ne poſt conceſſionem, confeſſionem & abſolutionem hujusmodi de præmiſſis caſibus, ſe quovis modo intromittere, vel tales contribuentes, quò minus hujusmodi facultatibus & gratiis liberè uti, potiri & gaudere valeant, impedire aut moleſtare. Aut ipſi Commiſſario vel delegandis aut ſubdelegandis ab eo, aut eorum ordini regularis obſervantiæ, modo aliquo in præmiſſis, vel eorum occaſione detrahere. (In Bernenſi adduntur ſequentia: *Aut eaſdem dictas Indulgentias & facultates emiſſe, vel ſuper eis cum aliquo conveniſſe, & compoſuiſſe præſumant aſſerere.*) Iſta tamen confeſſionalia non ſe extendunt ad communicationes votorum emiſſorum, ſive abſolutiones peccatorum commiſſorum ante receptionem illorum, quia tunc de emiſſis votis, ſive commiſſis peccatis aliâs reſervatis debent abſolvi ſive diſpenſari à Deputatis, ſuffragabuntur autem poſtea pro futuris. In quorum omnium præmiſſorum fidem, ego frater *Bernardinus Sanſon*, de Mediolano, Ordinis Minorum regularis obſervantiæ, ad præmiſſa deputatus, *manus propriæ ſubſcriptione* & ſigilli impreſſione munitas præſentes tradidi literas & conſignavi. Datum Bernæ 1518. Die 15. Menſis Novembris.

Forma plenariæ abſolutionis, præmiſſa confeſſione.

Miſereatur tui, &c. Et poſt hæc verba communis abſolutionis dicat Sacerdos, iterum auctoritate Apoſtolica tibi conceſſa, & mihi commiſſa, te abſolvo ab omnibus peccatis, delictis & exceſſibus quantumcunque enormibus, hactenus per te commiſſis. Ac à cenſuris quomodo libet incurſis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in quantum mihi facultas conceditur. Et iterum remitto per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio tibi debitam pro præmiſſis. Ac reſtituo te illi innocentiæ & puritati, quam in Baptiſmo accepiſti,

ita

ita, quòd decedenti tibi ab hoc ſeculo clauſæ ſint portæ pœnarum & apertæ januæ deliciarum Paradiſi. Etſi hac vice non morieris, ſalva tibi ſit nihilominus iſta gratia, quum aliâs in articulo mortis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Atqui de his, ſine dubio, Indulgentiis agit *Beatus Rhenanus*, Epiſt. an. Chr. 1518. ad Zvinglium noſtrum ſcripta. Ubi, præter cætera: *ὁ μὲν Καρδινάλιος οὔ μοι πάνυ πιστὸς εἶναι δοκεῖ· Καὐτὸς γὰρ ἐκείνης τῆς κωμῳδίας ἂν ἐστιν, ἂν μὴ ἡ ἀτυχία αὐτοῦ τὸν νοῦν μετέβαλεν. Riſimus veniarum inſtitorem, quem in literis tuis graphicè depinxiſti. Dant belli Ducibus literas properituris in bello. Quàm ſunt hæc frivola, & Legatis Pontificiis indigna? Quid non tandem excogitabitur, ut nummis noſtris potiatur Italia? Nec verò riſu hæc digna puto, ſed lachrymis potiùs.*

Quanti Pontificis authoritatem fecerint Helvetii in diſſidiis, quibus Papæ non raro cum Imperatoribus fuerunt commiſſi, vel hinc patet, quòd Imperatorum ut plurimum ſequuti fuerint partes. Grave & diuturnum fuit bellum Cæſareo-Pontificium, tempore Henrici IV. & Pontificiorum *συγχρόνων*, præſertim Gregorii VII. At Tigurinos, alióſque Helvetios cum Imperatore feciſſe quis dubitet, cùm & confirmationem privilegiorum ſuorum Capitulum Eccleſiæ Tigurinæ ab Imperatore obtinuerit? *Stumpf.* a. Ch. 1114. & Sigifridus Moguntinus Archiepiſcopus (eſt autem Epiſcopatus Conſtantienſis, ſub quo magna pars Helvetiæ, Provinciæ Moguntin.) in Concilio Wormatienſi, an. Chr. 1076. contra Pontificem habito, primam ſedem occupaverit. Quo loco Patres illius Concilii Papam habuerint, docet Epiſtola eorundem, à *Stumpfio* in annalib. lib. 4. cap. 42. ex archivis Tigurinis primùm in lucem edita. Sed & Fridericales habuit Helvetia, qui à Friderico II. ne anathematis quidem fulmine avelli potuerunt, a. Ch. 1240. Vide *Stumpf.* de Tig. lib. 6. c. 16. ὁδηγοῦ P. III. p 429. Hinc Innocentii IV. Bulla pro celebratione Sacrorum in Monaſterio Cappellano: *Cùm*

ſicut

Adhæc prçfatus ſanctiſſimus Dominus noſter,per prædictas literas inhibet ordinariis & aliis quibuscunque, ſub excommunicationis latæ ſententiæ,& quingentorum ducatorum auri fabricæ prædictæ applicandorum pœnis, ne poſt conceſſionem, confeſſionem & abſolutionem hujusmodi de præmiſſis caſibus,ſe quovis modo intromittere,vel tales contribuentes,quò minus hujusmodi facultatibus & gratiis liberè uti,potiri & gaudere valeant,impedire aut moleſtare. Aut ipſi Commiſſario vel delegandis aut ſubdelegandis ab eo, aut eorum ordini regularis obſervantiæ,modo aliquo in præmiſſis,vel eorum occaſione detrahere. (In Bernenſi adduntur ſequentia: *Aut easdem dictas Indulgentias & facultates emiſſe, vel ſuper eis cum aliquo conveniſſe, & compoſuiſſe præſumant aſſerere.*) Iſta tamen confeſſionalia non ſe extendunt ad communicationes votorum emiſſorum, ſive abſolutiones peccatorum commiſſorum ante receptionem illorum, quia tunc de emiſſis votis,ſive commiſſis peccatis aliâs reſervatis debent abſolvi ſive diſpenſari à Deputatis, ſuffragabuntur autem poſtea pro futuris. In quorum omnium præmiſſorum fidem,ego frater *Bernardinus Sanſon*,de Mediolano,Ordinis Minorum regularis obſervantiæ, ad præmiſſa deputatus, *manus propriæ ſubſcriptione* & ſigilli impreſſione munitas præſentes tradidi literas & conſignavi. Datum Bernæ 1518. Die 15. Menſis Novembris.

Forma plenariæ abſolutionis,præmiſſa confeſſione.

Miſereatur tui,&c. Et poſt hæc verba communis abſolutionis dicat Sacerdos,iterum auctoritate Apoſtolica tibi conceſſa,& mihi commiſſa,te abſolvo ab omnibus peccatis, delictis & exceſſibus quantumcunque enormibus, hactenus per te commiſſis. Ac à cenſuris quomodo libet incurſis,etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in quantum mihi facultas conceditur. Et iterum remitto per plenariam indulgentiam omnem pœnam in purgatorio tibi debitam pro præmiſſis. Ac reſtituo te illi innocentiæ & puritati,quam in Baptiſmo accepiſti,

ita

ita, quòd decedenti tibi ab hoc ſeculo clauſæ ſint portæ pœnarum & apertæ januæ deliciarum Paradiſi. Etſi hac vice non morieris, ſalva tibi ſit nihilominus iſta gratia, quum aliâs in articulo mortis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

Atqui de his, ſine dubio, Indulgentiis agit *Beatus Rhenanus*, Epiſt. an. Chr. 1518. ad Zvinglium noſtrum ſcripta. Ubi, præter cætera: *ὁ μὲν Καρδινάλιος οὔ μοι πάνυ πιστὸς εἶναι δοκεῖ· Κἀυτὸς γὰρ ἐκείνης τῆς κωμῳδίας ἂς ἦν, ἂν μὴ ἡ ἀτυχία αὐτοῦ τὸν νῦν μετέβαλεν. Riſimus veniarum inſtitorem, quem in literis tuis graphicè depinxiſti. Dant belli Ducibus literas perituris in bello. Quàm ſunt hæc frivola, & Legatis Pontificiis indigna? Quid non tandem excogitabitur, ut nummis noſtris potiatur Italia? Nec verò riſu hæc digna puto, ſed lachrymis potiùs.*

Quanti Pontificis authoritatem fecerint Helvetii in diſſidiis, quibus Papæ non rarò cum Imperatoribus fuerunt commiſſi, vel hinc patet, quòd Imperatorum ut plurimum ſequuti fuerint partes. Grave & diuturnum fuit bellum Cæſareo-Pontificium, tempore Henrici IV. & Pontificiorum *Συγχρόνων*, præſertim Gregorii VII. At Tigurinos, alióſque Helvetios cum Imperatore feciſſe quis dubitet, cùm & confirmationem privilegiorum ſuorum Capitulum Eccleſiæ Tigurinæ ab Imperatore obtinuerit? *Stumpf.* a. Ch. 1114. & Sigifridus Moguntinus Archiepiſcopus (eſt autem Epiſcopatus Conſtantienſis, ſub quo magna pars Helvetiæ, Provinciæ Moguntin.) in Concilio Wormatienſi, an. Chr. 1076. contra Pontificem habito, primam ſedem occupaverit. Quo loco Patres illius Conclii Papam habuerint, docet Epiſtola eorundem, à *Stumpfio* in annalib. lib. 4. cap. 42. ex archivis Tigurinis primùm in lucem edita. Sed & Fridericales habuit Helvetia, qui à Friderico II. ne anathematis quidem fulmine avelli potuerunt, a. Ch. 1240. Vide *Stumpf.* de Tig. lib. 6. c. 16. ὁδηγοῦ P. III. p 429. Hinc Innocentii IV. Bulla pro celebratione Sacrorum in Monaſterio Cappellano: *Cùm*

ſicut

ſicut ex parte veſtra nobis ſit intimatum, in Monaſterio de Capella non poſſitis ſecurè propter quorundam fautorum Friderici, quondam Imperatoris, potentiam, &c. Fidem Uraniorum, Suitenſium, Subſylvanorum Ludovico Bavaro datam labefactare. Pontificiæ minæ aut anathematiſmi non poterant: Id quod ſæpius jam monuimus. In cauſa Pontificio-Gallica paratiores ſemper Helvetiorum fuiſſe vires, pro Galliarum Rege, quàm Pontifice, vel ex ipſa Pontificis manifeſtum eſt Confeſſione, cujus ſuprà jam meminimus. Confer *Stettler*.an.Ch.1520 pag.595.

P. *VValdenſes in Helvetia nidum paulatim quaſiviſſe, non deſunt conjecturæ.* Vide *Stettler*.anno Chriſti 1268.pag.18.

Q. *Epiſcopis fulmen anathematis minaturis ſilentium imperârunt*; Id.an.Ch.1518. p.578.

R. *Curtiſanos limitibus ſuis proſcripſerunt*, Stettler. an.Ch.1520.pag.508.

S. *Ipſius Pontificis tyrannidem Fratri Nicolao Underwaldio viſione memorabili repræſentatam, exteri etiam obſervârunt.* Vide P.III.ὁδηγῷ,c.1.p.39.

T. *Nævos, quos in Clero, majores noſtri obſervârunt, non attingo.* Magos, *Stettler*.an.Chr.1480.p.239. an.Chr.1511.p.353. habet; de concubinariis & falſariis, vide *Hiſt.Eccleſ.*Sec.XV.p.348.

Quid? quòd ab ipſo etiam Papatu, & religione Pontificia nonnulli Helvetiæ Cantones ſeceſſionem fecerunt. Unde quidam, animis exacerbati, & diſſenſionibus exulcerati, in fœdere nihilominus Helvetico conſtantiſſimi permanſerunt. Non malè *Thuanus* Hiſt. lib.1.pag.57. *Tigurini* Capellana *ſtrage minimè fracti, ſubmiſſo â Bernatibus, Baſileenſibus & Schafhuſianis auxilio denuo prælii aleam ſubeunt, in quo rurſus vincuntur, ſed clade utrinque accepta: Ita ut cùm utramque partem furoris tæderet ac pœniteret, de pace inter ipſos facilè convenit, &c. Ab eo tempore quantumvis creſcente religionis diſſidio ab inteſtinis bellis Helvetii quieverunt.* Credebant multi, quòd & Rhæti facilè odora-

odorabantur, conventum Tridentinum fore fatalem: Sed decollavit ſpes. Non lenocinia deerant, non crebræ & delenificæ literæ, quibus Pontifex Helvetios, tum aliâs, tum a. Ch. 1551. ad Concilium invitavit; *Sleid.* l. 22. p. 289. *Suave Polan:* Hiſt. Concil. p. 427. Sed fruſtrà: Parere Helvetiis, à Regis Galliarum; cui nec illud nec alia obtrudi potuerunt Conciliabula Pontificia; Legato ita inſtigatis, recuſantibus; Rhætis verò Curienſem Epiſcopum Thomam Plantam revocantibus. Obtinuit tandem Papa an. Chr. 1562. à VII. Cantonibus utriusque ordinis Legatos, qui, ſi actis Concilii pag. 655. fides adhibenda, magnam Papæ diſcordiæ alendæ inter Helvetios ſpem fecerunt; moniti verò hac de an. 1566. in comitiis Badenſibus, doctrinam Tridenti probatam ſe quidem amplecti, at ſine Helvetici fœderis jactura. Si quæ à Tridentinis Legatis factæ ſint largiores promiſſiones, ſuperiorum illud aut ſuorum minimè tribuendum Imperio. Atque ſic ea animorum rediit conjunctio, quam, ipſis teſtibus Legatis, vix unquam expectare licuiſſet. Alia orta ζύμωσις ex fœdere illo particulari, an. Chr. 1586. quæ tamen mox rutuba apolegeticis ſcriptis dextrè compoſita fuit, ut vel hinc ſpem concipere poſſimus, nullas deinceps patriam agitaturas procellas, quas non ſummus ille Navarchus miniſtrorum ſuorum dexteritate & ſolertia ſedare & poſſit, & velit.

XLII. Ita habet *Methodus Generalis*; *Specialis* ad unam quamque civitatem, ſeu Pagum eſt accommodata.

Sic verbi gratia I. De *Sangallo* ſpem nobis luculentam & ſuo, & fratris ſui nomine fecit *Ioachimus Vadianus*, in Pomp. Mel. lib. 3. pag. 169. *Hac dulcis patria noſtra eſt, &c. Debeo igitur tanta altrici, cùm publico gentis nomine, tum obligatione privati debiti. Cui enim non ingrato, nec ignobili patria facies jocunda non ſit? Cui non dulce natale ſolum? ea maximè gratia quod educavit.*

educavit. Ac ne quis amore me magis, quàm ſtudio veritatis motum,ut plura de ea referam,exiſtimet,ab omnibus prorſus hoc in loco præconiis abſtinendum cenſui. Alio in opere conati ſumus,& porrò,ubi poterimus, conabimur,ne quis erga patriam ingratos nos fuiſſe aliqua in parte objicere queat. Quod ſi loci commoditatem ob montes,ob flumina,ob aëris gratiſſimam ſalubritatem, & cœli affluxum minimè noxium,ſi civium religionem, prudentiam, æquitatem, humanitatem, belli pacisq; adminiſtrationem,non ſatis pro rei dignitate extulero,ſi ſtudia probatiſſima, & famigerata per Europam mercimonia, non fuero pro dignitate conſecutus, veniam mihi poſteri dabunt, quòd primus illa fuerim auſus: quandoquidem in magnis,ut Propertius ait,& voluiſſe ſat eſt, & plerique, qui poſt me aliis erunt in annis,noſtra audacia ducti fortaſſe meliora proferent. Quorum è numero futurum ſperamus Melchiorem Vadianum fratrem noſtrum. II.*Baſilea* hanc operam præſtitit gratiſſimus civis,*Theodor.Zuingerus*, Meth.Apodem. lib.3. pag. 159. III. Nec *Tiguro* noſtro alumni deerant,qui τὰς ἀμοιβὰς ἀποδῶναι didicerunt. Opportunè his mihi diebus oblata eſt Oratio publicè,à Clariſſimo, doctiſſimóque viro, D. *Ioh.Henrico Huldrico*, Profeſſore Linguæ Græcæ diſertiſſimo, de Patria,magniſque DEI in eam beneficiis habita. Illi, dum ab hæredibus, præclaris Eccleſiæ noſtræ luminibus, editionem ejus avidè expectamus,præmittere liceat Orationem noſtram, cujus ſuprà pag.197. meminimus. Ea verò ita habet:

ORA-

ORATIO HISTORICA,

De

MAGNIS IN REMPUBLI-cam, Scholam & Eccleſiam Tigurinam Dei, tum beneficiis, tum pœnis.

Magnificentiſſime D. Conſul; Proceres Ampliſſimi. Venerande Antiſtes; Magnifice Scholarcha; Paſtores Reverendi, Profeſſores Clariſſimi, Doctores Experientiſſimi, Hoſpites Nobiliſſimi, Tuq; Lectiſſima ſtudioſæ Juventutis Corona, patriæ ſpes, Reipublicæ, Eccleſiæ & Scholæ ſeminarium florentiſſimum.

Plutarchus, Magnus ille & cum paucis conferendus Polyhiſtor, Indum Sagittarium, artis in ea gente Principem, commemorat, ab Alexandro Magno ſpecimen ἀγωγίας dare juſſum, obſequium, pertinaciter an modeſte? haud equidem dixerim, detrectâſſe. Contumeliam verò in Regem latè terrarum victorem, & omnium potiùs, quàm iræ patientem, jam capite luiturum ſe de crimine ſibi impacto apparitoribus ita purgâſſe: Jaculatoriam ab aliquo tempore repoſitam, & à ſe neglectam, exiguam ſibi felicis ſucceſſus ſpem relinquere.

Quòd ſi & ego, Auditores omnium Ordinum ſplendidiſſimi, cui aliquot abhinc annis in fumoſis Rabbinorum antris & inhoſpitis Arabum teſquis detento, vaſto etiam Hiſtoriarum pelago jactato, Rhetorum ſubſellia ſalutare

ſalutare non licuit, curtæ meæ ſupellectilis conſcius, vadimonium deſererem, foro abirem, locúmque adeò dicendi, & ætate provectioribus, & judicio maturioribus, & authoritate gravioribus, eloquio deniq; gratioribus cederem; tanta mihi rigoris alea cum Indo illo extimeſcenda non eſſet. Ecquid enim ſit, quod animum mihi ad tam luculentam ſuſcipiendam Spartam addere queat: Non ingenium, quod infra mediocritatem contigit; Non judicium, quod ſuam, per ætatem ἀκμὴν non attigit: Non eruditio, quam in me perexiguam eſſe fateor: Non honorifica tot ſummorum Virorum, quorum in Ampliſſimo Conſeſſu ora vultúsque intueor, præſentia: Non denique Exercitatio, aut quæ Indi tergiverſantis ſpes eſſe poterat, artis feliciter olim factitatæ jucunda recordatio. Sed bono me animo eſſe, & intrepidè ſuggeſtum conſcendere jubet authoritas ejus, qui hoc mihi oneris, pro Scholæ noſtræ conſuetudine, quod veſtrum nemo ignorat, impoſuit. Juſſu ergò & arbitrio ejus, quem Schola mihi dedit Præceptorem, Collegium Profeſſorem, Eccleſia Antiſtitem, matrimonium Affinem, familia denique Compatrem, verba ad Vos, hac feriæ Protomartyrum Tigurinorum, Felicis & Regulæ παρασκευῇ, facere, σὺν Θεῷ, aggrediar.

Ut verò à carceribus ad metam planâ viâ noſtra decurrat Oratio, & vel ab argumento aliqua mihi apud Vos concilietur authoritas, duo (quibus, ne anxiè mihi in materiæ delectu eſſet laborandum, aut animus variis thematum divortiis diſtrahendus, τῷ καιρῷ δουλεύειν voluit is, cujus monitu provinciam hanc ſuſtineo) Laconica, quantum fieri poteſt, expediam brevitate. Agam primùm de *divinis* in *urbem*, *Rempublicam*, *Scholam* & *Eccleſiam* noſtram collatis & collocatis *beneficiis*: Loquar deinde de *Vindice* Dei *Oculo*, quo tum aliâs, tum verò & cumprimis *die decimo Iunij* proximè elapſo, ita obliquè nos aſpexit, ut exclamare tamen liceat; κατεπόθη ἡ δικαιοσύνη εἰς νῖκος ὁ ἔλεος. Ne, quæſo, diſtœdeat ea, ſine verborum fuco & mangonio avidis haurire auribus, quæ patriam noſtram non modò

ad

ad ſtuporem, ne dicam invidiam, ſingulari DEI gratia florentem & triumphantem, ſed & ob peccatorum molem gementem, manúque DEI graviter tactam, ideo ſuis depingunt coloribus, ut majori in dies pietatis impetu ad averruncandas juſtiſſimas cervicibus noſtris imminentes pœnas feramur. Hoc unum peto, ut ſi in hac animi imbecillitate, quam natura mihi circumdedit & auget hæc frequentia non ſatis fecerit Vobis hæc Oratio, pro veſtra mihi humanitate veniam detis.

Sed ad rem. Beneficiorum DEI in *urbem* noſtram, Rempublicam noſtram, Eccleſiam noſtram, Scholam noſtram initurus numerum unde exordiar? Dies me citius deficiat & charta, quàm vel dicendi vel ſcribendi copia. Pictorum me conſuetudine tuebor, qui, quod penicillo non aſſequuntur, velo contegunt.

Quid cedò eſt, quod vel celeberrimam commendare queat Urbem, cujus luculentiſſima documenta non habeat Tigurum noſtrum? *Antiquitatem* deſideratis? At præter paucos Viros doctos, cæteros vel ineptos λεξιθήρεις & naſutulos vocum Indagatores; vel invidos & malitioſos Hiſtoriarum Helveticarum corruptores κρόταλα καὶ περιτρίμματα τῆς ἀγορᾶς; ultimam hactenus ei denegavit nemo. *Tigurum*, ſcribit *Simlerus* noſter, *abſque omni controverſia eſt una è vetuſtiſſimis urbibus Helvetiæ. Domeſtici Annales tradunt, ſedecim annis poſt Trevirorum urbem conditam eſſe. Treviros autem Trebetam, Nini filium, Patriarchæ Abrahami temporibus condidiſſe, Marianus Scotus in Chronicis memoriæ prodidit.* Sint, qui velint, omnia illa, quæ de *Turico Arelatenſe* minoris, & Suevo majoris Urbis auctoribus referuntur, ſi non carioſis, ſaltem infirmioribus, quàm quibus optaremus, ſuffulta videri tibicinibus; vel apertam etiam redolere fabulam; Non tamen ejus propterea periclitatur antiquitas, quæ aliunde clariſſimè emicat. Celebre enim Tigurinorum nomen eſt in Romanis Hiſtoriis, ut qui non modò cum Cimbris, adverſus Romanos militârunt, ſed & Caſſium Conſulem prodigârunt. Et ne ullus antiquitatis noſtris maſculè

aſſerendæ relinqueretur ſcrupulus, placuit Providentiæ divinæ, inter tot belli motus & metus, ad hanc noſtram uſque propagare ætatem antiqua, à millenis propemodum annis, diplomatum vel autographa, vel indubitata apographa *Ruperti, Alemanniæ Ducis, Caroli M. Ludovici Germanici, Caroli Craſſi, VVernheri Comitis Badenſis, Berchtoldi Ducis Zeringenſis*, aliorum item Imperatorum Auguſtorum, *Henricorum IV. & V. Lotharii, Friderici Barbaroſſæ, Friderici II. VVilhelmi, Richardi, Rodolphi Habſpurgenſis, Alberti I. Caroli IV. Venceslai, Ruperti Palatini, Sigiſmundi, Alberti*, in quibus obvia ubique mentio *Caſtri Turicenſis in pago Zürichgavenſi ſiti; Caſtri Thuricini, ſepulchri Martyrum Thuricenſium S. Felicis & S. Regulæ, Turris Regum Romanorum, eorundemq; Regalis Palatii; Imperialium Legum, & antiquæ Imperialis Majeſtatis conſervationis*: Sed quid Soli mutuamus lucem? Aperta hæc ſunt & extra controverſiæ aleam poſita.

Jam verò, ſi Principibus placuiſſe Viris non ultima laus eſt, Tigurum, cui non ſit πόλεων ἀντάξιον ἄλλων? Placuit illud *Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebuspublicis*, quibus & ortum ſuum debet & præclara incrementa, & toties ſolicitatæ per fœdera confœderationis honorem. Placuit (ſi antiquiſſimis monumentis noſtris fides ſit adhibenda) Thurico, placuit Suevo, placuit Julio Cæſari, Diocletiano Gentilibus; Carolo Magno Chriſtiano, quos Annales noſtri Tigurinæ urbis fundatores agnoſcunt, reſtauratores, auctores.

Placuit Arnolpho, Henrico III. Henrico IV. Henrico VII. Carolo IV. Sigiſmundo, Friderico III. aliiſq; Imperatoribus, quibus Tiguri *ſedem ſæpe figere, Sacra ibidem ſua, ſuorúmque nuptias celebrare* ſolenne fuit. Placuit cumprimis Rodolpho Habſpurgenſi, qui impensè Tigurinis favens res eorum multum juvit, noménque defendit. Placuit & fœderatæ Helvetiæ Cantonibus primis, qui ſponte ei in fædus æternum recepto ceſſerunt πρωτοκλισίαν.

Quod ſi *Privilegiis*, Imperatorum & Regum authoritate

ritate conceſſis, certandum ſit, quid vel à liberrimis exſpectes Imperii Civitatibus, quod ſua paulatim fidelitate non obtinuerit Tigurum? Domi, Curiâ; militiæ vexilla, utrobique Cives honorabantur.

Scribit *Guillimannus: Cudere monetam nonniſi locis antiquis & ſingulari privilegio permiſſum fuiſſe.* Nemo enim neſcit ejus eſſe nummum, cujus eſt ὁ νόμος, qui, ubi Princeps non eſt, loco Principis eſt aut Monarchæ, teſte in Politicis Philoſophorum primo. Sed neque hanc Carolus Craſſus Tigurinis denegavit prærogativam. In *decidendis publicis* provinciarum vicinarum *controverſiis* tanta Tigurinorum fuit authoritas, ut Mediolanenſes, *ſi quando ad Tranſalpina vocarentur judicia ibi diſcuti vel judicari de jure deberent.* Unde & *Cameram, & Palatium, & Fiſcum Imperii* Tigurum noſtrum appellare Veteres ſolent. Notum ex reſcripto Ludovici Pii, Ludovici Magni filii, Aquisgrani anno 821. edito, Sanctique Galli Gothberto Abbati dato, *controverſia inter eundem Abbatem & Epiſcopum Conſtantienſem deciſa, multáq; fiſco Imperiali Thuregi ſolvenda*; expreſſam injici mentionem.

Deerat Coronæ huic unus adhuc flos, *libera Senatus Electio*, quam Cleri tyrannis ad Friderici uſque II. tempora ſuppreſſit. Mortuo enim Berchtoldo ultimo Zeringiæ Duce, Collegiorum & Urbis Advocato, Imperiique Præfecto (quales Tigurum jam inde ab anno Chriſti 913. & deinceps habuit aliquot) Cives anno Chr. 1218. in Imperii tutelam Fridericus recepit, multáque Collegiorum privilegia, &, præter ea jus eligendi Senatum, quod antea non modò ſub Francis, ſed & Germanis aliquandiu, penes Collegia fuerat, in Cives tranſtulit.

Ne verò, qui tot domi inſignibus Imperialibus micarent, belli contemptui aliis eſſent, ecce *purpureo diademate* labarum ſeu vexillum eorum à Rodolpho Imperatore ornatur, quod deinceps non ignominiæ aut amiſſi, accepta clade, ſigni, ut malevoli quidam ineptiunt, (neque enim Majores noſtri à Lotharingiæ Duce

& ab ipſo Papa mutare juſſi,illud detrectâſſent) ſed fidelitatis & virtutis ſymbolum retinuerunt.

Libertatis nomen & pulchrum,& ipſam præſertim rem præclaram eſſe,ii optimè nôrunt, qui pretioſo libertatis amiſſo cimelio duro ſervitutis jugo premuntur. At Tigurum noſtrum non à trecentis tantùm annis,id eſt, à Fœdere Helvetico, ſed multis ſeculis antè libertate ſumma gaviſum fuiſſe, ne antiquiſſima quidem Ciceronis,Julii Cæſaris & Plutarchi monumenta ambigere nos ſinunt. Victi quidem à Romanis, eorum per annos penè quadringentos Imperio paruêre: quo elapſo interſtitio, Gothorum & Vandalorum irruptione,Imperii Romani vires exhauſtæ & ab Alemannis acciſæ fuerunt: fato Urbis noſtræ,quæ hoc torrente inundata quoque erat,triſti & miſerabili. Paulò pòſt tamen à Clodoveo Franco, Alemannorum, cum quibus Tigurini ſua antè arma ſociaverant, domitore Caſtrum Thuricinum, (ſic enim appellabatur) è ruderibus excitatum,ſoliúsque Regis,in libertatis indicium, Imperio ſubeſſe juſſum,Francos ſuperiores agnoſcebat per annos 253. Francico autem translato regno à Merovengiis ad Pipinum,ejusque poſtea filium Carolum Magnum,melius habere, atque adeò ad ſe Tigurum redire,ampliſſimisq; auctum privilegiis, urbs deinceps Germanorum Imperio liberrima eſſe cœpit: Donec tandem,cùm Franci throno excuſſi,Germanis lampadem traderent, Auſtriaca domus limites moderati regiminis tranſiliret, privilegia Helvetiorum convelleret,ipſum verò Imperii caput Urbem variè afflictam deſereret, de alia excutienda quercu ſolicita,fœdere ſe vicinorum æterno munivit.

Poſſem plura in medium afferre de *loci amœnitate, agrorum fertilitate,vinearum copia.* Poſſem, aliorum verbis,commendare cæruleum illum lacus non limoſi,ſed limpidiſſimi, ſupra urbem patuli, tractum, piſcibus ſaluberrimis ſcatentem, & ſeſe in oppidi faucibus effundentem, urbem mediam interſecantem, interſectam duobus pontibus ſubliciis connectentem; ſed vel

ex ſolo Othone Friſingenſi veterem portæ urbis inſcriptionem repetiiſſe abundè fuerit:

NOBILE THUREGUM MULTARUM COPIA RERUM.

Aliò me nunc vocat celebrata illa & per ora Virûm volitans Majorum noſtrorum *fortitudo*, in aſperis & proſperis fides atque conſtantia, juſtitiæ denique eorundem inſignis amor. Tigurinos *fortitudinis* nomine pridem jam inclaruiſſe, ſi quis, rerum noſtrarum ignarus, dubitet, vel ex ſequenti Compendio de cæteris judicium ferat.

Tigurini erant, quorum Exercitus, Cæſare, Floro, Oroſio teſtibus L. Caſſium Romanorum Conſulem cæcidit.

Tigurini erant, qui Tetwilæ parva manu magnas hoſtium copias fuderunt: quadraginta enim civium jacturâ ſeptingentos neci dederunt, ſicque, ut *Gerardus de Roo*, Bibliothecarius Archiducalis loqui amat, *contra hoſtes feliciter pugnârunt*.

Tigurini erant, quos Rodolphus Imperator prælium commiſſurus Bohemicum, in prima collocavit acie, edito ad reliquum Exercitum celeuſmate, ut Tigurinorum, quorum ducenti tum ejus ſequebantur caſtra, quos nôſſet mori paratiores, quàm turpis fugæ exemplum præbere, virtutem imitarentur.

Tigurini erant, qui Grinoviæ inſidiis circumventi, & ad tempus ſecedere coacti, tanto mox, reſumptis viribus, hoſtem invaſerunt impetu, ut, cùm, referente *Iohanne, Monacho Vitodurano, belluarum more furibundi in eum irruiſſent*, tergis verſis, præclaram victoriæ laudem ille Majoribus noſtris, ampliſſimáque ſpolia reliquerit.

Tigurini erant, qui duriſſimam Alberti Ducis, & Caroli Imperatoris quartùm iteratam obſidionem maſculè ſuſtinuerunt.

Tigurini erant, qui variis Exulum fraudibus atque inſidiis irretiti non modò in fatali illa nocte lanienæ civium deſtinata, ſed etiam deinceps pro nova Reipub. forma, pro aris & focis, pro patriæ libertate fortiter certârunt, hoſtémque domeſticum vicerunt.

Tigurini erant, qui laceſſiti, non facilè provocantes dimiſerunt inultos. Quoties enim ab hoſtibus Auſtris damnum paſſi, Talionis legem *μέτρῳ πεπιεσμένῳ* non reddiderunt? Ceſſit armis Majorum noſtrorum Raperſvilla, ceſſit Marca, ceſſerunt latentes ubique inſidiæ Auſtriacæ Bremogarti, Vitoduri, alibi. Ceſſerunt Nobiles, Barones vicini, qui Tigurum ſacris interdictum, &, cujusvis libidini, Papæ decreto, expoſitum, vellicabant ubique & infeſtabant: temere ſomniantes, cultum ſe præſtituros Deo, ſi gnaviter Tigurinis inſultarent. Sed experti ſunt, magno ſuo malo, quàm leviter bruta hæc Papæ fulmina ſtringant eos, quorum portus & portio eſt Deus. Nam & Schwanovium arcem Gerolzeckiorum Rhenoartiguam, Prædatorum receptaculum oppugnatam diruerunt: Freyenſteinium ad Toſam fluvium, & huic vicinam Tüffenam ſuperiorem; Schonevertum item ad Limagum, ſex fortè ab urbe paſſuum millibus; Schlattam denique propè Elgovium Tigurini everterunt.

Qui à nominibus, quæ vehicula ſunt rerum, Urbi noſtræ authoritatem quærunt, habent illi perpetuò in ore: *Duregum*, quaſi *duorum Regum* Civitas; vel *terror Regum*. His delectari poſſunt ſuaviludiis, qui certiora non habent. Hanc nos, etſi nec tutò, nec certò Etymologiam patriæ noſtræ aſſerere poſſimus, affirmamus tamen audacter, fuiſſe Tigurum tum aliàs, tum præſertim Seculo poſt Chriſtum natum decimo quarto hoſtibus terrori, amicis ſolatio, plerisque, quòd unam hanc urbem, nullo præſidio, territorio nullo, munitam, tot & Imperii & Auſtriacorum excipiendis ictibus parem, attoniti viderent, miraculo.

Sed ne his coërceri voluit Veterum Tigurinorum fortitudo cancellis. Nam & *Tigurini* erant, qui faſtum & ſuperbiam Hulderici Reginoburgi Domini ita fregerunt, ut, qui cum honore Dux eorum eſſe detrectavit, accepto tandem annuo ab illis ſtipendio vitam tolerare, eámque adeò inglorius finire coactus fuerit. Et, qui arcibus ſuis, urbi naſſæ inſtar inſidiantibus,

bus,interitum Tigurinis minabatur,faſces non multò poſt humiliter eis detulit.

Tigurini erant manipulus ille fortium Virorum ſexaginta, qui in bello Tigurino, miſero & diuturno, memorante *Stettlero*,plura hoſtium exercitui incommoda intulêre, quàm reliqui urbis milites præſidiarii, extranei plerique,& patriæ ferè noſtræ fatales.

Tigurini erant, quos Italiâ exituros Epiſcopus Fanenſis, *Gorus Gherius* hoc encomio comitatur: ***dignos eos cenſeri commendatione,ſive quòd in ſtativis continentiæ frugalitatisq; ſolita fuerint,ita,ut quantum formidinis ac terroris pugnando fecerint inimicis,tantum admirationis ac benevolentiæ probata illa diſciplina Amicorum mentibus inſeruerint,ut nec ſufficienter laudari pro meritis valeant, nec ſatis digna huic virtuti præmia inveniri.***

Tigurini erant tot egregii & æternitatis monumentis decantati Heroës,quorum vel aliquos,ne in patriam injurius videar, ad virtutis & imitationis exemplum vobis ſiſtere liceat. Ne Hercules contra duos,veteres proverbio dicere ſolebant. At vel unus *Brunius* primus Reipublicæ noſtræ, qualis à trecentis fuit annis, Conſul,*duodecim patriæ proditoribus Raperſvillæ aperto Marte reſtitit*. Rodolphus Habſpurgicus primus poſt interregnum Imperator, *Iacobi Mülleri* civis Tigurini fortitudini & imperterrito animo, vitæ ſuæ,in cujus diſcrimen bello cum Regenſpergio implicitus incurrerat, conſervationem acceptam tulit. Müllerum hunc *Vitoduranus* noſter,quem ipſe oculis ſuis uſurpaverat,*Virum corpulentum* vocat,*procerum,fortemq; viribus*. Quæ Scriptorum, Italorum præſertim, judicia ſint de prælio Novarreno,quo & Græcis & Latinis Helvetii fortitudinis palmam præripuiſſe dicuntur,enarrare nihil attinet. Hoc Tigurini laudis deportârunt,quòd, cùm anceps diu eſſet pugna,Civis tandem ſui *Conradi Engelharti* virtute,qui primò hoſtium tormenta petere & evertere juſſit,memorabilem Helvetii victoriam adepti ſint. Dabat & aliâs ſtrenui militis inſigne ſpe-

cimen. Cùm enim Tremulius, exercitus Gallici Dux machinis & tormentis ad deditionem Novariam cogere tentaret, nuntiis eum monuit, ut ſumptibus parceret; quid enim ejus urbis concutere mœnia juvaret, quæ cuique pateret? portâ ſe cum ſuis apertâ exſpectare, ut erectis ſignis ingreſſi belli aleam experirentur: quoties etiam muri pars corruiſſet, linteis ſaltem expanſis minas tegere juſſit. Nihil dicam de Marco Roeſtio, ſummæ authoritatis & militaris peritiæ, Duce, in quorum decantandis laudibus Italici etiam Scriptores prolixi ſunt & diſerti. Taceo cæteros, quorum ſine dubio rebus geſtis & heroicis facinoribus, *Felix Faber*, & ipſe Tigurinus, poſtea verò Monachus Ulmenſis, motus, hoc poſteritati de patriæ ſuæ civibus reliquit elogium, *quòd ab antiquo homines ſint bellicoſi.*

De veteribus Helvetiæ incolis refert apud Cæſarem Divicus, eos ita à Patribus Majoribúsque ſuis didiciſſe, *ut magis virtute, quàm dolo contenderent, aut inſidiis uterentur.* Quam quidem laudem (neque tamen inficiamur, quin multa Majoribus noſtris ſtrategemata feliciſſimè ceſſerint) ad poſteros propagare Tigurinis curæ fuiſſe & Italica bella probant, & Burgundica.

Becanus, celebris ille per Germaniam Jeſuita, haud obſcurè Helvetios commendat à *fidelitate*. Hanc etiam laureolam Tiguro noſtro cum cæteris Fœderatis communem, liceat bona veſtra cum venia, paulò plenius aſſerere. Hanc enim ut Majores noſtri conſequerentur, ſuam ſemper fidem probârunt Superioribus, paribus, patriæ. Quos urbs noſtra impetus non ſuſtinuit? quæ mala non exantlavit, ut ne fides ejus nutaret? Non Paparum fulmina, non Sacrorum interdicta, non vicinorum convitia, non Clericorum ludibria fidem Tigurinorum Friderico & Ludovico Imperatoribus datam, frangere poterant, aut debilitare.

Quid *ſociis* & *amicis*, æterno, quod ſperamus, & indiſſolubili nexu junctis, non præſtitit?

Teſtis eſt *Helvetia fœderata emergens*, quæ Tigurinorum acceſſione aucta, & Albertum Auſtriacum, & ipſum

ipſum etiam Carolum Imperatorem ita irritavit, ut arma priùs deponere in animum non induxerint, quàm fœderi renunciâſſent. Sed firmius erat fidei vinculum, quàm quod vel bonorum omnium vel corporum etiam jacturâ ſolvi deberet. Non incerta loquor aut obſoleta, ſed ipſa Hiſtoricorum Auſtriacorum authoritate confirmata. Quid non obtulit Imperator, ut Tigurinos cœpti pœniteret? Sed maluerunt illi difficili & Seculi ſpatio vix abſoluto, turbari bello, quàm turpem perfidiæ notam ſibi inurere.

Teſtis eſt *Helvetia afflicta*, quæ Lombardicis, Burgundicis, Suevicis vexata bellis, Tigurinorum non ſemel experta eſt fidem, tum in juvandis Sociis periclitantibus, tum verò in defendendis ſanguine partis atq; paratis privilegiis. Aſſentator videri poſſem, niſi rigantibus genis beneficiis his æternitatis memoriam polliciti eſſent ipſi illi, quibus collata legimus.

Teſtis eſt *Helvetia triumphans*, quæ de libertate ſua jam ſecura, aliis etiam opem tulit. Quàm enim luculentis hac etiam in parte fidem ſuam ſociis probârint Tigurini documentis, in Italicis illis, ad miraculum poſteritati relictis expeditionibus, non modò *Iovii, Guicciardini, & Thuani*; ſed & *Verulanii, Gorii, Piſtorii* aliorúmque indicio & judicio monſtrare proclive eſſet.

Sed neque rebus tantùm ſecundis parati erant fidelitatis ſuæ atque conſtantiæ edere ſpecimina. Deſerti etiam & à ſociis relicti majorem fidei ſemper rationem habuerunt, quàm vel commodi ſui vel incommodi. Cùm enim ſemel Majores noſtri, difficulter tamen, eò pertracti, Papæ fœdere ſociarentur, nullis vel minis, vel promiſſionibus, vel exemplo reliquorum Cantonum avelli, & in Galliarum Regis caſtra pellici poterant, eo etiam tempore, quo Reformationis jam opus fervebat. Unde *Epiſcopus Verulanus: Turicenſes, inquit, ſoli fœdus ſervârunt, vexillum erexerunt, propter quod reliqui ſubſecuti ſunt, pugnârunt tandem ſtrenuè.* Cedro profectò, candore & magnanimitate majorum noſtrorum,

digna eſt illa Magiſtratûs Tigurini ad Clementem VII. Epiſtola. *Cùm enim ſtipendia illi ſua à Clemente poſcerent, hic verò, niſi à Sacrorum mutatione prorſus abſtinerent, repulſa eos abigeret, maſculo Papæ reſponſo intimârunt, quanto ſtudio fidem ſuam illibatam vellent & intemeratam. Apud nos*, ſcribunt, *Eſt, eſt; & non, non, ſi cui quid promittimus, omninò eſſe volumus, id quod Chriſti fidelibus ante omnia congruit, tum erga Chriſtianos, tum Turcas, ſine omni excuſatione.*

Jam verò magnam *Tigurinorum in patriam* fuiſſe fidem, quid multis referam? Cùm Rempublicam malè adminiſtrari vidiſſent, omnem moverunt lapidem, ut peſtilentiſſimis illis ſublatis decoctoribus, Viri ſubſtituerentur publicæ rei amantes; tyrannide exploſa Ariſtocratia induceretur. Cùm denique tot expoſiti hoſtium injuriis, deprædationibus & irruptionibus; arctis nimis ſe limitibus includi dolerent, ſua paulatim pomœria ita dilatârunt, ut, cùm caſtrum antehac fuerit Tigurum, villa & pagus; civitas eſſe cœperit, foſſis primùm & mœnibus cincta, pòſt etiam inde ab auſpicatiſſima Reipublicæ reformatione, Comitatibus, Baronatibus, Civitatibus & Dominiis, præſenti pleriſque pecunia emptis, ampliata.

De *Juſtitiæ* amore, qui in Majoribus noſtris fuit longè maximus, quid ſine blanditiis in médium afferam?

Illi prodeant, qui ut, injuriis affecti, cauſæ bonæ patronos haberent, ſatis ſibi eſſe putabant, in Civium Tigurinorum numerum aſciſci & aſcribi.

Illi prodeant, quibus civitatis jure donatis nec corpora ſua Tigurini denegârunt, nec fortunas.

Illi prodeant, quibus ne Religionis quidem odium ſilentium imperare potuit, quin candidè ad Tigurinos ſcriberent: *Ad Civitatem veſtram, tanquam Juſtitiæ & ſplendoris normam, omnes Chriſtiani Principes ex Germania confluebant.*

לא כמא דאמרת אמך אלא כמא דאמרין מגריא

מגריא *Non quemadmodum dicit mater tua; ſed quemadmodum dicunt vicini tui*; Veteri proverbio exprimere Hebræi ſolebant illud *Prov.c.27.v.2.Laudet te alienus,non os tuum; extraneus,non labia tua.* Quod quidem ne occini mihi jure queat, unius atque alterius Scriptoris, non ſenſum modò, quem etiam hactenus, (nihil enim tota hac oratione præter diſpoſitionem noſtrum eſt) aliunde mutuavimus; ſed & verba Urbis noſtræ Antiquitatem & privilegia perſpicuè aſſerentia, apponemus. Doctiſſimus ille vir, qui Rempublicam ſive Statum Imperii Romano-Germanici deſcripſit,hæc inter alia de Urbe noſtra p.141.reliquit verba.

Tigurum,urbs libera Helvetiæ primaria, & vetuſtate antiquiſſima à Tigurinis nomen adepta eſt. Hi cum Tuginis quartum Helvetiæ pagum tenebant,& unà cum civibus in Italiam infuſi,multum damni ei dederunt. Ex quo liquet,ante Chriſtum natum Tigurinos Alpium tumulos Noricos inſediſſe,& Helvetiam incoluiſſe. Appellatur eadem à nonnullis Turigium & Turregum in Ducatu Alemanico in pago Turgavenſi. In monumentis vetuſtiſſimis extat poſterius nomen in verſu,qui cuidam portæ Vrbis inſcriptus eſt:

NOBILE TURREGUM MULTARUM COPIA RERUM.

Germanicè Zürich/ *mutatione literarum non magna. Sita eſt ad exitum lacus magni,& dividitur ab amne Limago,* Limmath/ *in civitates duas,majorem & minorem, quæ tribus pontibus junguntur valdè amœnis. Exuſta eſt cum aliis Vrbibus, cùm in Galliam profecti ſunt cives cum Rauracis, Tulingis & Latobrigibus,ut ſedem magis opimam & fertilem quærerent. Idcirco ne quis in fuga ſubſidium ſibi relictum putaret & domum redire poſſet, omnes Vrbes, oppidáq; ſua incenderunt. Nihilominus tamen à Iulio Cæſare fuſi & fugati, in priſtinam ſedem redire coacti ſunt, & Vrbem ſuam de integro adornârunt. Imperante Conſtantio Chloro à Germanis deſtructa eſt hæc Vrbs: à Diocletiano autem reparata, amplificata, ac muris, turribus foſſiſq; munita magis. Subdita fuit Romanis annis circiter*

citer

citer 500. uſq; ad Valentiniani III. Imperium. Poſtea ab Alemanis & Francis Orientalibus Rhenum trajicientibus unà cum Gallia, Belgica & Helvetia penitus vaſtata eſt. Iacuit ergo in ruinis uſq; ad Clodovei V. Regis Gallorum tempora, qui compreſſis & domitis Alemanis arcem & Vrbem Tigurinam reparavit. Ab hoc tempore civitas non ſolùm aucta & ornata eſt, rebus ad victum & cultum neceſſariis, ſed religionis etiam Chriſtianæ fundamenta quædam in ea jacta ſunt. Non parùm etiam ad ornandam hanc Vrbem contulit Carolus Magnus, qui Monaſterium extruxit, quod ultimum eſt inter viginti tria, quæ ab eo condita ſunt. Ædificavit ibidem quoq; templum, & in palatio ſuo, quod illic habuit, libenter & multum habitavit. Conſtruxit etiam Baſilicam inſignem & amplam in editiore colle trans limagum circa annum Chriſti 760. in quo hodie domicilium eſt Muſarum, liberalibus ſtudiis linguarum, artium & diſciplinarum affluens, cœtum diſcentium & docentium fovens. Manſit autem in poteſtate Francicorum regum, & in Imperatorum Germanicorum, habuitq; per annos circiter 300. Advocatos ſeu Præſides ab Imperio datos, ſub quibus tamen reparari tota, anno 450. non potuit. Sed ſub Carolo Craſſo demum ædificatio ejus abſoluta eſt & claudi ejus portæ cœperunt. Præfectura autem Imperialis Tiguri penes Principes Zeringenſes fuit uſq; ad annum Chriſti 1218. Idcirco titulum etiam illi uſurpârunt judicum & Advocatorum in omne Turregum juriſdictionem Imperialem habentium, Dei & Imperatorum Gratia. Ab eo tempore in tutela Imperatorum Romanorum fuit & à pleriſq; omnibus amata eſt, propter fidem eximiam in bellis & aliis difficultatibus navatam. Gubernata eſt longo tempore à XII. viris, quibus tandem anno Chriſti 1335. imperium abrogatum eſt, propter inſolentiam & peculatum. Poſt eos deſignatæ ſunt tribus XII. & unus Conſul, ex quorum numero deliguntur in hoc uſq; tempus 50. Viri, qui quotidie Rempublicam adminiſtrant, 200. verò deliguntur, cùm res graviores tractandæ ſunt. Hæc

Guber-

Gubernationis forma ab Imperatore Ludovico IV. confirmata eſt, & adhuc commoda ſalutarisq; civitati habetur. Venit in certamen grave cum Auſtriæ duce, Epiſcopis Argentinenſi & Baſileenſi, Friburgo Briſgojæ, Colmaria & Seleſtadio Fœderatis. Quo quidem in caſu opem Caroli Boëmiæ regis imploravit, verùm cùm nihil auxilii ab eo impetraret, neceſſitate compulſa ſeſe cum Helvetiæ civitatibus, Lucerna, Vriis, Suitia & Vndervvaldia conjunxit, communeq; fœdus anno Ch. 1352. *firmatum eſt. Nihilominus ab Alberto Auſtriaco circumſeſſa eſt equitibus* 2000. *& peditibus* 20000. *Cùm autem expugnari non poſſet, accuſata eſt ab eo apud Cæſarem Carolum IV. qui omni ratione in id incubuit, ut à fœdere Helvetico eam avelleret. Quod cùm obtinere non poſſet, unà cum Alberto illam oppugnavit. Hinc difficultates multæ illi objectæ ſunt, donec Cæſar Carolus IV. in ſocietatem fœderis eam recepit, & pactam cum Helvetiis ſocietatem confirmavit, privilegiisq; pluribus donavit. In hac fide & fœdere Romani Imperii manſit uſq; ad annum Chriſti* 1400. *quo VVenceſlaus Imperator Senatui, populoq; Tigurino vendidit omne jus Advocatiæ Imperialis*, βοηθέιας, Vogtey/ *quod in ea uſque ad illud tempus obtinuerant Imperatores Romani. Conceſſit etiam & tribuit liberam poteſtatem eligendi ex ſuo numero & ordine Advocatum in omne tempus. Hæc libertas à conſequentibus Imperatoribus etiam, & à Carolo V. anno* 1519. *confirmata eſt. Anno Chriſti* 1408. *fœdus fecit cum urbe Glarona, ſalvo tamen jure fœderis prioris. Anno Chriſti* 1423. *etiam cum civitate Berna fœdus æternum pacta eſt. Bellum habuit difficile cum Suitenſibus, Glaronenſibus & reliquis fœderatis Helvetiis, cujus cauſſa duæ recenſentur. Vna fuit jus quoddam: altera fœdus ſeorſim cum Auſtriaca domo ictum. Pugnæ complures commiſſæ ſunt, & utrinque non parum damni datum & acceptum. Sed tandem tranſactis partibus compoſita eſt controverſia.* Et author Archontologiæ Coſmicæ pag. 574. *Tigurum antiquiſſima & auguſta civitas ad portam Lacus, qua*

Lima-

Limagus effluens ſibi viam facit,ſita. Lacus ipſe longitudinem triginta millium paſſuum continet,& ab urbe Tigurinus vocatur. Primordia hujus urbis proximè referunt ad Trevirorum ædificationem,quidam triginta, ſed alii ſedecim annorum faciunt diſtantiam. Fundatio ejusdem duobus tribuitur Regibus,Thurico Regi Arleſiæ, & Suenoni Regi Germanorum; hinc Duregum, quaſi duorum Regum,ſive Regnorum civitas primitùs dicta fuiſſe putatur. Amœnus ſitus urbis ipſius antiquitatis reverentiam tacitè inculcat. Per dictum Limagum dividitur in duas nobiles partes,in urbem magnam & parvam,conjunctas tamen per duos egregios pontes ſublicios,præter duos alios ſuſtinendis molendinis, aliisq; fabricæ aquaticæ operibus deſtinatos. Civitas ſatis populoſa incolis,& magnifica ædificiis,circumcirca tractus hilaris,dum ſuavi aſpectu oculos paſcunt proſpicientium,hinc tam amplus lacus,& duo fluvii Limagus atque Silla,ille perfluens,hic alluens parvam civitatis partem, & in ſuo dorſo quotannis magnam lignorum copiam advehens,illinc campi ſpatioſi & fertiles agri,iſthinc gravida ſub pampino ludentia vineta & bene culta montana,unà cum aëre ad ſanitatem hominum temperato,ſic ut non abs re vetuſtus portæ cuipiam inciſus legatur verſiculus:

NOBILE TURREGUM MULTARUM COPIA RERUM.

Hæc ipſa Civitas apprime commoda eſt Germanis, Italis, Gallis, hæc tranſeundi ſtatio & quaſi tutus terminus pro mercatoribus aliisq; hoſpitibus,unde fit,ut ipſa mercimoniis variis abundet, & opes non tenues congerat. Tigurinorum nomen ex vetuſtis hiſtoriis celebre. Unâ cum Cimbris olim vires Romanas aliquoties attrivêre. Conſulem Caſſium ſtrage magna ſuperatum profligavêre: ſed tandem à Iulio Cæſare in Romanorum poteſtatem redacti fuêre,in eaq; permanſêre uſque ad Alemannorum irruptionem. Poſtquam verò Clodoveus,Rex Galliarum, Alemannos deviciſſet, pervenit hæc civitas ſub manum Gallorum Regum,à quibus duo ibidem collegia,unum virorum,quod dicitur Magnum

Monaſte-

Monaſterium (zum Groſſen Münſter) *alterum fœminarum* (zum Frawen Münſter) *instituta & locupletata fuerunt. Politicum regimen penes certos Voitos, ſeu Advocatos Regios ex contractu erat: iſti habitabant in palatio Regio, quod jam* der Hof *nominatur. Tandem verò devoluta eſt urbs ad Imperium illud Germanorum, quod Romani gerit nomen, & umbratilem ſaltem poteſtatem, ſub quo urbi dati ſunt plerunque Præfecti ex viris Principibus, ſic tamen, ut Civitas nihilominus ſuum haberet Senatum, viris gravibus triginta ſex conſtantem, atque paulatim ab ipſis Imperatoribus macta & ornata fuerit præclaris privilegiis & immunitatibus.*

Ab aliquot ſeculis elapſis hoc nobile Turregum, multa onera, obſeſſiones & anathematum Pontificiorum fulmina ſæpe tulit, variis Fortunæ procellis jactatum, atque odiis multorum preſſum, ut tandem ſe defendendi gratia jam olim Fœderi quatuor Sylvæ Civitatum (hoc enim nomen gerunt primi quatuor confœderati pagi) ſeſe aſſociare coactum fuerit. Quanquam verò quintus hoc ordine fuiſſet pagus, nihilominus quatuor priores ſponte ſua ei primas obtulerunt, ob præclarè geſta plurima, honoris item atque potentiæ excellentiam, ut & alias communi ſocietati valde proficuas commoditates. Hinc primam inter pagorum ſubſellia ſedem obtinet Tigurum, & penes illud publicum totius Helvetiæ eſt grammatophylacium, ubi communes libelli deponuntur, ventilantur cauſſæ, & reſponſa dantur, ordinariè tanquam in juſtitiæ communi foro. In Legationibus, Comitiis, & aliis pagorum publicis negotiis quaſi Præſidis alicujus loco fungitur, vota omnium colligendo.

Audiviſtis, Auditores Spectatiſſimi, magna & planè divina in Vos Veſtróſque beneficia, munera & ornamenta: Audietis deinceps tantò majora, quantò ipſa anima Corpus dignitate antecit; & cœleſtia præſtant terreſtribus, æterna caducis. Nam ubi ad *Scholam* noſtram deventum eſt & *Eccleſiam*, quis adeò in Deum ingratus, patriam impius, poſteritatem væcors, qui igno-

ignoret, plura ſupremi Scholarum & Eccleſiarum Moderatoris in nos clementiæ & bonitatis extare monumenta, quàm quibus recenſendis par ſim?

Vltrò quidem damus, ſuperioribus aliquot Seculis, quibus linguarum ignorantia, ſanæ Philoſophiæ neglectus, Bibliorum contemptus, Theologiæ profanatio, ſumma denique barbaries per orbem fuit graſſata, Tigurinam quoque Scholam, non uſque adeò tum celebrem, paucos aluiſſe Viros eruditos. Admittendi ad munia Eccleſiaſtica non multum fatigabantur Contextuum Originalium Analyſi, Bibliorum notitia, Concionum habendarum dexteritate, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio, Philoſophiæ ſobrio uſu. Hæc enim omnia in Examinibus *pro cura*, ut vocare ſolebant; & *majoribus ordinibus*, exulâſſe, acta nos eorum temporum publica docent. *Leonhardus Brun* (ut vel uno exemplo Majorum noſtrorum in publicis Examinibus praxin ponam vobis ob oculos) *Accolitus* (ne officii quidem nomen ſine mendo exprimere licuit: Accollitum enim antiquiſſima etiam Præpoſituræ ſtatuta vocant, qui ἀκόλυθος vel ἀκόλουθος ſcribi deberet) *examinatus pro majoribus ordinibus bene legit, competenter exponit, malè conſtruit, competenter declinat, & cantat, in computo bene practicat. Admittimus.* Examen verò pro cura ita habet. *Leonhardus Brun de Vlma vel Echingen Preſbyter pro Cura examinatus bene legit, competenter exponit & ſententiat, computum ignorat, malè cantat, & in aliis curam concernentibus, competenter reſpondet. Fiat admiſſio.* Geſta hæc ſunt ſub Nidharto Præpoſito, Doctoris Felicis Malleoli coætaneo, qui proinde, ut fuſiùs alibi dictum à nobis eſt, acerbiſſimè in Canonicorum ejus & præcedentium aliquot ſeculorum ignorantiam, fuit invectus. In hac tamen barbarie & triumphante ubique Monachorum ignorantia non pauca obſervo, quibus Schola fortè noſtra alias celebritate aliquot paraſangis poſt ſe reliquit. Quid enim? nonne Tigurini ſuum à multis jam ſeculis habuerunt *Scholarcham*, cui Scholæ rectè riteque inſtituendæ,

tuendæ, cura committebatur? Primus fuit M. *Berchtoldus*, ab Henrico de Clingenberg (vixit hic an. Chriſti 1271.) Præpoſito & capitulo conſtitutus. Atque hæc nobis Scholæ noſtræ incunabula oſtendunt ipſa Præpoſituræ & Eccleſiæ archiva. *Henricus de Clingenberg, Præpoſitus & Capitulum Thuricenſe, authoritate Venerabilis patris & Domini, D. Eberhardi, Dei Gratia, Conſtantienſis Epiſcopi, accedente, plenam & liberam M. Berchtoldo Canonico noſtro ac omnibus ſuis in Scholaſtica ſucceſſionibus facultatem damus ordinandi de Scholis noſtris, & earum Rectore, prout ſibi viſum fuerit honori Dei competere, & utilitati Eccleſiæ venire.* Sed & leges fortè, quibus tum temporis & Præceptores & Scholaſtici aſtringebantur, audire volupe eſſet? Ecce ſunt in promptu. *Rodolphus de VVartenſee*, (verba leguntur in ſtatutis Eccleſiæ Tigurinæ, pag. 21.) *Præpoſitus & Capitulum ſtatuimus, quòd Scholaſticus Doctorem idoneum puerorum ſub expenſis Capituli inquirere debeat, & eundem capitulo præſentare. Quod ſi per Capitulum ut idoneus fuerit approbatus; ipſum debet Scholaſticus de Scholarum regimine, quamdiu utilis fuerit, inveſtire: ipſumq́ licentiare & à Scholæ regimine penitùs removere, cùm circa doctrinam ſcholarium evidentibus indiciis fuerit negligens aut remiſſus. Idem Doctor puerorum in præſentia Capituli præſtabit juramentum, quòd Scholas & Chorum noſtrum fideliter regat legendo & cantando, & non debet ſine cauſa rationabili removeri. Idem & Doctor puerorum Scholæ noſtræ, qui pro tempore fuerit, omnibus diebus Dominicis & feſtivis, cum Scholaribus majoribus & mediocribus in Choro noſtro debet matutinali officio intereſſe. In diebus verò feſtivis, quando pulſatur tertia, ſcholares omnes debet in ſcholis habere, per prima pulſationem communiter congregatos, & finita pulſatione tertiæ bini & bini ſcholares in proceſſione debent intrare, per ambitum, Chorum noſtrum, & media pars ſcholarium ſe in parte dextra Chori recipiat, reliqua in ſiniſtra & in Choro per tertiam Miſſam & ſextam permanant.*

neant, niſi Minores aliqui finita Miſſa per Magiſtrum ſuum licentiati fuerint ire domum. Verùm, cùm in veſperis tertia pulſatur campana, ſcholares binati Chorum intrare, & ante altare publicum gradatim deſcendendo per medium Chori directa linea ſtare debent, uſque per Sacerdotem; Deus in adjutorium, inchoetur & tunc ſeparatim ſe in Choro recipiant, & Pſalmos legant, & alia quacunque cum Choro noſtro cantent, communiter & diviſim quacunque fuerint decantanda. Debent etiam nonis in Aſcenſione Domini & feſtivitatis corporis Chriſti cum pelligeris intereſſe: Et abſentes ac inſanientes in Choro puerorum puniat Doctor virgâ, ut tranſeat aliis in exemplum. Verùm ſi ſcholares aliquis vel aliqui noſtra ſchola incorrigibiles fuerint & rebelles, adeò quòd per Doctorem puerorum corrigi non valeant ex quacunque cauſſa per ſcholaſticam diſciplinam, ſeu ſi Doctorem puerorum moleſtaverint, aut ipſi injuriati fuerint quoquo modo, is ſcholaſticus, ſi ſine ſcandalo fieri poterit, debet ex officii ſui debito coërcere pœna debita & digna: Quòd ſi per ſe ſufficere ad correctionem talium non valeret, talem correctionem per Adjutorium noſtri Capituli ſtudeat adimplere. Hæc ex ſtatutis.

Nónne multum fuerit, quòd, ad hanc pro Schola curam, quorundam majores, quàm quos domi expectare licuiſſet, faciendi in exteris Academiis progreſſus, acceſſit deſiderium: qui conatus, ut ne ſuffocaretur, ſumptibus publicis, ſublevari debuit? Unde & illis, qui in Canonicorum numerum recepti jam erant & conſcripti, ſua portio Papæ & Epiſcoporum authoritate fuit aſſignata, totóque peregrinationis literariæ tempore conceſſa. Nónne & hoc Tigurinæ Scholæ in ipſis ignorantiæ tenebris facem laudis apud alios accenderit, quòd Bibliothecæ colligendæ & augendæ raram eo tempore illa impenderit operam? Et quamvis incendiis partim, partim mutuationibus (multos libros tempore Concilii Conſtantienſis forulis ſuis hoc ſub prætextu evolâſſe, *Iacobus Friſius*, & ipſe Bibliothecarius, alicubi me-

bi meminit) partim & incuria, ut *Rodolphus de VVartenſee* (qui 60. poſt exuſtam Bibliothecam anno, ſtatuta de juribus & conſuetudinibus Eccleſiæ, ipſiúſque adeò Bibliothecarii officio, reſtauravit) conqueritur, amiſſi perierint libri, ſua tamen iterum ab anno Chriſti 1533. quo Magni Reformatoris noſtri Zuinglii Bibliotheca reliquiis illis fuit addita, incrementa ſumpſit.

Habuit *Schola* noſtra, ante Reformationem, inſigne ornamentum aliud, quòd *ſcriptis* in ea *Hiſtoricis, Medicis, Iuridicis, Aſtronomicis, Poëticis* non pauci, quos Tigurum vel genuit, vel fovit, inclaruerint. De Theologia nihil dicam, quam tamen tum temporis in Helvetia, cui omnis planè literarum amor ab Hiſtoricis abjudicabatur, ſcripto dediſſe paucis contigerat. Tigurini enim, vel ortu, vel ſede fuerunt *Eberhardus Myllerus*, Prætor & Hiſtoricus Tigurinus, cujus vitulâ Gerardus de Roo, Nauclerus & alii non infeliciter arârunt: *Conradus de Muri*, primus Eccleſiæ Tigurinæ Cantor, cujus *Fabularium* ſeu *Dictionarium* Mſc. in Bibliotheca Carolina aſſervatur: *Rapertus* Poëta, Monachus Sangallenſis: *Felix Schmid*, Monachus Ulmenſis: *Eberhardus Schluſinger*, Medicus & Aſtrologus Tigurinus: *Felix Malleolus*, Papæ jam ſuffragio Eccleſiæ hujus Præpoſitus, editis libris ita clarus, ut ipſe etiam *Gaulterius* Jeſuita celebris, Scriptoribus cum Eccleſiaſticis annumerârit: *Nicolaus VVile*, Poëta, *Magiſter Rodolphus*, Phyſicus, cujus utrumque nomen in anniverſariis Præpoſituræ Thurecenſis reperi: *Henr. Nidhartus, Martinus de Bartenſtein, Petrus Numagen*, Trevirenſis; quibus & Johannes *Vitoduranus*, Monachus S. Montis Franciſcanus, accenſeri poteſt, quorum labores & ſcripta etiam noſtra ætate intueri licet.

Hæc verò omnia umbra vix ſunt, magnæ illius, poſt Reformationem, cœlitus Scholis noſtris infuſæ lucis. Poſtquam enim Huldricus Zwinglius in Linguis & artibus eò uſque excelluiſſet, ut crebris ante Religionis Reformationem ab amicis ſalutatus literis, nomen ubique obtinuerit *Viri* (ipſa inſcriptionum, *Glareani, Rhe-*

nani, aliorúmque, quorum autographa penes me habeo, retineo hic verba) *vita pariter & doctrina ſacra Venerandi; Philoſophi & Theologi apud Eremum, integerrimi pariter ac doctiſſimi; facundiſſimi Apollineæ lyræ moderatoris, noſtræq́ tempeſtatis Ciceronis indubitati; Theologi ac Philoſophi verè Chriſtiani; Viri integerrimi Latinè Græceq́ docti; Eccleſiæ Tigurinæ Epiſcopi ac Evangeliſtæ; Philoſophi ac verè Theologi; verè pii Theologi, utriusq́ Linguæ periti, eruditiſſimi*, quo eum Elogio ipſe ornavit *Eraſmus; literarum Cultoris primarii:* Ita initio ſtatim ſuſceptæ provinciæ omnem idem ille movit lapidem, ne vel alius eſſet, diceretur alius; vel ſolus ſibi ἀφθόνους μουσῶν θύρας patere crederet. Scholæ igitur ille noſtræ magis magíſque deformatæ, eam faciem reſtituit, quæ ſe paulatim non vicinis tantùm; ſed & remotiſſimis ita commendavit Eccleſiis, ut ex Germania, Polonia, Belgio, Hungaria, Gallia, Anglia non pauci huc uberioris ingenii culturæ capeſſendæ ergò migrârint. Quos autem Viros dederit, omnigena eruditione præſtantes, liceat, quæſo, ad exemplum & calcar juniorum, Magni noſtri *Buxtorffii* verbis, Præfationi Diſſertationum Philologicarum præfixis, repetere. *Notiſſima eſt*, inquit, *Tigurinorum erga Verbi divini ſtudium pietas. Teſtis eſt*, ita Proceres noſtros compellat, *illuſtre & celeberrimum veſtrum Lyceum, in quo non ſolùm Theologia, & quævis diſciplinæ & artes, ſed & Linguæ magnâ diligentiâ & laude docentur & excoluntur. Teſtis Bibliotheca celeberrima, quam ad ſingularem urbis & Scholæ veſtræ ornamentum magno ſtudio adornatis. Teſtes ſunt hujus rei tot viri ob variarum rerum præclaram ſcientiam, & æternitate digniſſima literarum monumenta, toto orbe celeberrimi, quos urbs veſtra ſemper, à ſuperiore præſertim ſeculo, vel produxit, vel gremio ſuo benigniſſimè fovit. Taceo nunc Theologos, immortalibus ſcriptis claros, quorum ſolorum numerus juſtum poſſet Catalogum conficere. Philologos, Hiſtoricos, Linguarum omnium, & omnis Antiqui-*

tatis

tatis peritiſſimos, ſi quis requirat, ubi præſtantiores, inſigniores, & celebriores quàm inter veſtrates, reperiet? Conradi Pellicani, Theodori Bibliandri, Guilielmi Stukii, Rodolphi Hoſpiniani, Conradi Geſsneri, Caſpari VVaſeri, Lavaterorum, & aliorum, nomina, atque indefeſſi laboris, inexhauſtaq́ in Philologia doctrina, ſcripta, quis niſi qui literas penitùs omnes ignorat? Quæ regio in terris horum non plena laboris? Quis in Antiquitate angulus, quem illi non excuſſerint? quæ lingua, quam non excoluerint? quæ ſcrinia, quæ illi non perquiſiverint? quid obſcuri, quod illi non illuſtrârint?

Satis igitur mihi de *Schola* verba feciſſe videor: *Eccleſia* reſtat, quæ ſi ſingularia Dei beneficia accepiſſe neget, tetra ingratitudinis fuligine ſe denigrat. Etſi enim Thuricenſes, ſeu Tigurini veteres, ipſa Chriſti nativitate priores, Idolis litârint, Mercurii, Appollinis, Minervæ, Martis, Jovis, Iſidis cultui, reliquorum Galliæ populorum exemplo addicti; Plutoni præſertim, qui Germanis Hell (unde & Helvetiorum Nomenclatura) devoti; factum nihilominus, ut ipſo ſtatim Evangelii per orbem, Apoſtolorum operâ, ſparſi jubare, cimmeriæ Gentiliſmi tenebræ è caſtris noſtris, pulſæ fuerint.

Suo relinquam loco, quæ de *Petro*, Helvetiæ πρωτοκήρυκι, exhibet *Metaphraſtes*: Nihil dicam de S. *Beato*, primo à Petro Helvetiæ dato & conſtituto Epiſcopo: habent enim narrationes illæ & authores incertos, & multa mixta fabuloſa; id certum apud pleroſque, & non facilè à quoquam in controverſiam vocatum eſt, Legioni Thebeæ, Tigurinos primas Evangelicæ lucis ſtricturas debere. Cùm enim circa a. Ch. 286. Duce, ſeu Tribuno, Mauritio, ex Mauritania Africæ Regione oriundo, ab Imperatoribus, Diocletiano, cognomento Jovio; & Maximiano, Herculeo dicto, Collegis, ex Oriente Romam Legio illa fuiſſet evocata; Maximiano univerſi Exercitus Imperatore conſtituto, iter in Galliam Tranſalpinam adverſus novos ibi caput efferentes tyrannos conficere jubetur, thura verò Idolis adolere tergiverſata aliquoties decimatur, paucis interim quibus-

dam, è quorum numero S. *Felix* erant, *Regula* & *Exuperantius* (quem Aquiſgranum tandem, ſi fidem *Barteſteinius* Montis Thuricenſis Monachus mereatur, Carolus Magnus deportavit) Tigurum delatis, quorum opera Tigurini ſacris Chriſtianiſmi imbuti repudium avitæ Idololatriæ miſerunt. Quæ tum temporis in Eccleſia Chriſti obtinuerit Religio, alibi diximus. Simplicitatis autem illius primævæ Majores noſtros multis in locis tenaces aliquandiu fuiſſe & ſtudioſos, facilè nos credere ſinit gentis candor & ſynceritas. Creſcentibus verò divitiis & dotationibus per *Clodoveum* primum, deinde & *Carolum M.* alióſque Eccleſiæ factis, ipſa, ſine dubio, doctrinæ puritas jacturam haud levem paſſa eſt. Conſtat interim, *Caroli Magni* adhuc tempore eo in loco, quem *Sepulchrum S.S. Martyrum* vocat, multos pietate & integritate Viros præclaros repertos fuiſſe, qui ſacris, (ſuperſtitione nondum ita infectis & corruptis, ceu fuſiùs in Eccleſiaſtica noſtra Hiſtorica, Sec. VIII. ex Caroli Magni libris, eruimus) incumberent, divináque officia facerent. Ex quo verò Eccleſiæ æſtimari cœperunt à ſplendidis Imperatorum, Regum & Principum privilegiis, immunitatibus, honore πρωτοκαθεδρίας, templorum amplitudine, redituum multitudine, Monaſteriorum & Monachorum frequentia, quis Tiguro noſtro ſuum hoc loco neget, honorem?

Carolini Collegii Præpoſitura, (ut de Abbatiſſana, quæ & ipſa *Regia* eſt; & Petri Æde, quæ antiquiſſimæ Parochiæ nomen habet, nihil referam) Henrici IV. Henrici V. Lotharii, Friderici II. Rodolphi, Alberti, Caroli IV. & V. Wenceslai, Ruperti, Alberti II. Maximiliani, aliorúm q; Regum & Imperatorum diplomatibus munitæ, *Imperialis* vulgò appellari conſuevit. Cui hoc veſtrûm non meritò moveat admirationem, Eccleſiæ hujus ſedem adeò fuiſſe honoratam, ut, teſte *Raperto*, Caroli Craſſi συγχρόνῳ, *Conſtantienſis Epiſcopus poſt ſuam & electionem & unctionem Tigurum abire, populoq; ſe oſtendere obligatus fuerit, non tantùm in antiquæ & memorabilis authoritatis argumentum*; ſed

certiſſi-

certiſſimum indicium, *primatum eam tenuiſſe poſt Cathedralem Conſtantienſem*, ut verba habent bullæ *Johannis XXII*. an. Ch. 1320. ſcriptæ: Cujus quidem conſuetudinis cauſam non malè reddunt, *quòd prima illa, in Conſtantinenſi Diœceſi, Eccleſia, Chriſto nomen dediſſet*.

Cúmque paulatim Cleri tyrannis invaleſceret, Monachorum ſuperſtitio creſceret, Paparum inſolentia & faſtus aggraveſceret, ipſa etiam doctrinæ ſynceritas rareſceret, ſuarum tum Tigurini ſatagentes rerum, operam dant, ut & Magiſtratui ſuus honos maneat illibatus, & Clerus intra limites contineatur. Hinc Sacerdotes fornicarios expellunt, Arnoldum Brixienſem, Cleri Romani flagellum, recipiunt, Papam fidelitatis juramentum excommunicationibus excuſſurum contemnunt, Moniales moleſtas vel in jus vocant, vel armis in ordinem redigunt, delinquentium Sacrificulorum cauſas cognoſcunt, tribunalia exterorum publica fœderis Helvetici authoritate prohibent, jus inveſtituræ acriter defendunt, Pontificem ipſum privilegiis eorum contradicentem reijciunt, Præpoſitos pacis publicæ turbatores finibus ſuis extrudunt; onera civilia Clero imponunt, fidem Imperatoribus datam, ringente Papa, ſervant, Pontificem in Sacris ludentem officii monent, & quod omnium maximum eſt, cùm res ſuas & ſpes periclitari viderent, ipſam Religionem in melius mutant. Heroicus profectò auſus & impetus planè divinus! Hîc jam beneficiorum DEI patet campus, ad cujus aſpectum arrectæ ſtant comæ, attonita pectora. Non certè carnis aut ſanguinis, non brachii ſecularis, non ingenii ſubtilitatis, non ullarum virium humanarum conatus hic eſt.

Illi, qui hactenus Diplomatum & Indulgentiarum Papalium ſuperbiebant ſyrmate, illud nunc abijciant, conſpuant, conculcent? Specimen deſideratis largæ Indulgentiarum Pontificiarum profuſionis? Non deeſſent ſexcenta, modò inſtituti illud noſtri ratio ferret. Indicem dediſſe ſufficiat, qui hac de re in Templi po-

tiſſimùm Majoris uſum olim collectus,ita ſonat: Hæ ſunt Indulgentiæ per Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos datæ, Chriſti fidelibus, qui *Eccleſiam Sanctorum Martyrum, Felicis & Regulæ acceſſerunt in eorum feſtivitate & Dedicatione, & qui ſingulis diebus honorabiliter Eccleſiam viſitârunt. Qui prædicationibus Plebani vel ſuorum ſociorum, qui pro tempore fuerint, interer unt. Qui corpus Chriſti, dum ad infirmos portatur, cum devotione aſſociaverunt. Qui certis feſtis in anno Eccleſiam & altaria viſitaverunt. Qui per circulum anni omni VI. feriâ altaria S. Catharinæ & S. Crucis ſuper teſtudines viſitaverunt: Et qui manum ſuam ad Eccleſiæ ejusdem fabricam porrexerunt adjutricem.* Et primò, per fratrem *Hugonem*, miſeratione divina, S. Sabinæ titulo, Cardinalem; in quatuor feſtivitatibus S. Martæ Virginis XL. dies. In feſto beatorum Martyrum Felicis & Regulæ XL. dies. In dedicatione Eccleſiæ XL. dies de injuncta pœnitentia.

Petrus, miſeratione divina S. Georgii ad Velum aureum Diac. Cardinal. Omnibus, qui fabricæ Eccleſiæ contribuunt, quotiescunque & quandocunque XL. dies, de injuncta pœnitentia.

VVernherus, Dei gratia S. Mogunt. ſedis Archiepiſcopus, omnibus ſubditis, qui diebus Dominicis vel feſtivis, à Plebano, qui pro tempore fuit, vel ejus ſociis, verbum Dei audierint XX. dies, de injuncta pœnitentia.

Frater *Henricus*, Epiſcopus Tridentinus, omnibus viſitantibus Eccleſiam S.S. Martyrum Felicis & Regulæ in nativitate Domini: in Paſchate: in aſcenſione Domini: in Pentecoſte: in IV. feſtivitatibus glorioſæ virginis Mariæ: in die B. Caroli: in feſto Felicis & Regulæ: in dedicatione Eccleſiæ XL. dies de injuncta pœnitentia. In quolibet ipſorum feſtorum. In dedicatione verò cujuslibet altaris in Eccleſia, & Capella. S. Mariæ Virginis, S. Michaelis & hoſpitali pauperum, infra muros XXX. dies. Item audientibus verbum Dei

à Ple-

à Plebano, vel à ſociis ejus, qui pro tempore fuerint XX. dies de injuncta pœnitentia.

Henricus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus omnibus benefactoribus Eccleſiæ S. Martyrum Felicis & Regulæ, XL. dies de injuncta pœnitentia; & ſunt datæ hæ indulgentiæ, quando fabricatur Eccleſia.

VVernherus, Dei gratia Mogunt. ſedis Archiepiſcopus, omnibus viſitantibus dedicationem Eccleſiæ, & altarium in Eccleſia conſtructorum. In vigiliis & diebus dedicat. in quatuor feſtivitatibus B. V. Mariæ, qui devotè acceſſerint ad Eccleſiam XL. dies Indulgentias de injuncta pœnitentia. Item omnibus, qui dant Eleemoſynas Eccleſiæ quocunque modo & quotiescunque XL. dies. Item, qui ſingulis diebus per circulum anni honorabiliter acceſſerunt ad Eccleſiam, hoc eſt, qui intererunt divinis, XL. dies de injuncta pœnitentia.

Conradus, Dei gratia Conſtant. Epiſcopus omnibus, qui ad fabricam Eccleſiæ contribuerunt, quotiescunque XL. dies de injuncta pœnitentia.

Eberhardus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus, omnibus viſitantibus dedicationem majoris altaris, Eccleſiæ S. Martyrum XL. dies de injuncta pœnitentia. Item in dedicatione ſingulorum altarium in Eccleſia conſtructorum XXX. dierum Indulgentias de injuncta pœnitentia.

Frater *Bonifacius*, Dei Gratia Baſonenſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus ſingulis diebus viſitantibus per circulum anni altare S. Crucis ſuper teſtudines X. dierum indulgentias. Item in Nativitate Domini: in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes: in quatuor feſtis glorioſæ V. Mariæ S. Martyrum Felicis & Regulæ. Dedicationis hujus Eccleſiæ & altarium. In feſtis inventionis & exaltationis S. Crucis, S. Auguſtini, & in omnibus feſtivitatibus B. Apoſtolorum XL. dierum Indulgentias, de injuncta pœnitentia. Et iſtas indulgentias ratificavit Henricus, Dei gratia, Epiſcopus Conſt.

Rodolphus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus, qui II. die paraſceve, vig. Paſchæ, &

mens Papa V. in Concilio Vienenſi conſtitutionem, per Prædeceſſorem ſuum, Urbanum IIII. de Dominici feſti celebratione obſervari præcepit. Et omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Dominici feſti ob reverentiam officiis veſpertinis prioribus intereſſe curaverint, Centum dies Indulgentiarum elargiuntur. Item, qui matutinali officio interfuerint, totidem. Item, qui Miſſæ interfuêre, centum. Item, qui ſecundis veſperis interfuerint totidem. Item, qui in die ipſius feſti, primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, quæ in Eccleſia noſtra ſolenniter celebratur, ac completorii interfuerint, quo qualibet horarum prædictarum XL. dierum indulgentias de injuncta pœnitentia conſequuntur. Item illis, qui per octavas illius feſti matutinalibus veſpertinis Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis interfuerint, 100. dies ſingulis diebus ipſarum octavarum de Omnipotentis Dei, Mariæ & B. Apoſtolorum Petri & Pauli, de injunctis 5. pœnitentiis relaxentur. Item, quum Corpus Chriſti in feſto ipſius Sacramenti proceſſionaliter per circuitum Eccleſiæ noſtræ ſolenniter portatur, omnes illi, qui idem Sacramentum devotè ſequuntur, de antiquis indulgentiis à XII. Epiſcopis miſericorditer conceſſis, de quolibet ipſorum XL. dies de injuncta pœnitentia conſequuntur.

Inſuper D. Martinus, dignâ Dei Providentiâ, ejusdem nominis Pontifex V. perpendens fideliter, quantis *hoc tempore S. Mater Eccleſia perfidorum hæreticorum Huſſitarum videlicet, tribuletur incurſibus, nec non per omnes mundi partes ipſa humana conditio continuo peſtilentico morbo*, ſeu etiam diverſarum premitur adverſitatibus tempeſtatum. Ut omnes Chriſti fideles divinâ gratiâ, protectione faciliùs impetratâ, tam à prædictis, quàm aliis quibusvis corporis & animæ releventur moleſtiis & preſſuris, & ut Dominici corporis & *ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo utriusque hominis vera conſiſtit ſalus*, ab eisdem Chriſti fidelibus, in Dominico Corporis Chriſti feſto, ac per octavas ipſius devotiùs veneretur Sacramentum; Indulgentias ipſi

ipſi feſto per quondam Dominum Urbanum Papam IV. præconceſſas auctorizavit, eisdémque novas ſeu longiores ſuperaddens, omnibus ac ſingulis verè pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco ipſius alium pium juxta ſuorum conſilia confeſſorum opus fuerint, 100. & qui præmiſſis in Eccleſiis, quibus illa celebratur, contigerit officiis, interfuerint; Nec non Epiſcopis & aliis Prælatis ſuperiorum, qui Dominicis officiis libenter intereſſent. Et quominus eis, ne ipſis Eccleſiis intereſſe poſſint, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, & aliâs legitimè impeditur. Pro matutinali 200. pro Miſſa totidem, & pro qualibet veſperarum etiam 200. reliquarum verò videlicet primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ & completorii feſti 80. Rurſus autem in quibuslibet octavorum diebus pro ſingulis matutinalium Miſſarum & veſperarum ſimiliter 100. nec non reliquarum horarum officiorum hujusmodi, 40. Illis prætera, qui proceſſioni, in quibus ipſum *vivificum Sacramentum* Dominico feſto juxta præfatarum ritus Eccleſiarum defertur, continuo ſecuti fuerint, ac quibuslibet in feſto, & octavarum diebus hujusmodi, pro pace & tranquillitate Eccleſiæ, Miſſas devotè celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, nec non aliis, in eodem feſto Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſumentibus, etiam 100. ſingulis annis. Profectò, vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandum defertur infirmis, illud cum incenſo luminari procedendo vel ſequendo venerentur, ſimiliter 100. & qui tunc illud aliâs devotè ſecuti fuerint etiam 50. dies, de Omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Apoſtolorum ejus, Petri & Pauli auctoritate confiſi de injunctis ejus pœnitentibus miſericorditer relaxamus. Atque in feſto & diebus octavarum hujusmodi etiam in terris & locis Eccleſiaſticâ quavis auctoritate ſuppoſitis, Interdicto, pulſatis campanis, januis apertis, & alta voce excommunicatis, prorſus excluſis, ſed interdictum, ut citiùs reconciliari ſtudeant, admiſſis. Et illis, qui cauſam vel occaſionem hujus-

neant, niſi Minores aliqui finita Miſſa per Magiſtrum ſuum licentiati fuerint ire domum. Verùm, cùm in veſperis tertia pulſatur campana, ſcholares binati Chorum intrare, & ante altare publicum gradatim deſcendendo per medium Chori directa linea ſtare debent, uſque per Sacerdotem; Deus in adjutorium, inchoetur & tunc ſeparatim ſe in Choro recipiant, & Pſalmos legant, & alia quacunque cum Choro noſtro cantent, communiter & diviſim quacunque fuerint decantanda. Debent etiam nonis in Aſcenſione Domini & feſtivitatis corporis Chriſti cum pelligeris intereſſe: Et abſentes ac inſanientes in Choro puerorum puniat Doctor virgâ, ut tranſeat aliis in exemplum. Verùm ſi ſcholares aliquis vel aliqui noſtra ſchola incorrigibiles fuerint & rebelles, adeò quòd per Doctorem puerorum corrigi non valeant ex quacunque cauſſa per ſcholaſticam diſciplinam, ſeu ſi Doctorem puerorum moleſtaverint, aut ipſi injuriati fuerint quoquo modo, is ſcholaſticus, ſi ſine ſcandalo fieri poterit, debet ex officii ſui debito coërcere pœna debita & digna: Quòd ſi per ſe ſufficere ad correctionem talium non valeret, talem correctionem per Adjutorium noſtri Capituli ſtudeat adimplere. Hæc ex ſtatutis.

Nónne multum fuerit, quòd, ad hanc pro Schola curam, quorundam majores, quàm quos domi expectare licuiſſet, faciendi in exteris Academiis progreſſus, acceſſit deſiderium: qui conatus, ut ne ſuffocaretur, ſumptibus publicis, ſublevari debuit? Unde & illis, qui in Canonicorum numerum recepti jam erant & conſcripti, ſua portio Papæ & Epiſcoporum authoritate fuit aſſignata, totóque peregrinationis literariæ tempore conceſſa. Nónne & hoc Tigurinæ Scholæ in ipſis ignorantiæ tenebris facem laudis apud alios accenderit, quòd Bibliothecæ colligendæ & augendæ raram eo tempore illa impenderit operam? Et quamvis incendiis partim, partim mutuationibus (multos libros tempore Concilii Conſtantienſis forulis ſuis hoc ſub prætextu evolâſſe, *Iacobus Friſius*, & ipſe Bibliothecarius, alicubi me-

bi meminit) partim & incuria, ut *Rodolphus de VVartenſee* (qui 60. poſt exuſtam Bibliothecam anno, ſtatuta de juribus & conſuetudinibus Eccleſiæ, ipſiúsque adeò Bibliothecarii officio, reſtauravit) conqueritur, amiſſi perierint libri, ſua tamen iterum ab anno Chriſti 1533. quo Magni Reformatoris noſtri Zuinglii Bibliotheca reliquiis illis fuit addita, incrementa ſumpſit.

Habuit *Schola* noſtra, ante Reformationem, inſigne ornamentum aliud, quòd *ſcriptis* in ea *Hiſtoricis, Medicis, Iuridicis, Aſtronomicis, Poëticis* non pauci, quos Tigurum vel genuit, vel fovit, inclaruerint. De Theologia nihil dicam, quam tamen tum temporis in Helvetia, cui omnis planè literarum amor ab Hiſtoricis abjudicabatur, ſcripto dediſſe paucis contigerat. Tigurini enim, vel ortu, vel ſede fuerunt *Eberhardus Myllerus*, Prætor & Hiſtoricus Tigurinus, cujus vitulâ Gerardus de Roo, Nauclerus & alii non infeliciter arârunt: *Conradus de Muri*, primus Eccleſiæ Tigurinæ Cantor, cujus *Fabularium* ſeu *Dictionarium* Msc. in Bibliotheca Carolina aſſervatur: *Rapertus* Poëta, Monachus Sangallenſis: *Felix Schmid*, Monachus Ulmenſis: *Eberhardus Schluſinger*, Medicus & Aſtrologus Tigurinus: *Felix Malleolus*, Papæ jam ſuffragio Eccleſiæ hujus Præpoſitus, editis libris ita clarus, ut ipſe etiam *Gaulterius* Jeſuita celebris, Scriptoribus eum Eccleſiaſticis annumerârit: *Nicolaus VVile*, Poëta, *Magiſter Rodolphus*, Phyſicus, cujus utrumque nomen in anniverſariis Præpoſituræ Thurecenſis reperi: *Henr. Nidhartus, Martinus de Bartenſtein, Petrus Numagen*, Trevirenſis; quibus & Johannes *Vitoduranus*, Monachus S. Montis Franciſcanus, accenſeri poteſt, quorum labores & ſcripta etiam noſtra ætate intueri licet.

Hæc verò omnia umbra vix ſunt, magnæ illius, poſt Reformationem, cœlitus Scholis noſtris infuſæ lucis. Poſtquam enim Huldricus Zwinglius in Linguis & artibus eò uſque excelluiſſet, ut crebris ante Religionis Reformationem ab amicis ſalutatus literis, nomen ubique obtinuerit *Viri* (ipſa inſcriptionum, *Glareani, Rhe-*

nani, aliorúmque, quorum autographa penes me habeo, retineo hic verba) *vita pariter & doctrina ſacra Venerandi; Philoſophi & Theologi apud Eremum, integerrimi pariter ac doctiſſimi; facundiſſimi Apollineæ lyræ moderatoris, noſtræq; tempeſtatis Ciceronis indubitati; Theologi ac Philoſophi verè Chriſtiani; Viri integerrimi Latinè Græceq; docti; Eccleſiæ Tigurinæ Epiſcopi ac Evangeliſtæ; Philoſophi ac verè Theologi; verè pii Theologi, utriusq; Linguæ periti, eruditiſſimi*, quo eum Elogio ipſe ornavit *Eraſmus; literarum Cultoris primarii*: Ita initio ſtatim ſuſceptæ provinciæ omnem idem ille movit lapidem, ne vel alius eſſet, diceretur alius; vel ſolus ſibi ἀφθόνως μουσῶν θύρας patere crederet. Scholæ igitur ille noſtræ magis magíſque deformatæ, eam faciem reſtituit, quæ ſe paulatim non viciniis tantùm; ſed & remotiſſimis ita commendavit Eccleſiis, ut ex Germania, Polonia, Belgio, Hungaria, Gallia, Anglia non pauci huc uberioris ingenii culturæ capeſſendæ ergò migrârint. Quos autem Viros dederit, omnigena eruditione præſtantes, liceat, quæſo, ad exemplum & calcar juniorum, Magni noſtri *Buxtorffii* verbis, Præfationi Diſſertationum Philologicarum præfixis, repetere. *Notiſſima eſt*, inquit, *Tigurinorum erga Verbi divini ſtudium pietas. Teſtis eſt*, ita Proceres noſtros compellat, *illuſtre & celeberrimum veſtrum Lyceum, in quo non ſolùm Theologia, & quævis diſciplinæ & artes, ſed & Linguæ magnâ diligentiâ & laude docentur & excoluntur. Teſtis Bibliotheca celeberrima, quam ad ſingularem urbis & Scholæ veſtræ ornamentum magno ſtudio adornatis. Teſtes ſunt hujus rei tot viri ob variarum rerum præclaram ſcientiam, & æternitate digniſſima literarum monumenta, toto orbe celeberrimi, quos urbs veſtra ſemper, à ſuperiore præſertim ſeculo, vel produxit, vel gremio ſuo benigniſſimè fovit. Taceo nunc Theologos, immortalibus ſcriptis claros, quorum ſolorum numerus juſtum poſſet Catalogum conficere. Philologos, Hiſtoricos, Linguarum omnium, & omnis Antiquitatis*

Digitized by Google

tatis peritiſſimos, ſi quis requirat, ubi præſtantiores, inſigniores, & celebriores quàm inter veſtrates, reperiet? Conradi Pellicani, Theodori Bibliandri, Guilielmi Stukii, Rodolphi Hoſpiniani, Conradi Geſneri, Caſpari VVaſeri, Lavaterorum, & aliorum, nomina, atque indefeſſi laboris, inexhauſtaq́; in Philologia doctrina, ſcripta, quis niſi qui literas penitùs omnes ignorat? Quæ regio in terris horum non plena laboris? Quis in Antiquitate angulus, quem illi non excuſſerint? quæ lingua, quam non excoluerint? quæ ſcrinia, quæ illi non perquiſiverint? quid obſcuri, quod illi non illuſtrârint?

Satis igitur mihi de *Schola* verba feciſſe videor: *Eccleſia* reſtat, quæ ſi ſingularia Dei beneficia accepiſſe neget, tetra ingratitudinis fuligine ſe denigrat. Etſi enim Thuricenſes, ſeu Tigurini veteres, ipſa Chriſti nativitate priores, Idolis litârint, Mercurii, Appollinis, Minervæ, Martis, Jovis, Iſidis cultui, reliquorum Galliæ populorum exemplo addicti; Plutoni præſertim, qui Germanis **Hell** (unde & Helvetiorum Nomenclatura) devoti; factum nihilominus, ut ipſo ſtatim Evangelii per orbem, Apoſtolorum operâ, ſparſi jubare, cimmeriæ Gentiliſmi tenebræ è caſtris noſtris, pulſæ fuerint.

Suo relinquam loco, quæ de *Petro*, Helvetiæ *πρωτοκήρυκι*, exhibet *Metaphraſtes*: Nihil dicam de S. *Beato*, primo à Petro Helvetiæ dato & conſtituto Epiſcopo: habent enim narrationes illæ & authores incertos, & multa mixta fabuloſa; id certum apud pleroſque, & non facilè à quoquam in controverſiam vocatum eſt, Legioni Thebeæ, Tigurinos primas Evangelicæ lucis ſtricturas debere. Cùm enim circa a. Ch. 286. Duce, ſeu Tribuno, Mauritio, ex Mauritania Africæ Regione oriundo, ab Imperatoribus, Diocleriano, cognomento Jovio; & Maximiano, Herculeo dicto, Collegis, ex Oriente Romam Legio illa fuiſſet evocata; Maximiano univerſi Exercitus Imperatore conſtituto, iter in Galliam Tranſalpinam adverſus novos ibi caput efferentes tyrannos conficere jubetur, thura verò Idolis adolere tergiverſata aliquoties decimatur, paucis interim quibus-

dam, è quorum numero S. *Felix* erant, *Regula* & *Exuperantius* (quem Aquisgranum tandem, ſi fidem *Barteſteinius* Montis Thuricenſis Monachus mereatur, Carolus Magnus deportavit) Tigurum delatis, quorum opera Tigurini ſacris Chriſtianiſmi imbuti repudium avitæ Idololatriæ miſerunt. Quæ tum temporis in Eccleſia Chriſti obtinuerit Religio, alibi diximus. Simplicitatis autem illius primævæ Majores noſtros multis in locis tenaces aliquandiu fuiſſe & ſtudioſos, facilè nos credere ſinit gentis candor & ſynceritas. Creſcentibus verò divitiis & dotationibus per *Clodoveum* primum, deinde & *Carolum M.* alióſque Eccleſiæ factis, ipſa, ſine dubio, doctrinæ puritas jacturam haud levem paſſa eſt. Conſtat interim, *Caroli Magni* adhuc tempore eo in loco, quem *Sepulchrum S.S. Martyrum* vocat, multos pietate & integritate Viros præclaros repertos fuiſſe, qui ſacris, (ſuperſtitione nondum ita infectis & corruptis, ceu fuſiùs in Eccleſiaſtica noſtra Hiſtorica, Sec. VIII. ex Caroli Magni libris, eruimus) incumberent, divináque officia facerent. Ex quo verò Eccleſiæ æſtimari cœperunt à ſplendidis Imperatorum, Regum & Principum privilegiis, immunitatibus, honore *περιφανοδοξίας*, templorum amplitúdine, redituum multitudine, Monaſteriorum & Monachorum frequentia, quis Tiguro noſtro ſuum hoc loco neget, honorem? Carolini Collegii Præpoſitura, (ut de Abbatiſſana, quæ & ipſa *Regia* eſt; & Petri Æde, quæ antiquiſſimæ Parochiæ nomen habet, nihil referam) Henrici IV. Henrici V. Lotharii, Friderici II. Rodolphi, Alberti, Caroli IV. & V. Wenceslai, Ruperti, Alberti II. Maximiliani, aliorúmq; Regum & Imperatorum diplomatibus munitæ, *Imperialis* vulgò appellari conſuevit. Cui hoc veſtrûm non meritò moveat admirationem, Eccleſiæ hujus ſedem adeò fuiſſe honoratam, ut, teſte *Raperto*, Caroli Craſſi *συγχρόνῳ*, *Conſtantienſis Epiſcopus poſt ſuam & electionem & unctionem Tigurum abire, populoq; ſe oſtendere obligatus fuerit, non tantùm in antiquæ & memorabilis authoritatis argumentum*; ſed certiſſi-

certiſſimum indicium, *primatum eam tenuiſſe poſt Cathedralem Conſtantienſem*, ut verba habent bullæ *Iohannis XXII*. an. Ch. 1320. ſcriptæ: Cujus quidem conſuetudinis cauſam non malè reddunt, *quòd prima illa, in Conſtantinenſi Diœceſi, Eccleſia, Chriſto nomen dediſſet*.

Cúmque paulatim Cleri tyrannis invaleſceret, Monachorum ſuperſtitio creſceret, Paparum inſolentia & faſtus aggraveſceret, ipſa etiam doctrinæ ſynceritas rareſceret, ſuarum tum Tigurini ſatagentes rerum, operam dant, ut & Magiſtratui ſuus honos maneat illibatus, & Clerus intra limites contineatur. Hinc Sacerdotes fornicarios expellunt, Arnoldum Brixienſem, Cleri Romani flagellum, recipiunt, Papam fidelitatis juramentum excommunicationibus excuſſurum contemnunt, Moniales moleſtas vel in jus vocant, vel armis in ordinem redigunt, delinquentium Sacrificulorum cauſas cognoſcunt, tribunalia exterorum publica fœderis Helvetici authoritate prohibent, jus inveſtituræ acriter defendunt, Pontificem ipſum privilegiis eorum contradicentem reijciunt, Præpoſitos pacis publicæ turbatores finibus ſuis extrudunt; onera civilia Clero imponunt, fidem Imperatoribus datam, ringente Papa, ſervant, Pontificem in Sacris ludentem officii monent, & quod omnium maximum eſt, cùm res ſuas & ſpes periclitari viderent, ipſam Religionem in melius mutant. Heroicus profectò auſus & impetus planè divinus! Hîc jam beneficiorum DEI patet campus, ad cujus aſpectum arrectæ ſtant comæ, attonita pectora. Non certè carnis aut ſanguinis, non brachii ſecularis, non ingenii ſubtilitatis, non ullarum virium humanarum conatus hic eſt.

Illi, qui hactenus Diplomatum & Indulgentiarum Papalium ſuperbiebant ſyrmate, illud nunc abjiciant, conſpuant, conculcent? Specimen deſideratis largæ Indulgentiarum Pontificiarum profuſionis? Non deeſſent ſexcenta, modò inſtituti illud noſtri ratio ferret. Indicem dediſſe ſufficiat, qui hac de re in Templi po-

tiſſimùm Majoris uſum olim collectus,ita ſonat: Hæ ſunt Indulgentiæ per Cardinales, Archiepiſcopos, & Epiſcopos datæ,Chriſti fidelibus,qui *Eccleſiam Sanctorum Martyrum,Felicis & Regulæ acceſſerunt in eorum feſtivitate & Dedicatione,& qui ſingulis diebus honorabiliter Eccleſiam viſitârunt. Qui prædicationibus Plebani vel ſuorum ſociorum,qui pro tempore fuerint, intererunt. Qui corpus Chriſti,dum ad infirmos portatur,cum devotione aſſociaverunt. Qui certis feſtis in anno Eccleſiam & altaria viſitaverunt. Qui per circulum anni omni VI.feriâ altaria S.Catharinæ & S. Crucis ſuper teſtudines viſitaverunt: Et qui manum ſuam ad Eccleſiæ ejusdem fabricam porrexerunt adjutricem.* Et primò,per fratrem *Hugonem*, miſeratione divina,S.Sabinæ titulo,Cardinalem; in quatuor feſtivitatibus S.Martæ Virginis XL.dies. In feſto beatorum Martyrum Felicis & Regulæ XL. dies. In dedicatione Eccleſiæ XL.dies de injuncta pœnitentia.

Petrus, miſeratione divina S.Georgii ad Velum aureum Diac.Cardinal. Omnibus, qui fabricæ Eccleſiæ contribuunt, quotieſcunque & quandocunque XL.dies de injuncta pœnitentia.

VVernherus, Dei gratia S.Mogunt.ſedis Archiepiſcopus,omnibus ſubditis,qui diebus Dominicis vel feſtivis,à Plebano, qui pro tempore fuit, vel ejus ſociis, verbum Dei audierint XX. dies, de injuncta pœnitentia.

Frater *Henricus*, Epiſcopus Tridentinus, omnibus viſitantibus Eccleſiam S.S. Martyrum Felicis & Regulæ in nativitate Domini: in Paſchate: in aſcenſione Domini: in Pentecoſte: in IV. feſtivitatibus glorioſæ virginis Mariæ: in die B.Caroli: in feſto Felicis & Regulæ: in dedicatione Eccleſiæ XL. dies de injuncta pœnitentia. In quolibet ipſorum feſtorum. In dedicatione verò cujuslibet altaris in Eccleſia, & Capella. S.Mariæ Virginis.S.Michaelis & hoſpitali pauperum, infra muros XXX.dies. Item audientibus verbum Dei à Ple-

à Plebano, vel à ſociis ejus, qui pro tempore fuerint XX. dies de injuncta pœnitentia.

Henricus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus omnibus benefactoribus Eccleſiæ S. Martyrum Felicis & Regulæ, XL. dies de injuncta pœnitentia; & ſunt datæ hæ indulgentiæ, quando fabricatur Eccleſia.

VVernherus, Dei gratia Mogunt. ſedis Archiepiſcopus, omnibus viſitantibus dedicationem Eccleſiæ, & altarium in Eccleſia conſtructorum. In vigiliis & diebus dedicat. in quatuor feſtivitatibus B. V. Mariæ, qui devote acceſſerint ad Eccleſiam XL. dies Indulgentias de injuncta pœnitentia. Item omnibus, qui dant Eleemoſynas Eccleſiæ quocunque modo & quotiescunque XL. dies. Item, qui ſingulis diebus per circulum anni honorabiliter acceſſerunt ad Eccleſiam, hoc eſt, qui interetunt divinis, XL. dies de injuncta pœnitentia.

Conradus, Dei gratia Conſtant. Epiſcopus omnibus, qui ad fabricam Eccleſiæ contribuerunt, quotiescunque XL. dies de injuncta pœnitentia.

Eberhardus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus, omnibus viſitantibus dedicationem majoris altaris, Eccleſiæ S. Martyrum XL. dies de injuncta pœnitentia. Item in dedicatione ſingulorum altarium in Eccleſia conſtructorum XXX. dierum Indulgentias de injuncta pœnitentia.

Frater *Bonifacius*, Dei Gratia Baſonenſis Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus ſingulis diebus viſitantibus per circulum anni altare S. Crucis ſuper teſtudines X. dierum indulgentias. Item in Nativitate Domini: in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes: in quatuor feſtis glorioſæ V. Mariæ S. Martyrum Felicis & Regulæ. Dedicationis hujus Eccleſiæ & altarium. In feſtis inventionis & exaltationis S. Crucis, S. Auguſtini, & in omnibus feſtivitatibus B. Apoſtolorum XL. dierum Indulgentias, de injuncta pœnitentia. Et iſtas indulgentias ratificavit Henricus, Dei gratia, Epiſcopus Conſt.

Rodolphus, Dei gratia, Conſtant. Epiſcopus omnibus Chriſti fidelibus, qui II. die paraſceve, vig. Paſchæ, &

Dominica Reſurrectionis in Eccleſia *Thuricenſi imaginem crucifixi in ſepulcro Dominico viſitaverit*, XL. dierum Indulgentias.

Frater *Ægidius*, Grandens. Patriarcha, *Martinus* Archiepiſcopus Bracharenſis: Cando, Nolanus; Frater Maurus Ameliens. Nicolaus Capritanus: Frater Jacobus Chalcedonienſis: Thomaſius Coronenſis: & Gandolfus Brixienſis, ejusdem gratia, Epiſcopi omnibus viſitantibus cum devotione altaria B. Catharinæ, & S. Crucis ſuper teſtudines in nativitate Domini, in reſurrectione: aſcenſione: pentecoſte: in quatuor feſtivitatibus B. Mariæ Virginis: in feſto B. Apoſtolorum, Petri & Pauli, & omnium aliorum Apoſtolorum: Johannis Baptiſtæ: S. Michaelis: S. Crucis, S. Catharinæ: S. Nicolai: S. Martini. S. Laurentii: S. Martyrum Felicis & Regulæ: S. Agnetis Virginis: S. Verenæ: in feſto omnium Sanctorum: in dedicatione omnium altarium prædictorum, & prædictarum omnium feſtivitatum octavas, XL. dierum indulgentias: nec non in qualibet VI. feria per circulum anni XL. dies de injuncta pœnitentia.

Et iſtæ indulgentiæ ſunt confirmatæ per *Henricum*, Dei gratiâ, Conſtant. Epiſcopum, An. D. 1294. II. Idus Julii Ind. VII. Et ſunt indulgentiæ octo Epiſcoporum, inter quos eſt unus Patriarcha, & unus Archiepiſcopus, & ſunt XXXIII. feſta & totidem octavæ, & in quolibet feſto, & in qualibet octava veniunt CCC. & XX. dies Indulgent. de injuncta pœnitentia: & ſunt LII. ſextę feriæ.

Stephanus Oppidenſ. Frater Jacob Chalcedon. Frater Romanus Cro. Frater Jacobus Turibulenſis: Gandolphus Brixinenſis, & Nicolaus Capritanus, Dei gratiâ, Epiſcopi, & ſunt VI. Epiſcopi, omnibus Chriſti fidelibus viſitantibus cum devotione Eccleſiam S. Martyrum Felicis & Regulæ, & altaria S. Crucis, & B. Catharinæ ſuper teſtudines in nativitate Domini, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & in IV. feſtis B. Mariæ Virginis, in feſto Sanctorum Felicis & Regulæ: in feſtis Apoſtolorum omnium in feſtis S. Crucis & B. Catharinæ,

tharinæ, S.Nicolai. In dedicatione ipſius Eccleſiæ,& octo diebus,Dominicas feſtivitates immediatè ſequentibus XL.dies Indulg. Et omnibus ſex feriis per circulum anni XL.dies. Nec non omnibus,*qui Paſtorem vel Sacerdotem ſanctiſſimum corpus Chriſti ad infirmos portaturo*,aſſociaverunt, XL. dies de injuncta pœnitentia. Et ſunt XXV. feſta & totidem octavæ,& in quolibet feſto,& in qualibet octava de ſex Epiſcopis veniunt CC. & XL. dies: Et de LII. Sex feriis omni ſexta feria veniunt 260.dies, de injuncta pœnitentia. Et fuêre iſtæ indulgentiæ confirmatæ per *Henricum* Epiſcopum Conſtantienſem prædictum,anno prædicto.

Omnes Epiſcopi Conſtantienſes,qui pro tempore fuerunt,ratificaverunt & confirmaverunt Indulgentias præſcriptas, & addiderunt de ſua gratia quilibet XL. dies,de injuncta pœnitentia. In conſecratione S.Crucis, S.Catharinæ, S.Mariæ, in Capella, & S.Michaelis altarium. Dedit omnibus viſitantibus dedicationes altarium prædictorum. Et qui per octavas frequentaverint altaria prædicta XL. dierum Indulgent. ſuper criminalibus. Item idem Hartm.Auguſt.Epiſcopus.

Hartmannus D.G. Auguſtenſis Epiſcopus, dedit Eccleſiæ noſtræ Thuricenſi gratiam datam à Wernhero, Archiepiſcopo Mogunt.videlicet in quolibet B.V.Mariæ feſto, S.Martyrum Felicis & Regulæ, dedicationis Eccleſiæ: & in feſto Caroli XL.dies de injuncta pœnitentia: & omnibus Eleemoſynas dantibus,& qui ſingulis diebus honorabiliter acceſſerunt ad Eccleſiam XL. dies,de injuncta pœnitentia. Et iſtas indulgentias confirmavit Rodolphus Epiſcopus Conſtantienſis, anno Domini 1274.

Recollectæ & conſcriptæ ſunt hæ indulgentiæ per originalia anno Domini 1312.per Waltherum, Plebanum Eccleſiæ Thuricenſis de Wediswile.

Indulgentia feſti Corporis Chriſti.

Ut feſtum S.S. Corporis Chriſti fidelibus celebriùs & frequentiùs per univerſum orbem celebretur, *Cle-*

mens Papa V. in Concilio Vienenſi conſtitutionem, per Prædeceſſorem ſuum, Urbanum IIII. de Dominici feſti celebratione obſervari præcepit. Et omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui Dominici feſti ob reverentiam officiis veſpertinis prioribus intereſſe curaverint, Centum dies Indulgentiarum elargiuntur. Item, qui matutinali officio interfuerint, totidem. Item, qui Miſſæ interfuêre, centum. Item, qui ſecundis veſperis interfuerint totidem. Item, qui in die ipſius feſti, primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ, quæ in Eccleſia noſtra ſolenniter celebratur, ac completorii interfuerint, quo qualibet horarum prædictarum XL. dierum indulgentias de injuncta pœnitentia conſequuntur. Item illis, qui per octavas illius feſti matutinalibus veſpertinis Miſſæ, ac prædictarum horarum officiis interfuerint, 100. dies ſingulis diebus ipſarum octavarum de Omnipotentis Dei, Mariæ & B. Apoſtolorum Petri & Pauli, de injunctis 5. pœnitentiis relaxentur. Item, quum Corpus Chriſti in feſto ipſius Sacramenti proceſſionaliter per circuitum Eccleſiæ noſtræ ſolenniter portatur, omnes illi, qui idem Sacramentum devotè ſequuntur, de antiquis indulgentiis à XII. Epiſcopis miſericorditer conceſſis, de quolibet ipſorum XL. dies de injuncta pœnitentia conſequuntur.

Inſuper D. Martinus, dignâ Dei Providentiâ, ejuſdem nominis Pontifex V. perpendens fideliter, quantis *hoc tempore S. Mater Eccleſia perfidorum hæreticorum Huſiſtarum videlicet, tribuletur incurſibus, nec non per omnes mundi partes ipſa humana conditio continuo peſtilentico morbo*, ſeu etiam diverſarum premitur adverſitatibus tempeſtatum. Ut omnes Chriſti fideles divinâ gratiâ, protectione faciliùs impetratâ, tam à prædictis, quàm aliis quibusvis corporis & animæ releventur moleſtiis & preſſuris, & ut Dominici corporis & *ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo utriusque hominis vera conſiſtit ſalus*, ab eisdem Chriſti fidelibus, in Dominico Corporis Chriſti feſto, ac per octavas ipſius devotiùs veneretur Sacramentum; Indulgentias

ipſi

ipſi feſto per quondam Dominum Urbanum Papam IV. præconceſſas auctorizavit, eisdémque novas ſeu longiores ſuperaddens, omnibus ac ſingulis verè pœnitentibus & confeſſis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto jejunium, vel loco ipſius alium pium juxta ſuorum conſilia confeſſorum opus fuerint, 100. & qui præmiſſis in Eccleſiis, quibus illa celebratur, contigerit officiis, interfuerint; Nec non Epiſcopis & aliis Prælatis ſuperiorum, qui Dominicis officiis libenter intereſſent. Et quominus eis, ne ipſis Eccleſiis intereſſe poſſint, pro conſervandis ſuarum dignitatum juribus, & aliâs legitimè impeditur. Pro matutinali 200. pro Miſſa totidem, & pro qualibet veſperarum etiam 200. reliquarum verò videlicet primæ, tertiæ, ſextæ, nonæ & completorii feſti 80. Rurſus autem in quibuslibet octavorum diebus pro ſingulis matutinalium Miſſarum & veſperarum ſimiliter 100. nec non reliquarum horarum officiorum hujusmodi, 40. Illis præterea, qui proceſſioni, in quibus ipſum *vivificum Sacramentum* Dominico feſto juxta præfatarum ritus Eccleſiarum defertur, continuo ſecuti fuerint, ac quibuslibet in feſto, & octavarum diebus hujusmodi, pro pace & tranquillitate Eccleſiæ, Miſſas devotè celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, nec non aliis, in eodem feſto Euchariſtiæ Sacramentum devotè ſumentibus, etiam 100. ſingulis annis. Profectò, vice qualibet eis, qui dum corpus Dominicum communicandum defertur infirmis, illud cum incenſo luminari procedendo vel ſequendo venerentur, ſimiliter 100. & qui tunc illud aliâs devotè ſecuti fuerint etiam 50. dies, de Omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Apoſtolorum ejus, Petri & Pauli auctoritate confiſi de injunctis ejus pœnitentibus miſericorditer relaxamus. Atque in feſto & diebus octavarum hujusmodi etiam in terris & locis Eccleſiaſticâ quavis auctoritate ſuppoſitis, Interdicto, pulſatis campanis, januis apertis, & alta voce excommunicatis, prorſus excluſis, ſed interdictum, ut citiùs reconciliari ſtudeant, admiſſis. Et illis, qui cauſam vel occaſionem hujus-

hujuſmodi interdicto dederint, altari nullatenus appropinquantibus, Miſſæ & officia præmiſſa, licitè celebrari poſſint, auctoritate Apoſtolica per præſentes concedimus: aliiſque circa obſervationem interdictorum à noſtris ſint inſtituta, præceſſoribus in ſuo robore duraturis. Datum Romæ apud S. Apoſtolos VII. Kal. Junii, Anno Domini M CCCC XXIX. Pontificatus verò noſtri Anno XII. Sed redeamus in viam.

Illi, qui honorificentiſſimo ejus ætatis titulo *Defenſorum Eccleſiaſticæ libertatis*, ſupra Reges & Principes evehebantur, hæretici dici malint & Eccleſiæ deſertores ἐπιχαπάρχθαι.

Illi, qui contra Bohemos antea, contra Saracenos, contra fidei ſocios ad Pontificis nutum & votum arma ſumebant, nunc ſuas eum ſibi res habere jubeant?

Illi, quibus Papæ juſſa oracula hactenus erant, nunc ne caſſa quidem ampliùs nuce digna æſtimare incipiant?

Illi, quorum tanta in Curia Romana fuit authoritas, ut ampliſſimas dignitates commendationibus ſuis obtinuerint, pro ſtercoribus hæc omnia ducant, & quiſquiliis?

Illi, qui ob res præclarè in Pontificis gratiam geſtas, omnium in ore verſabantur, nunc ludibrium Romæ fiant & fabula vulgi?

Illi, quibus corporis ſui idem ille committebat cuſtodiam, permoveri non poterant, ut eorundem ſacrorum participes perſiſterent?

Illi, quorum opera Pontifici in gerendis bellis commendatiſſima erat, protinus jam reſiliant, & belli gloriam contemnant?

Illi, quorum in Papatu devotio ad exemplum ſæpe poſita erat, laudem illam poſthabeant?

Illi, qui ſociis, amicis, Fœderatis in reliquis tam faciles erant & obſequentes, jam ubi de revocanda Reformationis ſententia monentur, aures planè obdurent?

Illi, qui clade victi, civium convitiis agitati, hoſtium oppre-

opprobriis vexati, omnem culpam in ſacra mutata rejici quotidie audientes, in Patrum vias reduci non poſſint? *Nemo non dicit* (exciderunt hæc verba magno & conſtantiſſimo Conſtantienſium præconi D. *Ambroſio Blaurero*, ad Fratrem Thomam, ejusdem loci Conſulem d. 3. Novemb. 1531.) *qui humana ſpectat, totam Tiguri gloriam extinctam, poſteaquam tot optimi & Clariſſimi Viri occubuere. Verum habet Deus noſter, unde omnia, in meliorem, quàm priùs erant, ſtatum reſtituat, ad cujus tutiſſimum præſidium age confugiamus, ſecuriſſimi futuri inter omnes iſtas preſſuras & turbines Mundi.*

Illi, ut verbo dicam, qui tot minis territi, promiſſionibus pellecti, denegatione ſtipendiorum multati, Chriſtum cruci affixum adorant Ægypti deliciis craticulas, equuleos, rogos aliáque ſexcenta ſupplicia præferunt, viribus hæc & arbitrio humano adſcribant? Abſit vel cogitare. Dei opus eſt, quod meritò animos noſtros percutit admiratione. Placuit enim illi, ut Clariſſimi ſeculi hujus Theologi D. *Henrici Altingi*, Præceptoris noſtri honorandi utar verbis, *Tigurum noſtrum eſſe Hieroſolymam & Zion, ex qua ſuaviſſima Evangelii vox ad Helvetios, Rhetos, Valeſios, Germanos, Hungaros, Scotos, Anglos, Polonos aliosq; qui grata* hoc literis ſuis ad Majores noſtros ſcriptis agnoverunt mente, *prodiret.*

Agnoſcis, ô Eccleſia Tigurina, quo te Deus collocàrit loco. Et certè à primo illo Reformationis momento ita in hanc Rempublicam & Eccleſiam ſævitum eſt, quaſi, ſtante illa, ſtaret Reformata Religio. Hinc plura pii noſtri Majores geſſerunt bella Theologica, quàm multi legerunt. Plura contra Pontificios, Arrianos, Socinianos, Judæos, Anabaptiſtas, Saracenos aliosque tum Hæreticos, tum Schiſmaticos ſcripſerunt, quàm vel ipſi amici credere, vel adverſarii refutare potuerint. Quoties Eccleſiæ non vicinæ tantùm, ſed & longè diſſitæ, inteſtinis diſſidiis diſtractæ, clandeſtinis Seductorum machinis circumventæ, apertis hoſtium

veri-

veritatis viribus attritæ, & natale ſolum vertere coactæ, ad Majores noſtros tanquam ad ancoram confugerunt? Pro Lege enim & Rege cæleſti tantus illorum fuit Zelus, tanta cura, tantum ſtudium, ut fortunas ſuas, corpora ſua, libertatem ſuam periclitari maluerint, quàm ſtationem cœlitus aſſignatam turpiter deſerere. Ignoſcite, *Auditores*, paulò fuſius hæc pandenti, neque tam amori, quo quisq; in patriam ſuam fertur, quàm officio, ipſi Jehovæ debito, hæc omnia tribuite פסרת אלנעמה׳ מן כפרהא *Perijt beneficium apud illum, qui illud contegit atque celat*, elegantiſſimo, felices Parœmiaſtæ Arabes, dicere ſolent Adagio. Noſtra ergò ſive ingratitudine ſive ſilentio pereant, quæ acervatim Deus in nos contulit beneficia? Abſit: Quin memori ſemper mente tum cætera Dei in nos munera, tum verò cumprimis magnum illud Reformationis opus, ſecundam N. T. Pentecoſten, recolamus. Hæc religionis emendatio quibus paulatim gradibus tentata, quo ſucceſſu finita fuerit, Hoſpiniani noſtri, quàm meis proferre verbis malo. Durarunt, inquit, *Præfat. in Hiſt. Sacram, P.* 1. hæ denſiſſimæ & plus quàm Cimmeriæ tenebræ in toto orbe Chriſtiano, juſto ſuo judicio ſic puniente Deo peccata hominum, ſexcentis proximè elapſis annis. In primis autem ab Innoc. 3. ſeu ab origine mendicantium Monachorum, hoc eſt, ab anno D. 1200. uſq; ad annum 1515. veluti diluvio quodam altiſſimo atque validiſſimo ſponſa dilecta, ſeu Eccleſia Chriſti miſerè oppreſſa jacuit. In hoc tamen caliginoſo rerum ſtatu, & obſcuriſſimis tenebris, vera lux Verbi Dei ſubinde animis ſanctiſſimorum Majorum noſtrorum nonnihil affulſit: cujus aliqua ſaltem, ſed certiſſima argumenta & indicia in medium adducam. Toto hoc temporis ſpatio, quo Monachatus in orbe Chriſtiano viguit, in Urbe tamen veſtra, quamvis magna & ampla, nullum annis minimùm ſeptingentis à Monachatus exordio, vel Benedictinorum, vel Cluniacenſium, vel Camoldulenſium, vel Carthuſianorum, vel Ciſtercienſium, vel Præmon-

monſtratenſium Cœnobium, ſed unicum Collegium Canonicorum regularium, qui plerique Verbum Dei ab initio prædicabant, à Carolo M. & aliud Canoniſſarum, à Ludovico Germanico, Bavariæ & Oſtrofrancorum Rege, Ludovici pii F. inſtitutum & fundatum fuit, in quo ipſe tamen Principum, Comitum & Baronum filiæ liberæ, & ab omni voto immunes vivebant, ut quandocunque libitum fuiſſet, prodire & honeſtas nuptias contrahere licuerit eis: uſque ad tempora Monachorum Mendicantium, hoc eſt, ad Annos Chriſti 1220. tunc enim locuſtæ illæ demùm catervàtim hanc quoq; Urbem ingreſſæ, aliquot in ea locis; licet invito Magiſtratu & Canonicorum Collegio; domicilium & ſedem, procurante hoc Pontifice Rom. ſibi parârunt. Quæ res ſatis magno documento eſt, Majores noſtros, quamvis religioſiſſimos homines, Monachatum non approbâſſe. Deinde, quum Chriſtianiſſimi Imperatores Henrici, Friderici & Ludovicus 4. omnibus perfidiæ, crudelitatis & ſævitiæ modis à Pontificibus Rom. oppugnarentur, excommunicationis fulmine ferirentur, & bellis feralibus peterentur, Majores tamen noſtri Pontificibus nunquam, ſed contra immanem eorum tyrannidem Imperatoribus ſemper, tanquam legitimo ſuo, & à Deo ordinato Magiſtratui & juſtiorem cauſam defendenti, adhæſerunt, eorumque cauſam armis dedefenderunt, quamvis à Pontificibus ipſi, non minùs quam Imperatores, tertiò anathemati ſubjecti fuerint, indeque non levia damna acceperint. Unde certò colligi poteſt, eos ne in tetris quidem iſtis tenebris Papam magni unquam feciſſe. Accedit his tertiò, quòd plurimi in his tenebris non ſolùm ex veſtro Ampliſſimo Ordine, quorum aliquos nominare poſſem, ſed etiam ex promiſcua plebe optimi quique de Eccleſiæ triſtiſſima facie, & omnium ſacrorum horribili profanatione, corruptione & vaſtatione graviter multoties conqueſti ſunt: illud ſubinde ingeminantes, ſcire ſe quidem, Veritatem ſepultam jacere, & horribiliter oppreſſam obſcuratamque eſſe, ſed quo modo, aut à quibus in

lucem revocari poſſit, ſe planè neſcire; ideoque cœperunt non ſine ſuſpiriis & gemitibus divinum implorare auxilium, & querelas conſiliaque ſua cum fidis conferre communicareque amicis. Inter ipſos Clericos quoque non pauci lugubrem Eccleſiæ ſtatum deplorârunt: in primis verò Huldrychus Zvinglius, cùm adhuc ageret in Mariæ Helvetiorum eremo, circa an. Chriſti 1516. conferre cœpit ac diſputare cum D. Matthæo Cardinali & Epiſcopo Sedunenſi, tum in Helvetiis agente, de Eccleſiæ corruptione, de humanarum traditionum fœdis erroribus, deque graviſſimo ceremoniarum pondere, pios tantùm non opprimente, ſimulque monere, ut ceremoniarum, ſuperſtitionum, abuſuum & errorum ingentem vim, paulatim tollere aggrediantur, qui clavum Eccleſiæ teneant, & ad gubernacula ejus ſedeant. Hoc enim niſi maturè fiat, illam aliquando nimio pondere nutantem ac depreſſam, maximo cum fragore ruituram. Ejus zelum, ſtudium & fervorem, cùm omnes, qui liberationem Eccleſiæ exſpectabant, vehementer probarent, Tigurum vocatur legitimè ad paſtoralem Eccleſiæ curam ſuſcipiendam. Eò cùm veniſſet, ipſis Calen. Jan. anni 1519. incepit publicè è ſacra cathedra Eccleſiæ, jam ſuæ fidei concreditæ, Evangelium Matthæi enarrare, & beneficium redemptionis noſtræ in unico Filio Dei Jeſu Chriſto demonſtrare. Id cùm magno animi ſtudio, & frequenti totius Eccleſiæ concurſu, omniumq; ordinum gratulatione ſumma ac lætitia faceret, venit Tigurum etiam Româ à Pontif. miſſus Franciſcanus quidam Monachus, Samſon nomine, Mediolanenſis, Indulgentiarum Pontificiarum præco impudens. Prædicabat hic, ſanctiſſimum ac beatiſſimum Papam gratiarum aperuiſſe fontem, plenariámque peccatorum remiſſionem ad Helvetios derivâſſe, ad eos, inquam, qui oblatam ſalutem recipiant, & promptâ redimant pecuniâ. Prædicabat etiam, animas jam olim à corpore ſolutas, nunc proximè Indulgentiarum beneficio ex purgatorio evolare ad cœlos; his etiam additis clamoribus: Ecce volant, volant jam.

Non

Non difficilem quoque idem nugivendus ſe iis præbebat, qui committendorum in poſterum ſcelerum poſtularent veniam: Imò quicquid petiiſſet ſceleratiſſimus quiſque ab eo impetrabat, modò in promptu haberet pecuniam. Huic verò pro munere ſibi concredito, oppoſuit ſe omnibus viribus Eccleſiæ Tigurinæ paſtor Zvinglius, gregem ſuum fideliter monens atque adhortans, ab impoſtore hoc ſibi, velut à lupo atroci & fameſcenti, ut caveat. Remiſſionis enim peccatorum beneficium non deberi acceptum referri vaniſſimis Pontif. Indulgentiis, ſed morti ac merito Chriſti, cœlúmque ipſum nullâ pecuniâ emi, ſed vera in Chriſtum fide recipi. Ea cùm audiſſet D. Hugo Conſtantienſis Epiſcopus, literas ad Zvinglium dedit per vicarium ſuum Johan. Fabrum, quibus hortabatur eum, ut quod fœliciter cœperit, fortiter exſequeretur & abſolveret: ſe nuſpiam defuturum periclitanti. Hac occaſione divinitus oblata, cœpit Zvinglius publicè & privatim, debitâ reverentiâ & modeſtiâ, petere ab Epiſcopo, vehementiſſiméque urgere, ut Evangelicæ veritati ex animo faveret, & renaſcenti adeſſet, quàm cerneret magno cum ſucceſſu emergere. Apud Antonium Puccium quoque, Romani Pontificis apud Helvetios Legatum, idem conatus, hoc diſertè adjecit, ſe poſthac per ſynceram Evangelii doctrinam omnibus modis regnum & errores Papatus impugnaturum, ut Verbi Dei & Evangelicæ veritatis lux poſtliminio in Eccleſia Chriſti luceat: quod etiam fideliter præſtitit: Nam cùm Epiſcopi aliíque Prælati Eccleſiaſtici, quorum maximè intererat horum curam gerere, ſecurè in utramvis aurem dormirent; Zvinglius tamen ſuo non defuit officio, ſed in cœpto ſemel ſancto opere ſtrenuè perrexit. Nam Evangelicæ hiſtoriæ ſecundùm Matthæum ſubjecit expoſitionem Actorum Apoſtolicorum, & ex iis Tigurinam Eccleſiam docuit, quæ Apoſtolicæ Eccleſiæ facies, quomodo fundata & conſervata fuerit, quibúsve rebus ſeſe maximè exercuerit. Hoc libro ad finem perducto, priorem Pauli ad Timoth. epiſtol. in manus ſumpſit, quòd ea pul-

cherrimam veræ Chriſti Eccleſiæ œconomiam contineret, & non ſolùm Laicorum, ſed etiam Clericorum vitam moréſque informaret. Ne quis autem à vero fidei ſcopo aberraret, finita hac Epiſtola, eam, quæ eſt ad Galatas ſcripta, interpretatus eſt, quæ brevi compendio veram doctrinam de fide juſtificante, de Lege Dei, ejusque uſu & abrogatione, de libertate Chriſtiana, & veris operibus bonis, officiisque fidelium tradit. Et ne dubitaret aliquis de Apoſtolorum in doctrina conſenſu, adjecit illis utramque epiſtolam D. Petri, veram Chriſtianam religionem breviter comprehendentes. Quibus mox ſubjecit ſanctiſſimam Pauli ad Hebræos Epiſtolam, ex qua docuit ſuam Eccleſiam, Jeſum Chriſtum verum eſſe Deum & hominem, Salvatorem & Redemptorem mundi, quem ideo Angeli & omnes creaturæ meritò adorent: ſummum item Eccleſiæ ſuæ Principem, caput, pontificem & paſtorem, qui unico in terris oblato pro peccatis ſacrificio, aſcenderit in cœlos, conſederitque ad dextram Patris, ut ibi ſolus jam pro nobis in æternum intercedat apud Patrem: hunc igitur vera fide recipiendum eſſe iis, qui ſalvari cupiant. Nec caruit ſuo fructu vera hæc & Apoſtolica fideliſſimi Paſtoris doctrina. Cœpit enim ab hoc tempore Urbs Tigurina ſuperſtitiones relinquere, & ſoli Chriſto per veram fidem adhærere, adeò ut multi dicerent, Helvetiorum Metropoli idem omnino accidiſſe, quod Corintho & Epheſo, celeberrimis Græciæ urbibus, ſed idololatriæ & luxui deditiſſimis, eveniſſe omnibus conſtet, quæ ad Pauli prædicationem ad Chriſtum converſæ ſunt. Ne quid tamen temerè, aut privato affectu geri hic videretur, placuit Coſs. Senatui, totique populo Tigurino, Majoribus noſtris prudentiſſimis, Synodum convocare in Urbem ad diem 29. Jan. Anno 1523. quod & factum eſt. Ad eam igitur undique ex ditione Tigurina & vicinis Eccleſiis confluebat magna Cleri & populi multitudo. Veniebat & Epiſcopi Conſtantienſis Legatus, D. Joannes Faber, cum Doctore Tübingenſi, & aliis viris doctis. Zvinglius ſummam doctrinæ ſuæ 67. articulis

ticulis vel concluſionibus comprehendit & typis vulgavit, eáſque huic Synodo examinandas propoſuit. D. Faber multis conabatur Synodo perſuadere, negotium religionis graviſſimum non debere diſputatione publica in præſentiarum diſcuti, ſed ad futurum uſque Concilium differri. Cúmque urgeret Zvinglius, quandoquidem certò conſtaret, libros utriusque Teſtamenti Canonicos, unicam & certiſſimam eſſe regulam, ad quam omnia in Eccleſia componi & inſtitui debeant, demonſtraret ex iis, ſi quid contra Scripturas, contra religionem & veram fidem in his concluſionibus contineri videretur: reſpondebat Faber, ſe non in hac Synodo, ſed coram univerſitate aliqua diſputaturum, pollicebatur etiam, ſe contra articulos iſtos ſcripturum, & oſtenſurum, eos non eſſe orthodoxos: ſed neutrum præſtitit. Poſt Fabrum nullus erat in tota Synodo, licèt frequentiſſima, qui Scripturâ ſacrâ concluſiones propoſitas refutare, vel erroris redarguere vellet. Magiſtratus igitur ſub finem Synodi omnibus Paſtoribus & Miniſtris Urbis & ditionis ſuæ mandavit, ne quid poſt hac aliud Eccleſiis ſuis proponant & annuncient, quàm purum putum Dei Verbum, Prophetarum & Apoſtolorum libris comprehenſum. Jam ergò non ſolùm in urbe, ſed etiam paſſim in agro veritas prædicabatur populo, quam etiam tanto zelo ac ſtudio arripuit, ut illa, quæ contra & præter Verbum Dei in Eccleſiam ſuperioribus ſeculis introducta intelligebat, ſimul inde omnia expelli, exterminari & eijci cuperet. Id cùm intelligeret Magiſtratus, ne quid rurſus immaturè, aut zelo quidem bono, ſed non ſecundùm ſcientiam ageretur, Synodum alteram indicit, & ad eam vocat Epiſcopos Conſtantienſem, Curienſem & Baſileenſem cum Academia, Confœderatóſque omnes: non tamen omnes venerunt, nec quenquam miſerunt Epiſcopi. Nihilominus poſterior hæc priore longè fuit celebrior. Convenerunt enim in urbem circiter 600 Sacerdotes, aliique viri docti & clari. Diſputabatur de præcipuis fidei articulis, inprimiſque tribus continuis diebus de

 Imagi-

Imaginibus & Miſſa: vicit autem veritas,ac ſoluta eſt Synodus. Magiſtratui autem viſum eſt, tempus jam eſſe,ut pro ſuo officio ea tolleret, quæ jam didicerat apertiſſimè pugnare cum Verbo Dei. Primò igitur omnium mandavit Sacerdotibus & Monachis,ne poſthac ullas publicas proceſſiones inſtituant, & præſertim ne conſecratum panem in pompa per urbem & agrum circumferant, aut in templis adorandum proponant, quòd hęc manifeſtè primæ inſtitutioni Cœnæ adverſentur. Præterea delecti è Senatu unâ cum Miniſtris è præcipuis urbis templis tumbas,in quibus dicebant,corpora Martyrum, vel reliquias eorum eſſe reconditas,ſuſtulerunt, & his apertis, vel nulla prorſus oſſa, ſed neſcio quas quiſquilias repererunt in quibusdam,vel in aliis aliqua ſunt inventa, quæ reverenter terræ mandata, non,ut multos dicere non puduit,abjecta,aut contumeliaaffecta ſunt. Sacerdotibus quoque mandatum eſt, ne organis poſthacludant in templis,ne Campanarum pulſu funera plangant,aut tempeſtates averruncare ſeu arcere conentur; ne palmarum ramos, ſal,aquam,cereos & ſimilia conſecrent; néve morituros oleo inungant,quem noviſſimum Baptiſmum vocare ſolent: eſſe enim hæc omnia ſuperſtitioſa, & cum expreſſo Dei Verbo pugnare. Interea adhuc & Miſſæ celebrabantur,& imagines publicè in templis proſtabant: quamvis enim duabus publicis Diſputationibus Zvinglius hæc impugnans viciſſet, Magiſtratus tamen cautè admodum in his tollendis, quæ tanto conſenſu reliquarum Eccleſiarum probabantur, agendum exiſtimabat. Dehortabantur reliqui omnes Helvetii & Confœderati Majores noſtros,ne quicquam in religione immutarent: ab aliis occinebatur nomen Concilii, temerarium eſſe dicentes,ſi pauci homines tot ſeculorum conſuetudinem immutare & abrogare conentur. Noſtri contrà his Verbi Dei authoritatem opponebant,quòd nullius hominis, & ne univerſalis Concilii judicio,& authoritati ſubjectum ſit: adhæc annis jam octoginta Pontifices Concilii expectatione ludificâſſe homines,

neque

neque quicquam interea emendâſſe: itaque niſi Verbo Dei aliter edocti fuerint, conſtituiſſe ſe in cœpta reformatione progredi. Conſtituto igitur termino elapſo, ex omnium tam Clericorum, quàm Laicorum ſive civium numero, Eccleſiarum in urbe Miniſtros primarios, cum duodecim Senatoribus è ſingulis tribubus deſumptis, Magiſtratus delegit, addito ſimul Ædili Urbis: hi omnes, aſſumptis ſecum fabris, aliâque ſervorum manu ad id opus idonea, unà ingreſſi templa, & his clauſis, citra omnem tumultum, imagines omnes ſuſtulerunt, atque templa ab his expurgârunt. Deinde per reliquas urbes, Comitatus & Præfecturas univerſi agri Tigurini, ſingulæ Eccleſiæ, præſente loci Præfecto, interrogatæ ſuam ſententiam, omnes ferè agnoverunt imaginum cultum à Deo prohibitum eſſe, ideoque Magiſtratus exemplo eas communi conſenſu ſuſtulerunt. Atque hæc quidem facta ſunt Menſe Junio anni 1524. Sublatis autem imaginibus, Miſſa adhuc reſtabat, cujus authoritas quotidie vileſcebat, neque enim quiſquam ampliùs ad Miſſam cogebatur, & pleriſque ex concionibus & diſputationibus Zvinglii abominationes ejus agnoſcere didicerant. Sed tamen quia Miſſa, tanquam medicato quodam poculo omnes terrarum Reges, Principes & populi hucuſque ab annis proximis ſexcentis ita fuerunt inebriati, ita ſtuporis & vertiginis ſpiritu impleti, ut ſalutis ſuæ proram ac puppim in hac una collocaverint; quia etiam propitiatorium ſeu expiatorium eſſe Sacrificium credita fuit hactenus pro peccatis vivorum ac mortuorum, ideò Magiſtratus noluit eam abrogare, niſi priùs plebe bene edocta de Inſtitutione ac vero uſu Cœnæ Dominicæ, quæ in locum Miſſæ ſubſtituenda erat. Interea in lucem prodiit Conſtant. Epiſcopi Theologorum liber, in quo ſui Epiſcopi nomine Tigurinis ſuadent, eóſque monent atque hortantur, ne Miſſæ ſacrificium aboleant. Lectus eſt liber in frequenti Senatu; quumque ad eum reſponſio gravis & ſolida conſcripta & Epiſcopo Miſſa eſſet, expectatum eſt menſibus aliquot, ſi quid fortè contrà

prodiret in publicum: id quum non fieret, Senatûs publico decreto 12. Apr. an. 1525. Miſſa cum omnibus ei cohærentibus in urbe & agro abrogata eſt. Quia verò non ſatis eſt aliqua ejicere & abrogare, niſi alia, & quidem meliora in eorum locum ſurrogentur, ideò impenſæ & ſumptus immodici, vel in ſculpendis & veſtiendis imaginibus, vel extruendis ſacellis, fanis, & altaribus, iisque exornandis, vel in dotandis Cœnobiis facti, in pauperes & egenos collati ſunt. Cœnobia vel in Xenodochia & Noſodochia, vel in Collegia ſtudioſorum & Scholas immutata ſunt. Singulis Collegiis, Cœnobiis, Ædibúsque ſacris Oeconomi, Apoſtolicæ Eccleſiæ ritu, præfecti ſunt, à quibus Magiſtratus Oeconomiæ adminiſtratæ rationem quotannis repoſcit. Nôrunt iſti ex decreto Senatus, quibus expendere debeant opes concreditas. Et cedit quidem pars illarum mendicis, quibus ad eum morem eleemoſyna adhuc erogatur, ſicut fieri conſuevit, dum adhuc in iis regnarent Monachi: Orphanis item, pupillis, viduis, aliisque miſeris, & calamitate aliqua prægravatis hominibus. Pars publicis Templorum, Scholarum, Ædiúmque ad Cœnobia & Collegia pertinentium ædificiis impenditur. Quædam bona permiſſa ſunt Parochiis, ut inde publicis neceſſitatibus ſubveniatur. Pars ceſſit Eccleſiarum Paſtoribus & Concionatoribus. Pars Scholæ Magiſtris & publicis Profeſſoribus. Alterum, vetuſtiſſimorum illorum Collegiorum, quorum ſuprà mentionem fecimus, totum fere ſtudiis ſacris deſtinatum eſt; in altero bonarum artium, linguarum & Theologiæ ſtudioſi 15. cum Pædagogo liberaliſſimè aluntur. Si quid verò poſt hos, & ſimiles uſus ſanctos & neceſſarios ſupereſt opum ſacrarum, publicis ſervatur neceſſitatibus & calamitatibus levandis. Habet enim Eccleſia ſuos theſauros, in quibus, bona reſidua conſervantur. Jurisdictiones autem Clericorum Magiſtratus ſuſcepit gubernandas; & quidem ex liberali eorum reſignatione, in quorum fuerant poteſtate. Sacrificis & Monachis, quorum ingens turba fuit, permiſſum eſt ſuis beneficiis & facul-

facultatibus uti,& honeſtè ſub diſciplina publica & vera religione vivere. Proſcripta eſt autem fœda eorum fornicatio,& vagæ libidines; conjugium contrà ſanctum, omnibus inſtituto Domini uti volentibus, conceſſum eſt. Abjectis legendis Monachorum aliiſque traditionibus humanis, Magiſtratus Ampliſſimus in earum locum veram,puram, ſanam & incorruptam Verbi Dei, in libris Canonicis, Veteris & Novi Teſtamenti comprehenſi, ſubrogavit. Preces & orationes ad Sanctos mortuos antea factæ, in veram invocationem Dei,per Filium ejus Jeſum Chriſtum,mutatæ ſunt, & quamvis nemini ampliùs liceat preces ſuas vendere, oratur tamen aſſiduè ab omnibus,& pro omnibus afflictis, ex charitate fraterna & officio. Horæ Canonicæ ſic ſunt ſublatæ è templis,ut in locum earum lectio Canonicorum librorum Sacræ Scripturæ, eorùmque genuina & diligens interpretatio,ſeu expoſitio ſubſtituta ſit. Nec tantùm abrogavit Miſſam Chriſtianus Magiſtratus,ſed in locum ejus reſtituit Cœnæ Dominicæ verum ſub utraque ſpecie uſum, myſterium,inquam, ſalutis & ritum ab ipſo Chriſto inſtitutum,ab Apoſtolis eorùmque ſucceſſoribus in primitiva Eccleſia diutiſſimè uſurpatum, quàm minimùm habentem ceremoniarum, proximeque ad primitivæ Eccleſiæ ritum accedentem. Celebratur etiam hæc Sacro-Sancta Cœna á fidelibus maxima cum religione,devotione, & deſiderio: agunt in ea gratias Redemptori,peragunt memoriam mortis Domini,quam fide ſeu præſentem contemplantur,percipiunt fideli corde ingentia dona, exercent & proferunt certiſſima partæ ſalutis teſtimonia, ſigilla & pignora à Chriſto Servatore ſuæ Eccleſiæ inſtituta. Atque ſic Chriſtianiſſima Reformatio rituum & doctrinæ à ſanctiſſimis veſtris Majoribus tandem ad felicem finem,Dei benignitate & gratia immenſa,deducta eſt.

Magna,quòd vel ſola hæc Reformationis Hiſtoria abundè teſtatur, Zvinglii fuit pro emendanda religione cura; ſed & aliam ei Scriptores graviſſimi tribuunt operam, quâ Patriam ſuam, Helvetiam univerſam, epide-

mico mercenariæ militiæ morbo infectam liberârit. Digni ſunt authores, qui ſic ſentiunt, paulò accuratiori examine, quod ex domeſticis noſtris annalibus tum inſtitui poteſt, ubi ipſa illorum verba præmiſerimus.

Thuanus, Hiſt. lib. VI. an. Chr. 1549. Dum hæc in Anglia & Scotia aguntur, Rex Helvetios de fœdere renovando ſolicitabat: quod cùm Patri utile fuiſſe, tum verò ſibi, ad graviſſima bella ſe comparanti, ſummè neceſſarium fore judicabat: itaque per Nic. Gagneum libellorum ſupplicum magiſtrum, Gul. Pleſſium regii palatii diſpenſatorem, & Jac. Oeconomum J.C. à Rege delegatos, & IX. pagos, Valeſios item, Lepontios, ac III. Rhetorum pagos tandem in has conditiones conventum eſt: Fœdus cum Franciſco initum quamdiu Henricus viveret, & in quinquennium poſt ejus mortem, cùm Henrici hæredibus ſervaretur, mutua auxilia utrique præſtarentur: Regi quidem ab Helvetiis omnium ſuorum dominiorum tam ultra, quàm citra Alpeis conſervandorum cauſa, ſeu quoquo modo pro iis bellum geratur, tam quæ modo obtinet, quàm quæ olim à Patre poſſeſſa in Italia poſtea armis recuperaturus ſit, non minus VI CIↃ equitum, neque plus XVI CIↃ peditum, niſi de ipſorum conſenſu: quibus in ſingulos menſeis ſtipendia, uti convenit, perſolvantur: inſuper XXV CIↃ aureorum ſingulis annis quadrantibus Lugduni dependantur, & ultra CIↃ argenti libras in ſingulos menſeis à Franciſco ſolvi conſuetas II CIↃ librarum ſingulis item menſibus Lugduni numerentur. Rex viciſſim CC cataphractos equites & XII. machinas bellicas, ſi Helvetii bello petantur, aut ſuorum dominiorum ratione bellum geſturi ſint, cum omni apparatu neceſſario ſubminiſtret. Fœderis legibus excipiuntur à Rege Pontifex, ac ſedes Rom. ſanctum Imperium, Luſitanorum, Scotorum, Daniæ, Poloniæ, ac Sueciæ Reges: Senatus Venetus, Lotharingiæ ac Ferrariæ duces, contra quos auxilia mittere non teneatur. Ab Helvetiis item Pontifex, Romana ſedes, purpuratorum collegium, ſanctum Imperium, domus Auſtriaca & Burgundica, juxta antiquam

quam cum iis contractam fœderationem, Florentinorum etiam Reſp. & Medicea domus, promiſſa & contra Anglum auxilia pro Bononiæ & agri vicini recuperatione. Hæc Soloturnii utrinque acta VII. Eid. Junii, Rex poſtea rata habuit Non. Octobr. *eo fœdere minimè comprehendi voluerunt Tigurini & Bernates monitorum Huldrici Zvinglii ſc. memores, turpem hanc atque impiam militiam eſſe inclamantis. Quid enim fœdius & magis inviſum Deo, quàm ſanguinem ſuum mercede principibus externis addicere? Is ergò ab eo fœdere, quod cum Franciſco ante XXVIII. annos ictum eſt, Helvetios habitis concionibus vehementi oratione dehortatus erat, pervicerat q́; ne cæteris illud approbantibus pagis, Tigurini ſui ſubſcriberent.* Baſileenſes & Schafhuſiani ægrè pertracti ſunt, ut aſſentirentur, quòd in eos, qui eandem ſecum doctrinam amplectebantur, in Gallia graviſſimis ſuppliciis vindicaretur.

Sleidan. lib. 3. pag. 27. Galliæ quoque Rex, qui pacem antè cum illis firmaverat, ſicuti libro primo dictum eſt, de fœdere ſolicitabat eos, deque milite ſibi ſubminiſtrando. *Zvvinglius autem pro concione vehementer diſſuadebat, & quàm eſſet non modò turpis hæc militia, verùm etiam impia,* demonſtrabat, & multis in medium adductis incommodis, ad majorum inſtitutum atque frugalitatem, qui rem pecuariam & agriculturam exercuiſſent, & præclarè multa feciſſent, eos exhortabatur: ſed fruſtrà. Nam à multa ſolicitatione donis & pollicitationibus expugnati proceres, multitudini perſuadent: itaque omnis Helvetiorum civitas hoc anno fœdus cum illo facit, & militem promittit. *Soli verò Tigurini, Zvvinglium ſecuti, recuſant, & jurejurando confirmant, nullum donum aut ſtipendium accipere* ab ullo Principe, militandi cauſa. Filius deinde natus eſt Regi Carolus, pro quo fide jubent in Baptiſmo Helvetii, miſſis Legatis.

Et lib. 21. pag. 273. Multis jam menſibus, de fœdere ſolicitaverat Helvetios, quod cum ipſius fecerant parente, renovando. Et quanquam Cæſar literis ac inter-

nunciis admodum dehortabatur, illi tamen, quod ſuis rebus ita magis convenire putarent, aſſentiuntur primò quidem, qui ſunt Pontificiæ religionis, & Lepontii & Valeſii, pòſt etiam Baſileenſes & Schafhuſiani, non ſine multorum admiratione, propter illa, quæ diximus, edicta & ſupplicia: plerique enim ſic exiſtimabant, cum eo, qui puram religionem tam infeſtè perſequeretur, & ipſorum Eccleſias atque Doctores nominatim damnaret, nullam debere ſocietatem iniri. Bernates autem atque Tigurini, *ſecuti monita Zvinglii*, ſicut libro tertio demonſtravimus atque ſexto, fœdus hoc recusârunt.

Sanè, qui hanc πολεμοσυζίαν Zvinglio, aliisque Helvetiæ reformatæ Miniſtris tribuunt, non quidem errant. Quàm enim illa belligerandi ratio, quæ ejus adhuc tempore in Helvetia obtinuit, Zvinglio non placuerit, vel ex paræneſi illa ad Suitenſes, quæ operum tomo I. p. 155. (Confer *Stettler.* anno Chriſti 1521. p. 601. 602.) extat, luce meridiana clarius apparet. Nec aliud ſucceſſorem ejus, *Henricum Bullingerum* ſenſiſſe, Proſopopœia Dei ad Helvetios ab ipſo conſcripta, palàm facit. Et certè, fructum Reformationis Tigurinæ & Bernenſis fuiſſe repudium quæſtuoſæ illius militiæ haud obſcurè innuit *Stettler.* an. Chr. 1528. quo Bernæ publico decreto inveteratum malum erat abolitum: clarius verò, tum Miniſter quidam Lugdunenſis, epiſtolâ ad Zvinglium, tum Argentoratenſes, Apologiâ contra Eraſmum id ipſum confirmant. *Argentoratenſium* verba ſunt. *Militare præterea exteris Principibus aut hujus causâ ullam accipere pecuniam, apud præcipuos Helvetiorum pagos, quæ gens non credebatur ſine militia externa pecunia poſſe vivere, jam annos aliquot capitale eſt, quæ potiſſima cauſa, quâ in ea gente filii pacis non ſint, ab Evangelio tam pacifico abhorrent.* Et paulò poſt: *Quantis jam ſtudiis Rex Gallorum & alii quidam egerint annis aliquot apud Tigurinos, nuper etiam apud Bernates, & alios noſtræ fidei Elvetios, ut pecuniam à ſe acciperent, utq; fortiter iſti abjurârint,*

rint, capitaleq́ fecerint, quo ex ſplendidiſſimo & opulento ſtatu ad priſtinam ſe ipſos frugalitatem, imò ſordes & labores dejiciunt, clàm Eraſmum non eſt. Antonius verò Papilio, Lugdunenſ. Miniſter, in hunc modum ſcripſit: *Equidem dicere non poſſum, quanto gaudio, quantaq́ conſolatione exultaverit, liquefactaq́ ſit anima noſtra; dum accipimus, principem Helvetiorum pagum, Tigurinos tuos, bellis cadibusq́ natos, ferasq́ potiùs, quàm homines, conjunctam hanc ſceleratiſſimam crudelitatem, ſceleratiorem avaritiam ad ſyncerum Evangelii verbum ſemel exuiſſe: bonaq́ fide (eo præſertim tempore, quo ex funeſta hac exercitatione uberrimus quaſtus rediret) Chriſto Domino vera pacis autori Sacramentum dixiſſe. Verè potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare ipſi filios Abraha. Hocq́ unum imprimis mirabile in oculis noſtris per verbum ſuum Dominus effecit. Quanquam quid mirabile eſſe poteſt; immenſam illam bonitatem reputanti? præter ipſum mirabilium effectorem Dominum. Caterùm illud impletum nos videmus, ut primi ſint, qui erant noviſſimi; ita in nobis ludente, ſtultamq́ faciente prudentiam hominum Deo, apud quem quod hominibus ſanctum, excelſumq́ eſt, abominatio, deteſtatioq́ habetur: minore negotio tuorum, quamlibet inquinatas fraternoq́ ſanguine ſtillantes manus, verbum Domini, quod omnia purificat, emundavit: facilius in efferatos bellis animos gladio utrinq́ incidente penetrabilior vivus ſermo Domini trajecit; quàm in noſtrorum civiles mores, ceremoniis ritibusq́ ſuperſtitioſis ſpecioſam vitam irrumpere potuerit.*

At res, quod pace tantorum virorum dixerim, paulò aliter habet. Poſtquam (ut compendio agamus, & ab ovo, fœderum primo, deinde & militiæ paulatim mercenariæ pullulaſcentis arceſſamus hiſtoriam) Caroli Burgundi conatus percrebreſcerent, ſolicita fuit Helvetia de libertate ſua ad ſeros propaganda nepotes. Territa tamen nonnihil feliciſſimis Caroli ſucceſſibus, omnia priùs experiri, quàm armis decernere maluit.

Sed cùm nihil à Duce obtinerent, fœdere ſibi jungunt, non Galliarum tantùm Regem; ſed & vicinas quasdam civitates. Fœdus hoc, Helvetiorum judicio, tam neceſſarium, quis exprobret, aut vitio iis vertat? Poſtquam verò, cœſo ad Nancejum Carolo, toties antè ab Helvetiis in fugam dato, nominis & militis Helvetici Reges & Principes ubique ſtudioſi, id unicè dederunt operam, ut auxiliari cum iis fœdere coaleſcerent. Tantam hinc Helvetia jacturam paſſa credebatur, ut ſcripſerit nonnemo: *Victoria de Burgundo memorabilis Helvetiæ perpetuò funeſta erit. Vinci, quàm viciſſe præſtiterat. Admiratione virtutis eorum non deſtitit G. fortiſſimos viros muneribus ſolicitare, qui & operam ſuam ei locare, & ſub fœderis prætextu animas ſuas auro vendere ſenſim aſſueverunt. Theat. Zuingeri* vol. IIX. lib. 10. pag. 1423. Et ſanè, præviderunt initio ſtatim non pauci, fœdera; quæcunque etiam, cum exteris Principibus inita, non æquè ſemper patriæ fore ſalutaria. Socios proinde ſuos, ut ſuarum ſatagentes rerum domi manerent, libertatem liberi defenderent, oppreſſos juvarent, ſeriò monuerunt. Hanc ferè laudem, juſtamque pro patria curam plerique adſcribunt *Nicolao Vndervvaldio.* Qua de re prolixè *Bulling.* de rebus Tigurin. lib. 13. cap. 1. *Stettler.* an. Chr. 1487. quo die 21. Martii, obiit. Non ignorant hoc exteri: *Beſold.* diſſert. de fœd. juv. p. 69. *Ac certè etiam inter Politica precepta Beati Nicolai Vndervvaldenſis, civibus ſuis data, recenſentur, ut ne alienis ſe litibus immiſcerent.* Idem ferè habetur in orat. Lanſii. Fuſius *VVimphelingius,* ſoliloq. cap. 33. *Nolite* (his verbis loquentem nobis introducit eundem Nicolaum) *pro modico ſtipendio, ad unius cujusq; tyranni temeritatem, aut ambitionem tutandam cum corporum & animarum veſtrarum periculo pugnare. Nolite ſuperbire ex hoc, quod multorum Regum ad vos una etiam vice nuncii & Oratores mittuntur. Cùm ope veſtra opus habent; vos inviſunt & nollent (credite mihi) vos oppreſſum iri, non ex alio affectu, quàm quia ſperant, ſe veſtris auxiliis in bello, quod*

contra

contra eos juſtiſſimè induci, quandoq; poſſet, victores evaſuros. Sperantq; vos ad ſua qualiacunq; bella, pro mammona iniquitatis,(ſicuti ad eſcam accipitrem) advolaturos. Nolite etiam; boni filii; ad diverſos Principes inter ſeſe diſcordes transcurrere, ne aut vos inter vos ipſos in diverſis exercitibus bellare; aut unum ex duobus Principibus bene de vobis confidentem deſerere; & hoſti ſuo offerre, in manumq; præſentare contingat. Credite (diceret frater Nicolaus) non eſſe ſemper tutum; pro ſua propria temporali ſubſtantia vitam exponere (quia id eſt contra naturæ legem, & ordinem charitatis) quantò minus pro aliena? Credite juſta etiam Principis alieni bella pro ſolo ſtipendio diſcurrere, gravi peccato vix poſſe carere: niſi ſtipendium non principaliter moveat, ſed amor juſtitiæ: Cùm autem rariſſimè inter Chriſtianos ſint juſta bella, difficillimum eſt cognitu, ſi juſtum ſit bellum: De quo tamen non ſatis eſt, probabilem conjecturam, ſed magnam expedit habere certitudinem. Videte, boni filii, quàm in periculoſo ſitis ſtatu, cùm mox ad petitionem Regis utcunq; bellaturi vitæ veſtræ prodigi feſtinantes properatis, affectum ſincerum (forſitan) non ad juſtitiam defendendam, aut injuriam propulſandam geritis, ſed animus veſter eſt in crumena, eſt in mercede, & ubi major merces offertur, illic majorem eſſe juſtitiam vobis-ipſis perſuadetis, in cæde Chriſtianorum graſſantes delectamini, atq; inanem jactabundi gloriam quæritis ex homicidio, adeò ut qui multorum fuerit interemptor, is majorem palmam, magis inſignem laudem inter vos aſportet, eidemq; ad proprios lares reverſo Præfecturam, vel Magiſtratum, vel primipili & Capitanei munus vel Prætoris officium committitis. Non cupio ego veſtrarum eſſe particeps indulgentiarum, quas veſtris armis & animoſitatibus tali pacto fueritis aſſecuti. Cùm enim pax ſit finis belli, & propter futuram pacem bella fiant, ſatiùs eſſet & glorioſius, nos ad pacem, quæ jam habetur, ut manere poſſit, cooperari, quàm ut præſens pacis quies, & jucunda tranquillitas ex ſuperbia, vel ira corrumpatur, & per homicidia & incen-

incendia quæſtûs amore à vobis patranda, nova pax deſideretur. Nec vobis perſuaſum ſit propter victoriam veſtram vos Dei gratiam & amicitiam certò habere. Exemplo ſint vobis Philiſtæi, exemplo ſint priſci Romani, Hunni, Gothi, exemplo ſint Boëmi, qui fortiſſima bonorum fidelium manu ad unitatem & obedientiam Sedis Apoſtolicæ (à qua defecerunt) non potuere compelli. Exemplo vobis ſit Turcarum gens atrociſſima, quæ poſt mortem Godofredi, & Balduini terram ſanctam detinuit, & ditionem ſuam ampliavit, crebrisq; bellis in Chriſtianos, ampliſſimas ſæpè victorias, longè pluribus annis, quàm vos, conſequuta eſt. Lento quidem gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemq; ſupplicii gravitate compenſat. Et quid ad rem attinet, ſi veſtra Reſp. creſcat, ſi in potentatu & in cunctis rebus, quas promittit terrena felicitas abundetis, nomenq; veſtrum celebretur per orbem, dum ſinguli, aut major pars veſtrum ad inferos indies demergatur? Iuſto quidem Dei judicio, quippe qui pacem amat, qui gentes, quæ bella volunt, diſſipat, qui ſuperbos & inobedientes odit, atq; viros ſanguinum abominatur. Et cap. 32. Alius idem meminit Helvetii, ſtatum illius temporis acerbè deplorantis. *Scis tu, bone Chriſte, hæc me ex grandævo alpinate, indubie probo, & tui timorem habente, inter deambulandum audiviſſe; cui non potentes hujus gentis, ſed priſci majorum mores placebant, quos dicebat, manuum ſuarum laboribus domi in paſcuis, in pratis, in ſaltibus, in agris, in paſcendis & ſaginandis pecoribus, lacte, ſero, mulſo, butiro, caſeis, cæteris quibus ſanctiſſimè, honeſtiſſimè res familiaris conſervari & augeri poteſt, alimenta quæſiſſe, parceq; & frugaliter, absq; tanta veſtium pompa & externorum bellorum frequentia, vixiſſe.*

Alii mox in Helvetia utriusque ordinis ſunt viri ſecuti, qui patriæ uni mancipati, cætera ſuo loco relinquenda graviter ſuaſerunt. Habuerunt Tigurini *Conradum Hoffmannum*, Plebanum ſuum, qui penſionariam militiam cane pejus odit & angue, teſte *Stettl.* 1512. p. 477. Bernenſes Franciſcum Kolbium, *Id.* anno Chr. 1527. pag. 666.

pagina 666. alii alios. Ne verò privatorum tantùm conſilio hæc Πτολεμοβδελυξία conſtaret: ipſe etiam Magiſtratus ſuam graſſanti malo medelam adhibuit. Animadverterunt primùm, Helvetiorum arma nuſpiam, quàm in ipſa patria eſſe feliciora. Senatûs-conſulto itaq; Bernæ cautum fuit, an.Ch.1425. cùm Lombardicis noſtri occupati eſſent bellis, ut; ſi qua ratione fieri poſſet; à remotis ejusmodi expeditionibus abſtineretur. Poſtea, cùm an.Chr.1474. Friburgenſes, ad fœdus Gallicum, annua penſione invitarentur, detrectârunt illam, &, parvas copias, anguſtosque territorii limites prætendentes, fœdus ſibi cum Bernenſibus initum, curæ futurum cordique ſignificabant. Ab eo tempore aliquoties δωροφαγία, & vagæ militiæ frœnum fuit injectum, præſertim verò an.Chr.1501. quo Tigurini, Bernenſes, Urii, Suitii, Underwaldii, ſtipendium exterorum Principum ſuſtulerunt. Secuta alia vel omnium, vel plerorumque Helvetiæ cantonum decreta an.Chr.1503. quod accuratum valde eſt, & inter fundamentales leges relatum, vide *Stettl.* 379. An.Ch.1508. *Id.* p.424. An.Chr.1515. *Id.* 556. *Id.* An.Ch.1522. *Id.* pag. 622. quo magnus Tigurinorum & Suitenſium hac in cauſa fuit rigor: *Id. Ib.* Et illi quidem legem, an.Chr.1513. (quos Bernenſes & alii ſunt ſecuti: *Stettl.* pag.498.) ſanxerunt, *ut eorum ſubditi, Clerici & Laici, juramento ab omnibus, quocunq; veniant nomine, arcerentur muneribus.* Repetitur Lex an.Chr. 1518. cum exceptione tamen Penſionum publicarum. Commendavit hoc ſtatutum Pontificis Legatus *Ennius Philonardus,* Verulani Epiſcopus, occaſione Ampliſſimi, & Italicis Scriptoribus celebratiſſimi viri, D. *Marci Rouſtii,* Conſulis Tigurini, *Gaſparo de Silenen,* Lucernenſi, ſatellitii apud Pontificem Helvetici (quod inſtitutum fuit Julii II. an.Chr.1505. *Stettler.*) Capitaneo primò, an.Chr.1502. cæſo; *Idem,* pag. 562. ſufficiendi. Negabant noſtrates, per publicam patriæ Legem ejusmodi ſpartam Conſuli committi poſſe. Laudat Ennius Legem, quam diſtinctione mox frivola infringere cona-

tur. Audi oratorem, & quibus arietibus corda Majorum Romani vultures concuſſerint, expende: *Magnifici & Potentiſſimi Domini: Præterito ſuperiore Sabbatho, Magnificæ Dominationes veſtræ gratam & benevolam concluſionem fecerunt, ut Sanctiſſimum Dominum noſtrum, Confœderatum ſuum de Capitaneo Guardiæ conſolarentur; propter quod nos mirabili gaudio exultavimus, tum reſpectu Sanctitatis ſuæ*, quæ in fide Dominorum Turricenſium vitam ſuam collocare voluerit, *tum etiam amore Magnificarum Dominationum veſtrarum, quæ eo tempore, quo nos apud eos legationis Apoſtolicæ munere fungimur, conſequutæ fuerint*, hunc honorem apud ſummum Pontificem, confœderatum ſuum, ut Domini Turricenſes debeant ſuſcipere onus cuſtodiendi corpus & vitam vicarii Dei: *Verùm in hoc ipſo noſtro admirabili gaudio, illud animum noſtrum aliquantulum perturbavit, quòd adhuc Burgimagiſtrum* Rouſt *vidimus animo ſuſpenſum, & quia dubitavimus, ne ipſe, ſub aliquo prætextu, conaretur avertere voluntatem Magnificarum Dominationum veſtrarum ab hujuſmodi gratia tam laudabili & honorifica, propterea intimè rogamus ex parte Sanctiſſimi Domini noſtri, ut dignentur*, deſunt nonnulla NB. NB. *ſuum ſanctiſſimum deſiderium, & quia audivimus tria poſſe conſiderari, quæ hujuſmodi profectionem ſeu potiùs deſtinationem Burgimagiſtri* Rouſt *poſſint aliquantulum perturbare, noluimus præterire, quin Magnificis Dominationibus veſtris aperiremus, quid circa tria illa nobis occurreret.*

Primò namq; dubitatur, ne hujuſmodi electio Capitanei Guardiæ Papæ per ſuam Sanctitatem ſponte facta, & per authoritatem & gratiam Magnificarum Dominationum veſtrarum confirmata ſit contra illud ſanctiſſimum & ſaluberrimum ſtatutum Civitatis: *Id quod ſi bene conſideretur, nequaquam meo judicio, tali ſtatuto invenietur eſſe contrarium.* Primò, quia, quòd tota civitas comprobavit, nulla ex parte reprehendi poteſt: Secundò, quia proviſio, quæ dabitur Capitaneo,

Guar-

Guardiæ,non dabitur tanquam civi Turricenſi,ſed tanquam Capitaneo Papæ, & inſiſtenti diu noctúque ſervitiis ſuæ Sanctitatis,ſicuti cum aliis militibus Guardiæ ſuæ,qui quamdiu inſiſtunt ſervitiis ſuæ Sanctitatis, ſtipendia participant,recedentibus autem à ſervitiis ſuis, ſtipendia ceſſant.

Secundò conſideratur utilitas, & commodum, quod Civitas reportat ex continuis laboribus,quos ipſe Burgimagiſter in publica adminiſtratione impendit. Ad hoc reſpondemus, quòd Sanctiſſimus Dominus noſter, reſpiciens ad commoditatem Civitatis veſtræ confœderatæ ſuæ,eſt contentus,poſt aliquid temporis ſpatii,præfatum Burgimagiſtrum remittere ad Patriam,ſi id magnifica Dominatio veſtra optârit, & loco pignoris filium retinere.

*Tertiò conſideratur ætas Burgimagiſtri ſatis provecta: Ad hoc reſpondemus ſibi,*quòd requiſitus & electus à vicario Dei,ad ſui Corporis cuſtodiam & defenſionem,debet ſperare & confidere de miſericordia Dei, nec tantùm diffidere de corpore ſuo,quòd propter hoc vellet reſiſtere divinæ vocationi. Nam,ut ait Apoſtolus Paulus, qui poteſtati Dei reſiſtit, Deo reſiſtit, *& quòd ſemel exponat ſe itineri, & quantò citiùs, tantò meliùs: & caſu, quo non poſſit ſuſtinere itineris laborem, aliquid remedii excogitabimus,quòd Sanctiſſimus Dominus noſter conſequi poſſet deſiderium ſuum,qui à* pluribus atque pluribus interpellatus, requiſitus, rogatus, nullis aliis, quàm Dominis Turricenſibus, ſpecialiſſimis & chariſſimis filiis ſuis, & honorem, & onus cuſtodiæ corporis,vitæque ſuæ voluit demandare. *Itaque iterum atque iterum Magnificas Dominationes veſtras nomine Sanctiſſimi Domini noſtri rogamus,ut jam hodie apud Dominum Burgimagiſtrum* Röuſt *operari velint,ut ipſe mandet executioni,quod Magnificæ Dominationes veſtræ Sabbatho ſuperiore unanimiter concluſerunt.* Atque ſic ſtrategia hac, ſibi demandata, per vicariam filii Caſpari operam, Marcus Conſul fuit functus ſub Leone X. Adriano VI. Clemente VII.

te VII. ad annum 1524. quo fatis ceſſit, vir legationibus, & rebus in bellis, Burgundicis, Suevicis, & Italicis præclarè geſtis, inclytus, à Majoribus de patria (inde ab anno Chriſti 1351. quo Jacobus & Hermannus Rouſtii, Brunna-Suitiorum oriundi, in Tetvilano prælio inſignia fortitudinis edentes ſpecimina, anno Chriſti 1365. inter cives fuerunt relati) bene meritis, natus. Succeſſit filius ad expugnationem uſque urbis 1527. in qua (vide *Edit. operar. ſucceſſiv. Cam.* cap. 49. pag. 367. ubi tamen vitiosè *Marcus* appellatur) & occubuit. Sed & Puccius Piſtorienſis Epiſcopus decreti, de quo ſermo, in publica ad Senatum, per Henricum Utingerum, habita oratione meminit; Tigurinos, *quòd laudabili inſtituto privatis largitionibus ſeu penſionibus* (aurei illi erant hami, quibus plurimi ineſcabantur: vide *Stettler*. an. Ch. 1517. pag. 569) *renunciâſſent, non modò emphaticis concelebrat elogiis; ſed & nomine Ducis Vrbinatis, & Collegii Florentini*, quatuor ſtudioſis, Piſam ad literarum culturam miſſis, annuos offert Florenos Rhenenſ. 50. Vix triennio elapſo, fortè, quòd aliis natio bellis aſſueta reprimi habenis non poſſet, *cives Tigurini ſeſe invicem Sacramento alligârunt, nè quis in poſterum à quoquam Rege, ſive Principe ſtipendium aut munus ullum acciperet.* Ita *Schvvitz*. anno Chriſti 1521. Et *Beſold.* de Legat. pag. 84. *Statutum eſt omni laude dignum; quo adſtricti ſunt, quotquot Tigurini ſunt Cives & inquilini, ne quis eorum ullum munus ab ullo Principe accipiat. Melch. Adam.* in vitâ Conrad. Pellic. quam ipſe Pellicanus accuratè conſcripſit. Epiſtolam, Pellicani manu, hac de re, exaratam, & ad Archiepiſcopum Argentinenſem, qui ipſe quoque Reipub. Tigurinæ inſtitutum laudavit, deſtinatam, inter pretioſa cætera magni viri κειμήλια Epiſtolica aſſervo. Neq; verò militia hæc ἄδικος, à noſtris Majoribus tantùm damnata fuit; ſed & in omnes illos, qui invito Magiſtratu vel militem abduxerunt, vel abiverunt ipſi, vel revocati parere renuerunt, animadverſum. Exempla occurrunt in *Stettl.* A. Ch. 1465. 1571. ubi Legum publicarum

carum violatoribus gravis denunciatur pœna, an. 1491. 1499. 1500. 1519. 1557. & alibi. Nec minæ erant otioſæ, aut vana terriculamenta. Multi fortunis & corporibus inobedientiam & Majeſtatis contemptum luerunt. Veſtigia mulctatæ temeritatis hujus extare voluerunt Bernenſes, an. Chr. 1501. *Stettler*. l. 8. p. 371. an. Chr. 1503. *Id*. pag. 380. an. Ch. 1513. *Id*. 1518. p. 578. an. Ch. 1465. *Id*. pag. 185. an. Ch. 1516. *Id*. pag. 561. Graviter Tigurini & Bernenſes animadverterunt in authores expeditionis Wittenbergicæ an. Chr. 1519. pag. 985. & Eſtampenſis an. Chr. 1587. Iidem, cum cæteris Helvetiis, (an. Ch. 1513. *Id*. p. 496. 501. an. Ch. 1537. *Id*. an. Ch. 1500.) qui Duci Mediolanenſi ſuam addixerunt operam, puniebantur. Atq; hinc manifeſtum ſatis eſt, non Zwinglium demum militiæ illi mercenariæ, quæ miſerè tum Helvetiam infeſtabat, reſtitiſſe; ſed, ut tot antegreſſis decretis locus concederetur, & ſuaſiſſe, & perſuaſiſſe. Quæris: *Vnde hic Majorum noſtrorum contra δωροφαγίαν & mercenariam militiam rigor?* Cauſas tantæ rei paulò diligentiùs eruiſſe non fuerit inconſultum.

I. *eſt immoderata illa profuſio*, quâ nonnulli gentem Helveticam emiſſarii in ſuas flectere ſolebant partes. Ne Pontificem quidem puduit his pugnare telis: vel uno tempore Legatus ejus, Piſtorienſis Epiſcopus, penſiones privatas (NB) 40000. aureos nummos elargitus eſt. *Stettler*. lib. 10. an. Chr. 1517. Neque mirum eſt, ſi, quæ *Galeat. Capell.* de bello Mediolanenſi, pag. 11. ſcripſit; vera ſint. Ea nempe, *qua Helvetii pro Leone X. egerint, magis privata qu undam gratia, quàm publico ac communi conſenſu facta extitiſſe*. Iisdem ἀργυρέοις ἐμάχετο βέλεσι liga Pontificio-Imperatoria anno Chriſti 1496. *Id*. pag. 325. Et quanquam an. Chr. 1507. largiùs & novo planè exemplo Regis Galliarum Legati munera non tam offerendo, quàm profundendo, abalienare Helvetios à Liga illa fuerint conati; ſpe tamen exciderunt. *Stettler*. pag. 388. Fidem penè ſuperet ætatis illius corruptæ cadaveroſa facies! Ut Helvetiorum animi expugnarentur, conviviis, muneribus Tiguri, Ba-

dæ, Lucernæ, alibi, nec finis ponebatur, nec modus. Epiſcopum quendam Lucernæ hoc nomine inſumſiſſe ſcribunt 2000000. aureos. *Stettler*. pag. 387.

II. *Nimia illa bellandi conſuetudo & licentia*, quâ factum a. *ut agricultura penè omitteretur*: vide querelam ſubditorum Bernenſium apud *Stettler*. An. Chr. 1521. pag. 609. & 1522. pag. 622. b. *ut inſcio, imò prohibente Magiſtratu, multi militiæ nomina ſua darent.* Id quod crebrò contigit. An. Ch. 1500. Ludovicus Inſubrum Dux 5000. Helvetiorum contra Magiſtratuum edicta conſcribit. Et Huldricus Dux Wittenbergenſis An. Ch. 1525. cùm ruſtica eorum per Germaniam ſeditio omnia turbaret, Ducatus ſui recuperandi opportunitatem oblatam ratus, 6000. Helvetios invito Magiſtratu obtinuit: *Stettler*. Urbinati etiam multi ſuam contra Magiſtratuum authoritatem, opem offerunt: *Stettl*. A. Ch. 1517. p. 568. b. A. Ch. 1519. Wirtenbergenſis Dux præter Magiſtratuum voluntatem 14000. milites ex Helvetia conſcripſit. *Schvvitz*. An. Chr. 1503. quatuor millia Helvetiorum Regi Gallorum, contra Magiſtratuum ſuorum edicta, militârunt in Regno Neapolitano; qui ferè omnes morbis atque ferro abſumpti inobedientiæ præmium reportârunt. *Schvvitz*. *Simler*. pag. 76. b. Durante adhuc fœdere, quod cum Ludovico Gallorum Rege fecerant Helvetii An. 1503. caſtra ejus in bello Neapolitano ſecuta ſunt, nullo tamen publico conſilio, imò contra Magiſtratuum auctoritatem. Fuit bellum hoc, ſicut & priùs Neapolitanum bellum, Carolo VIII. Regi Galliæ pariter, & Helvetiis infelix: Nam priori, qui in præſidio regni manſerant, plerique morbis, pauci prælio periêre: quique bello ſuperfuerunt, infelix ἐφόδιον, luem illam, quam alii Hiſpanicum, quidam Neapolitanum morbum, vulgus Gallicum nominat, domum reportârunt: poſteriori bello duobus præliis victi magnam militum partem amiſêre. Confer *Compend. Stumpf.* & *Stettler*. 1503. Anno Chr. 1487. *Stettler*. in Britanniam multi excurrerunt Helvetii, qui ne revocati quidem paruerunt.

Idem

Idem accidit an.Chr.1513. an.Chr.1492. *Id*.pag.319. an.Chr.1521. quæ expeditio, quod inſtante fœniſecio fieret, detrimentoſa valdè fuit, & Helvetiis plerisque improbata. *Id*. pag.609. Quàm verò ejusmodi ignominioſæ, detrimentoſæ, & Helvetico nomine, *Magiſtratibus judicibus*, indignæ fuerint expeditiones, memorabili probat exemplo, *Stettler*.an.Ch.1486.p.296. occaſione belli inter Maximilianum & Carolum in Flandria geſti. Neq; ferè unquam feliciores erant, qui nulla muniti Magiſtratuum authoritate arma arripuerunt. c. *ut etiam in amica mutuò ſævirent viſcera*. Hinc parentes in filios; & viciſſim; fœderati in ſe invicem arma ſæpe geſſerunt lethalia. An.Ch.1490. alii Caroli Galliarum, alii Maximiliani Romanorum Regis caſtra ſequebantur. *Stettl*. An.Ch.1500. Regi Galliarum plurimi, nec pauci tamen Duci Mediolanenſi, hoſti ejus, militabant. *Id*. pag.363. Idem accidit an. Ch.1516. aliis pro Gallo feliciter, cæteris pro Imperatore infeliciter pugnantibus, *Id*. Atque hujus inconſideratæ *αὐλομαχίας* Helvetii graves pœnas dederunt, maximè an. Chr. 1521. qua de re prolixè *Stettler*. lib.11. pag.609.

III. *Iactura optimorum quorumvis* (certum enim eſt, plerunque magnos Helvetiæ Heroës, ejusmodi bellis implicitos, in prima ferè acie ſtetiſſe) *virorum*, qui vel A. *In prælüs occubuerunt*. Quam Neapolitana bella cladem Helvetiæ intulerunt? Italiam vulgò *cœmiterium* ſuorum noſtri appellabant majores. Nucleus & flos militiæ Helveticæ, Bullingero teſte, ad Marignanum periit. Scribit *Stettler*. an. Chr. 1503. Ex ſex, vel octo Helvetiorum millibus vix 1500. ſuperſtites ex Neapolitano rediiſſe bello, totamque adeò Helvetiam 30000. deſideràſſe, qui breviſſimo temporis ſpatio, ſub Galliarum Rege ſtipendia merentes, vitam amiſerint; quæ etiam cauſa fuit, rigidi ſtatuti illius ab Helvetiis Badæ & Tugii editi, *ne deinceps ejusmodi expeditiones concedantur, à muneribus abſtineatur, Lex lata inviolata non modò ſervetur, ſed & ſingulis annis in officio-*

rum publicorum locatione publicè promulgetur. B. *vel, morbis conſumpti, triſte ſpectaculum præbuerunt*. De Neapolitano morbo jam alibi verba fecimus. Anno Chriſti 1524. cùm infeliciter Helvetii in Ducatu Mediolanenſi pugnâſſent,tam noxia in reditu ſunt correpti lue,ut ex 12000. vix 4000.evaſerint. Et quibus tandem patriam videre ſuam contigit,adeò illi malè habebant, ut vel ſolo aſpectu,Stettlero indice, & judice ad aliam noſtri, compelli potuiſſent mentem. Lege quæ habet lib. 12.pag.33.

IV. *Diffidia inter fœderatos orta*. Eſt vulgi opinio, omnia inter Helvetios diſſidia ex ſacrorum diverſitate nata. Dicunt aliquid, ſed nec ſatis, nec extra invidiæ ſuſpicionem. Alium enim & antiquiorem eſſe fomitem inteſtinarum dividiarum non domeſtici modò viderunt,ſed etiam exteri. Ex *Domeſticis* conſule *Stettl.* an.Ch.1496.pag.325:Cùm non modò Galliarum Rex; ſed & adverſarii ejus, Papa, Imperator, totáque adeò *Liga magna*, quam vocabant, de fœdere Helvetios ſolicitâſſet, annuunt quidem Tigurini, Uranii, Subſilvanorum altera pars, Tugini, Glaronenſes,Friburgenſes, Solodurenſes, Galliarum Rex; Bernenſes verò,Suitenſes, Subſilvanorum reliqui,cæteris accedebant fœderatis; unde partium ſtudiis & ſimultatibus,ut *Stettl.* loquitur,fuerunt incrementa,quæ eodem teſte,pag.612.maximè eruperunt an.Chr.1521.quo Tigurini & Tugini, qui Papam contra Galliarum Regem,tenore fœderis, juvabant; nec infeliciter; in magnam cæterorum incurrerunt offenſam. *Idem*,an.Ch.1516.refert,non Tigurinos modò fuiſſe faſſos, ſed & Suitenſes, mercenariam militiam eſſe Pandoræ pixidem,ex qua lites,diffidentia, omnisq; in Helvetia pullularet diſſenſio,pag. 566. Et quis ignorat, Valeſianos, uno tempore,trifariam fuiſſe diviſos? Anno Ch.1517..572. *Id.* Inter *exteros* clarè de diſſidiorum Helveticorum origine loquitur *Guicciard.* lib.X. pag.975. *Domi qui ſunt inter eos præcipui,à muneribus,penſionibusq; à Principibus accipiendis, ut in conventibus illorum partibus faveant,*
eaſq;

easq; ſequantur, non abſtinent: quare dum publicas res ad privatam utilitatem referunt, pecuniis ſtudent, largitionibusq; obnoxii fiunt, paulatim inter ipſos diſcordia irrepſere, quibus factum eſt, ut dum non omnes, quod in comitiis majori parti probatum fuerat, ratum habere inciperent, proximis annis civile inter ipſos bellum ſumma cum authoritatis, quam ſibi apud omnes comparaverant, diminutione exarſerit. Infra hos ſunt nonnulla caſtella & vici, quod incolæ, quod valles incolant, Valleſii appellantur; hi numero, authoritate, virtute, communi omnium judicio Helvetiis inferiores ſunt. Eſt & alia Gens hiſce duabus, editiora alpium juga incolens, Griſones vulgò appellati, Latini Rhætos nominant: hi tres Cantones ſive Curias habent, ideoq; trium fœderum Domini dicuntur. Gentis caput Curia vocatur; Helvetiorum plerumq; ſocii ſunt; cum iis una in bello proficiſcuntur; ac penè iisdem inſtitutis & moribus utuntur. Atque hoc ipſum prolixius Majorum noſtrorum verbis proponit, *Sleid.*lib.4.pag.45. & deinc.ubi ſe purgant, *non emendatæ religionis, ſed δωροφαγίας culpam eſſe, cur non uſque adeò bene inter Helvetios conveniat.*

IV. *Decrementum famæ & exiſtimationis.* Laborantem enim argentangina Helvetiam, certè ne illi quidem, qui in decantandis encomiis eorum toti ſunt, excuſatam ſatis habebant. Unde *Theodor. Zvinger.* ex Guicciardino lib.10. *Helvetiorum,* inquit, *nomen Concordiæ, & armorum gloria illuſtrârunt, quibus à natura inſita ferocitate, & militari in ſervandis ordinibus diſciplina, non modò ſuam regionem fortiter defenderunt, verùm etiam militiam extra ſuos fines ſumma cum laude exercuerunt, quæ procul dubio longè major extitiſſet, ſi proprii Imperii cauſſa, non autem ſtipendiis, atque ad aliena Imperia propaganda eam exercuiſſent, & ſi generoſo animo præſtantiores fines, quàm pecuniæ ſtudium ſibi propoſuiſſent, cujus amore enervati, occaſionem, qua toti Italiæ potuiſſent eſſe formidabiles, amiſerunt. Cùm enim nunquam, niſi velint eſſe Mer-*

cenarii milites, fines ſuos egrediantur, nullum publicum ex victoriis fructum retulerunt; Lucri cupiditate in bello immoderatis multis imponendis, aliaq; ex aliis petendo, penè intolerabiles facti; præterea in commerciis, & eorum, quorum ſtipendiis militant, imperiis exequendis admodum moroſi & contumaces.

Deſiderius Eraſ. Roterodamus in adag. Chiliad. prima Cent. VI. adag. XIV. IN CARE PERICULUM. *Suidas* ſcribit: *Cares primos mortalium mercede militâſſe, ut qui vitam ſuam venalem haberent. Hos igitur qui conduxerant, primos in acie collocare conſueverant, ut primos hoſtium impetus ſuo exciperent periculo, aut ubi fortuna belli difficilima videretur, illic objiciebatur. Perſæ ſuâ linguâ κάρδακας appellabant, qui rapto vivebant. Carum laudem his temporibus æmulare videntur Helvetii, gens bello nata, ſimplex alioquin, ac minimè malum hominum genus, planeq; dignum, ut equidem ſentio, quod hac quoque nota vacaret, & in literis, & in cæteris honeſtis ſtudiis egregiè valiturum, ſi relictis bellis huc animum appellerent.*

Paul. Iov. Hiſt. lib. 45. pag. 588. More *ſuo*, ait, *flecti Helvetios.* Matthæus Schinerus, Cardinalis & ipſe Helvetios privati commodi ſtudio nominis ſui jacturam feciſſe Helvetios querebatur. *Stettler.* lib. 11. an. Chr. 1520. *Bzov.* an. Chr. 1526. S. 16. *Hoc autem ipſo tempore fœderatorum difficultates in Inſubria creſcebant. Nam etſi ex Helvetiis à Muſſio & Laudenſi conductis, tandem quinq; millia in caſtra veniſſent, nihilominus, cùm is numerus Vrbinati non ſatis eſſe videretur, qui Galliæ Regis nomine, à civitatibus petiti fuerant, expectabantur. Illos enim, ſi non aliam ob cauſam, ſaltem, ut Papienſi prælio acceptam ignominiam delerent, ad eos concedendos paratiſſimos, eandemq; ob cauſam milites, qui concederentur ad bellum in tanta præſertim victoriæ ſpe vehementiſſimos fore ſperabant. Sed in illa gente, quæ ante paucos annos ob ferocitatem ſuam, & partam authoritatem, maximam ampliſſimi Imperii adipiſcendi opportunitatem habuerat, jam nec*

gloria

gloriæ cupiditas,nec commodorum cura vigebat; ſed id in re militari ſibi proponebant, ut quàm ditiſſimi domum reverterentur. Idcirco militiam more mercatorum tractantes, *vel ex aliorum neceſſitate,ſuæ utilitatis occaſionem publicè capientes,cùm inter eos corrupti homines eſſent,militem concedendi,aut denegandi conſilium ex hoc fine capiebant; Et Duces ipſi,qui invitabantur, quò meliore conditione uterentur, quò magis alios ſuâ operâ indigere videbant,eò magis ſe in altum recipiebant, majoraq; ſine modo poſtulabant. Has ob cauſas,Rege ex fœdere pedeſtres illorum copias poſtulante,quibus de communi conſenſu illis,quadraginta millibus aureorum numûm, quæ Rex ipſe fœderis Italici nomine debebat,ſtipendia erant perſolvenda,civitates poſt longam ſuam deliberationem more ſuo reſponderant,ſe antequam Rex ipſis omnes annuas penſiones,quas debeat,perſolviſſet, militem non conceſſuros,quæ cùm ad tantam ſummam aſcenderent,ut difficulter brevi tempore perſolvi poſſet, homines à Rege miſſi,facultate non ſine difficultate à civitatibus impetrata, privatos duces conducere fuerunt coacti. Quæ res præter moram in eo ſtatu valdè pernicioſam, non eam vim exiſtimationemq; obtinuerunt,ut ſi communi Magiſtratuum decreto eos obtinuiſſent.*

Quid? quòd novæ & veteribus inauditæ nomenclaturæ hinc origo nata & data. *Penſionarii,* ut ex *Beſoldo* audivimus, peculiari dicebantur nomine. Ne illi quidem, pro quorum ſalute tantum ſanguinis profuſum,vel ab invidioſis abſtinebant nominibus,vel comparationibus. *Genebrardus,* Doctor Sorbonicus,Profeſſor Pariſienſis,lib.4.Chron.ad an.Chr. 1531. *Helvetii aſperi,montaniq; homines,ſoliti aliis diſſidentibus, mercenaria auxilia ſubmittere. Matth.Par.* in Hen.IV. lib.5.pag.397. *Les Suiſſes font commerce de leur amitie;* &; *que leur Alliance eſtoit pluſtot commerce,qu' amitie:* quæ etiam verba repetuntur in Orat. *Lanſii*,pag.928. Durior adhuc eſt *Dominus de Silhon*,in lib.Gallico,cui titulus *Miniſtre d' Eſtat.* pag. 116.ubi Helvetios vocat

cat *nationem brutam & mercenariam.* Confer *VVimpheling.* Soliloq. ubi Helvetiis militiam potiſſimùm mercenariam objicit cap. 6. p. 31. Sævitiam in Captivos, cap. 11. Nimium ardorem in inferendis, ob leviſſimas cauſas, bellis, cap. 13. 14. 28. juventutem armis potiùs, quàm aliis honeſtis exercitiis, innutritam & aſſuetam, cap. 28. & 30.

V. *Tumultus hac ipſa de cauſa in Helvetia excitati.* Magnum quidem Helveticæ virtutis ſpecimen prælio Novareno exhibitum, aliquoties jam monuimus. Motibus tamen, ob cæſos, magna Helvetiæ pars concuſſa & turbata fuit. De ſeditione Bernenſium, Lucernenſium & Solodurenſium an. Ch. 1513. agit *Stettler.* pag. 495. & deinc. fusè: breviùs *Graſſer.* p. 191. *Steiner.* Tug. in Chron. Mſc. Schwiz. quæ prudentia Magiſtratuum fuit ſedata. Præceſſit alius, a. Ch. 1489. nec facilè ſubditorum æſtus reprimi potuiſſet, niſi abrenunciatione Penſionum, in quas, eodem tempore, Suitenſes magnæ illius ſeditionis, quæ Tiguri oborta fuit, cauſam rejecerunt. *Stettler.* pag. 312. an. Chr. 1515. Tigurina plebs ob cladem Mediolanenſem tumultum excitat, ſcribit *Schwvitz. Bulling.* & alii.

VI. *Vulgi inconſtantia.* Accidit enim, ut cùm auctoratis lautiora ab aliis offerrentur ſtipendia, eos ſequerentur. Expertus fuit hanc multorum inconſtantiam Galeatius an. Ch. 1499. *Stettler.* pag. 360.

Sed quo prolabor? Eam beneficiorum ſuorum patriæ noſtræ ſegetem cœleſtis Diribitor conceſſit, ut hac eam Orationis falce demetere non poſſim. Id illi præſtent, quibus de meliori luto Deus præcordia finxit. Ad *alteram* nunc Orationis *partem* progredior, paucis demonſtraturus, non *miſericordiæ* tantùm ſuę, ſed & *Juſtitiæ ſpeculum* Deum Tigurinos, vel beneficiorum immemores, vel cum Jeſchurun recalcitrantes, tùm aliâs, tum hac noſtra cumprimis ætate, eſſe voluiſſe. Triſtia illa fuerunt fata, quibus; ut ab ultima origine Tigurinorum varium expendamus ſtatum; Veteres Tigurini, cum reliquis Helvetiis, ſpe potiundæ Galliæ, urbem

ſuam

ſuam in favillas redegerunt. Mox tamen & victi & in Romanorum ſervitutem redacti, corporum ſuorum, & fortunarum naufragium paſſi ſunt.

Detrimentoſæ fuerunt irruptiones Gothorum, Vandalorum, & Alemannorum, quos Majorum etiam noſtrorum flagellum eſſe voluit Deus.

Triſtis illa ante annos trecentos fuit nox, qua, & adulti, & infantes crudeliſſimæ jam addicti atq; devoti erant internecioni.

Triſtia illa, quæ meritò adhuc lugemus, Tigurinorum fuerunt tempora, quibus tot Majores noſtros hoſtium direptionibus, invaſionibus, & obſidionibus fuiſſe leginius expoſitos.

Calamitoſum illis fuit interdictum; quo à Papa Romano excommunicati, & omnium injuriis patebant, & mercaturæ quæſtuoſiſſimæ jacturam faciebant.

Triſtis illa Majorum noſtrorum ſors fuit, qua aliquoties proditorum artibus illicitis, malignitate & nequitia danna acceperunt irreparabilia.

Triſtis fuit exitialis illa interregni periodus, qua cùm non tam jure, quàm viribus pleræque controverſiæ decernerentur, ipſi quoque Tigurini ſaluti ſuæ conſulturi, Ducem quærebant Regenſpergium, qui afflictis Tigurinis afflictionem addidit.

Triſtis illa fuit dies, qua iidem acerbis, exitioſis & diuturnis delaſſati bellis (quibus fana atq; domus ſpoliabantur, cædes & incendia fiebant, cruore atque luctu omnia complebantur) cùm Caroli IV. opem implorarent, blanditiis demulſi, domumque abire, & pacem quærere juſſi, petiti repulſam tulerunt.

Triſtior longè, cùm, ad ſuos reverſi pacem ſtudioſè ambirent, ſpe tamen ſua, propter iniqua Alberti Auſtrii, Alberti Imperatoris filii, poſtulata, excidiſſent.

Deploratum cum primis, ac penè deſperatum fuit interſtitium illud, quo integro propemodum ſeculo noſtra Civitas, ab Helvetici Fœderis oppugnatoribus, fuit impetita.

Sed neque incendia Majoribus noſtris deerant, qui-
bus

bus calamitas exulceraretur; non portentoſi & inſoliti ſtrepitus ac crepitus; non ſeditiones; non aquarum eluvies; non terræ motus; non annonæ difficultas, non peſtis, non locuſtarum exercitus, non ſævitia hyemis, non prodigioſa aquæ immutatio, non pernicioſæ pontium fracturæ, non diſſidia civium & incolarum inteſtina, quæ jugulum Reipub. ſæpe petebant. Hos divinæ vindictæ ictus, quos Annales noſtri ſuppeditant, Tigurum excepit. Verùm horum omnium, quæ tot Seculorum decurſu patria noſtra ſuſtinuit, compendium quoddam, hac dimidii Seculi ætate, in caput noſtrum redundâſſe, multi veſtrûm, quos modò præſentes intueor, in recentiſſima habent memoria. Nos enim, Nos inquam, Deus ſeculo planè prodigioſo, iræ & furoris ſui pleno, vivere voluit.

Ipſi ſenſiſtis, ſæpius his decem præteritis luſtris, terram, quàm aliquot retrò Seculis, fuiſſe concuſſam.

Vidiſtis, arbores veſtras, fruges veſtras, vineas veſtras pruinâ tangi, grandine frangi, inſectis variis depaſci.

Vidiſtis fulminibus contortis & conglobatis, Templa, Curiam, Carceres, ædes privatas cœlitùs aliquoties feriri.

Vidiſtis procellis, inuſitatisque ventorum turbinibus ædificia quaſſari, flumina ex ſiccari, tecta denudari, radicitùs arbores evelli.

Vidiſtis & audiviſtis Cœlum chaſmatibus prodigioſis, Cometis horridis, inſolito ſtrepitu & ejulatu, magnam illam Germaniæ calamitatem minari.

Vidiſtis aquas, lacus, fluvios alveis ſuis fragosè erumpentes, magna Urbi & orbi veſtro damna dediſſe.

Crebras parâſtis exequias peſte interemptis, fame enectis, incendiis læſis. Non inuſitata frigorum & hyemis vis, non monſtroſi partus, non peregrinarum avium advolatus, non montium ruinæ, non incendia, non rebelliones, quibus cum Majores noſtri nonnunquam luctabantur, veſtræ ætati parcebant. Et ſi vel hac ſaltem parte beatiores nos Majoribus noſtris dixeris, quòd nulla belli incommoda ſimus experti, nullis direptionibus

nibus publicis expoſiti, hoſtium effræni libidine non vexati, miraculum eſſe, quo rubum hunc ardentem, belli flammis, undiquaque allambentibus, circumſeptum, ſingulare bonitatis ſuæ monumentum exſtare voluerit Deus, pectore grato cogitabis. Aut quis veſtrûm ſuæ adeò immemor fortunæ, qui, dum varios illos belli rumores, vicinos hoſtium patriæ limitibus imminentium exercitus, Fœderatorum cœdes, proditiones, animos debilitatos & penè fractos, periculoſos in ipſa patria motus, belli faces & fomites indubitatos in mentem revocat, non agnoſcere cogatur, ſolius Dei benignitati ſalutem noſtram pacemque patriæ acceptam eſſe ferendam. Anne verò, quod hiſce Te malis Dei clementia urgeri noluit, meritis illud Tuis dabis, aut pietate eum inductum, laſcivienti & quidvis præ patria noſtra, ipſum etiam Cœlum, contemnenti militi, frœnum injeciſſe Tibi blandieris? Valeant hi typhi! Quamvis enim hujus te calamitatis ſexcentis incommodis eripuerit, alio tamen inſolito, & Majoribus noſtris inaudito, ſupplicio toti probavit orbi, quid peccatis tuis, ſceleribus & flagitiis, quibus nec modum ponebas, nec medelam ſtudioſè quærebas, deberet. Aut num, ô Civis Tigurine, memoria tua jam excidit tremendus ille præteriti menſis Junii dies decimus?

Diem Jovis Germani veteres vulgò den Thorſtag/ quaſi Tonnertag appellare ſolebant. Jupiter enim Celtis Veteribus *Taranis* dicebatur, quaſi βρονταῖος ſeu Tonans: unde & hodieque Cambro-britannis, ſive Wallis tonitru vocatur Taran. A quo, trajectis ultimis duabus conſonis, fit noſtrum Tanar vel Tonner. Septentrionalium verò Tor, quem fulmini ac tonitrui præſediſſe docet *Ericus Olaus*.

Mutuarunt hoc Germani, Bohemi, Sueci, Dani aliique Septentrionales, ubi Jovis latiſſimè patuit cultus, à Græcis, quibus Jupiter ζεὺς νεφεληγερέτης καὶ βρονταῖος, ἐλατὴρ ὑπέρτατος βροντῆς ἀκαμαντόποδος, *altiſſimus tonitrus infatigabilis pedibus vibrator.* Φοινικοστερόπης *rubentia fulmina jaculans*; Αἰολοβρόντης, hoc eſt, αἰό-

λας

λας ϗ ταχείας βροντὰς ἐγείρων ϗ βάλλων varia velociaꝗ́ tonitrua ac fulmina emittens ac jaculans: βαρυόπης στεροπῶν κεραυνῶν τε πρύτανις graviſonus fulgurum fulminumꝗ́ Dominus: Ἀρχικέραυνος ſummus fulminator, βαρυσφάραγος hoc eſt, *βαρέως σφαραγῶν, graviter ſtrepens; ὑψιβρεμέτης altiſtrenius, κεραύνιος fulminator*, dici conſuevit. Unde & cum triſulco fulmine in veteribus numis pingitur, & dies ſeptimanæ quintus, *Iovis* diei nomenclaturam eſt conſecutus. Sed hæ Diaboli ſunt præſtigiæ, quibus miſeri mortales faſcinati, hominibus *ἀποθεώσει* cultis, ea deferebant, quæ ſacra Scriptura magno בעל רעם *ἀρχικεραύνῳ Altitonanti* vindicat & aſſerit ſoli. Nobis ergò ex Biblico Codice edoctis, memoratum modò *decimum Iunii diem*, anni *παρθενοτοκίας* 1652. den Donnerſtag nuncupare licebit. Non quòd cœci alicujus Numinis terriculamenta revocare ab Inferis velimus; ſed ut æterni Jehovæ voce horriſona, imò *vocibus Dei*, ut emphatico Hebraiſmo vocantur tonitrua, alto ſopitos peccatorum ſomno excitandos fuiſſe, ultrò fateamur. Horret profectò animus crudum adhuc ſatis & cicatrice vix obductа luridum refricare vulnus! Hic enim quid verba à me exſpectetis, ubi luctu & tremore animus nec dum fatigari deſiit? Ipſi modò vidiſtis ſpectantium genas lachrymis fuiſſe inundatas: prodeuntes ex vulneratorum pectore ſingultus, & ex intimo cordis receſſu funeſtiſſimos ejulatus. Quantùm igitur mihi ſit ardoris & alacritatis, cùm præſertim omnium penè malorum iſtorum ſocios vos habeam *αὐτόπτας ϗ αὐτηκόους*, facilè animadvertitis. Interea tamen, quia & de hac urbis noſtræ clade dicere aliquid ſum juſſus, ne hoc ſaltem pacto tanquam *ῥιψάσπις ἢ λιποτάκτης* demandatam Spartam pro ingenii viribus non videar exornâſſe, imperata lubens exequar. Quemadmodum enim primo poſt Reformationem elapſo ſeculo non templa modò concionibus, ſed & Academiæ & Scholæ orationibus ſecularibus tanti beneficii recoluerunt memoriam; ita

ſanè operæ pretium eſt, non è ſuggeſtis tantùm Eccleſiaſticis; ſed & pulpitis Academicis horribilis illius diei pectoribus noſtris characteres imprimi & *μνημόσυνα*.

Erat diei illius inauſpicati non obſcurum indicium, obſcura, craſſa & conſtipata nebularum congeries, quæ vicinos oculis noſtris montes ſubtraxit. Longo enim noſtri uſu de ejuſmodi prodromis hac anni tempeſtate concurrentibus, nonniſi malè ominari didicerunt. Pulſa nebula calor intenſus metum auxit. Accedente mox, ſub veſperam, valido ventorum certamine, nubes montium inſtar aggeſtæ, cœlum nobis atrox reddiderunt & aſpectu torvum. Omne malum à Septentrione, veteres inquiunt Hebræi, Prophetico fulti oraculo. Nobis certè Auſtralis plaga non ſemel fatalis fuit. Nam & ipſo illo die, quo illi maximè obſervabant, quos in loca editiora, tanquam ſpeculas, divina providentia mecum pertraxit, ſæva illa ac minax tempeſtas, atræ nubes, denſæ nebulæ, fulmina & fulgetra climati iſti maximè inſidiabantur. Mox tamen exercitus ille cœleſtis ad ſummi Imperatoris juſſum caſtra movet, Tigurinam Urbem & agrum propius accedit; Tonitrua terrent, fulgetra micant, fulmina vibrantur. Poſt ſextam maximè horam vox Domini invaleſcere cœpit, & cùm aliquoties fulmine Urbis noſtræ ædificia concuſſa eſſent; tum verò maximè deſolationis vaſtitatem vidimus, cùm turris illa *Capraria* (à colle vicino, capris ſine dubio paſcendis ante hac deſtinato) dicta, & aliquot hactenus ſeculis integra, eo tempore diſſiliit, quo promtuarium fuit pulveris pyrii, futuræ patriæ neceſſitati reſervati. Quæ ictum hunc exceperit in Urbe calamitas, quis fando aſſequatur?

Vos ipſos adorno teſtes, qui *πηλαυλαίυς* vidiſtis lapides volitare per urbem, eoſdemque januis, menſis, lectis, cellis veſtris imminere.

Qui, uno quaſi momento, ſpectâſtis fores conteri, tabulata confringi, muros dirui, repagula poſtibus excuti, tecta tegulis ſpoliari, hypocauſta feneſtris, Muſea libris.

Qui ejulatum audiviſtis adoleſcentum, vagitum infantum, adultorum voces querulas. Qui oculis veſtris uſurpâſtis tractus, quem vocant, *Neapolitani*, vaſtitatem, liberorum orbitatem, vulnera ſauciatorum, funera defunctorum. Qui abſentes etiam ab urbe mali hujus participes facti experti eſtis, quid ſit Deum habere iratum.

Exactiores naturalium rerum ſcriptores fulminis mirandas nobis exhibent operationes. Theatrum Romæ, tempore Imperatoris Macrini ipſis Vulcanalibus accenſum, nec vel fluminea, vel pluvia aqua extingui poterat. Vinum poſt fulmina in vaſe ſæpe acceſcit, ac multò etiam magis cereviſia recens. Si craſſior ſit fulminis materies, quàm ut permeet poros, vas rumpit, vinum autem humore ſic undique incruſtat, ut aliquantiſper, nec diu tamen, conſiſtat. Lapides & metalla in aëre producit; hæc verò etiam in terris liquefacit. Aquas, inquit Plutarchus, quæ in fulgurando decidunt, vocant agricolæ ϑαλλῆ, *auctiferas*, easque tales crescunt. Eâdem etiam aquâ, terris receptâ & permixtâ creſcere ſolent tubera. Animalium irrationalium partum fulmen promovet, rationalia verò abortum potiùs pati cogit. Interdum ſic nocet, ut nullam exterius notam relinquat; interdum ut exteriùs inducat nigritiem. In ipſis hominibus nihil eſt, quod majorem excitârit vel devotionem, vel ſuperſtitionem, uſque adeò, ut *Fulgur* etiam & *Fulmen* Numinum loco culta ſint.

Quas domi quisque ſuæ æterna memoria dignas, hac una die κεραυνοβόλῳ, habuerit obſervationes, & operationes, poſſem fortè, ſi per temporis anguſtiam liceret, ex catalogis aliquot, quos ſtudioſè hac de re collegi, non ἀπροσδιονύσως Vobis proferre. Eo tamen oratio noſtra, quæ ad portum paulatim feſtinat, aſpirare nunc non audet. Sed quid alii? Tantam vix patimur cladem, ecce rumor, ut creſcit eundo, apud vicinos mox percrebuit, totam Tigurinorum urbem in cinerem ita eſſe redactam, ut ne quidem veſtigia ejus ſupereſſent. Ubi meliora ſperabant, Neapolim non modò noſtram in rogum miſſam, ſoloq; penitus adæquatam, ſed ipſos etiam

etiam in ea homines ſuffocatos periiſſe omnino omnes. Alii publicis monumentis prodebant, centenos primo ſtatim occubuiſſe ictu, totidem lethaliter vulneratos. Hinc varia mox, ut præcipites eſſe ſolemus, hominum de urbe noſtra judicia.

Ipſa religio ſancta & innocens luere debuit, quaſi propter eam hæc Deus in nos conjeciſſet tela. Sed pridem hæc contemnere aſſuevimus, memores, non unius ſeculi hoc eſſe Eccleſiæ fatum, ut doctrinæ imputetur, quod merentur homines. *Si Tyberis aſcendit*, inquit Tertullianus, *in mœnia, ſi Nilus aſcendit in arva, ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianus ad Leonem acclamatur.* Et Cyprianus monet, *plurimos conqueri, quòd bella crebrius ſurgant, quòd lues, quòd fames ſæviant, quòd imbres, quòd pluvias ſerena longa ſuſpendant, Chriſtianis imputari.* Quid? quod, Auguſtino teſte, proverbium obtinuit vulgare: *Pluvia defecit, cauſa Chriſtiani nominis.*

Alii peccatis atque ſceleribus, quorum ſaburra noſtra præ cæteris ſit onerata navis, hanc nos meritos eſſe pœnam clamant. Non diffiteri nos, juſtiſſimam hanc juſtiſſimi peccatorum Vindicis eſſe manum, jam jam audiemus. Sed ὦ ἐπιχαιρεκάκοι! Num excidit vobis illud Servatoris? Δοκεῖτε ὅτι οἱ Γαλιλαῖοι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο, ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν; οὐχὶ λέγω ὑμῖν, ἀλλ' ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε, *Luc.* cap. 13. v. 2. 3. Sunt qui ordinario naturæ curſu hæc excuſant. Scimus equidem, fulgetra, fulmina & tonitrua ſuas habere cauſas naturales. Unde enim generatur tonitrus, quàm ex fumantis terræ ſiccis halitibus, qui in nube concluſi, exitumque moliti, dum ad faciendam fugam luctantur, pugnantque, tandem factâ per vim viâ, erumpunt, diſruptaque nube terribilem in aëre ſonitum edunt. Non aliter ligna collectis fœcunda vaporibus, ſi igni admoveantur, crepant & tumultuantur, exhalatione in aërem prodeunte. Spiritus verò in nube cohibitus, dum crebra agitatione, motuque carceris ſui lateribus impingit, ex illo attritu & colliſione

 ignem

ignem concipit, de fiſſæ nubis rima effulgens. Atque hinc colligunt, quòd maximè fulminet, ubi terra eſt nitroſa & ſulphurea, ubi verò cretoſa; qualis Britannia, in qua prodigii pene loco habentur; non item: ſed & Scythia & circa rigentia, à fulminum caſu, Plinio teſte, præſtantur immunia, Ægyptus inſuper & Æthiopia. Hæc, inquam, omnia, quę doctè Phyſicorum Scholę tradunt, larga manu damus; num verò propterea, quòd & peſtis, & fames, & bellum cauſis cientur ſecundis, pœnæ non ſunt, aut flagella Dei, juſtiſſimi ſcelerum vindicis?

Nos, *Auditores honoratiſſimi*, triſulcas has Dei ſagittas eſſe ex Scriptura ſacra, quibus ille nos, bona noſtra, corpora noſtra, chara illa pignora noſtra terrere voluerit, teneamus. Aut unde, quæſo, factum, quòd ſibi quisq; horrifico illo fulminis tactu & ictu tollendo ſupremum illuxiſſe diem exiſtimârit, quàm quòd ſcelerum & peccatorum ſuorum conſcius, divinam Νέμεσιν pœnas & ultionem meritam poſcere, intentis animi oculis facilè potuerit ominari?

Aut quis veſtrum eſt, qui non cum Moſe, Daniele, & Nehemia fateri cogatur, peccâſſe, rebellâſſe, calcitrâſſe nos, Proceres noſtros, Paſtores noſtros, plebem noſtram? Quis neſcit, tot nos ad pœnitentiam provocatos ſignis, prodigiis & portentis cervicem induraſſe, callum obduxiſſe, omnemque adeò frontem perfricuiſſe? Lituis ſuis & tubis, non per quadraginta tantùm dies, quam olim gratiam fecit Ninevitis; non per ſeculum, quæ προθεσμία fuit primi mundi; ſed per centum & triginta duos annos continuos, auribus noſtris inſonuit & intonuit; fructus fide vera dignos quæſivit, ſed cùm noſtra ſubinde vinea ſentibus & ſpinis obducta, labruſcas proferret, jam jam ſecuri, quæ otioſa hactenus arbori admota & adjecta pepercit, percutit; Lethalia tela, antè parata, vibrat; gladium acutum ſtrictumque pertinacibus nobis infligit; ſagittas emittit. Quis autem adeò impudens de Epicuri grege porcus, quis tam ſub craſſo aëre natus; quis animo tam agreſti, qui irati hîc tantum Judicis juſtitiam intueatur, non Patris ſimul

clemen-

clementiſſimi, miraculoſè pro nobis excubantis adoret veſtigia?

Nonne enim *miraculum* fuerit tot, tantorumque lapidum impetum, octo hominum internecione reſtingui & compeſci potuiſſe? Nonne *miraculum* fuerit, infantes lapidibus, trabibus circumſeptos & circumvallatos, ſalvos evaſiſſe & immunes? Rudera aſpicite, lapides conſpicamini, menſas ruptas, fornaces dirutas intuemini, feneſtrarum ſtragem perpendite, & tot facile videbitis miraculoſæ Dei providentiæ documenta, quot calamitate hac preſſi, non oppreſſi occubuerunt, homines.

Quis ad ſolum lapidum intuitum, non majorem animo ſuo concipiat cladem? Illi loquantur, qui quæ *Mechliniæ*, quæ *Avenione*, quæ alibi ex unius pulverariæ turris ruina data ſint damna, ex Hiſtoriis nôrunt.

Habent Phyſici in fulminis accuratiori examine ſuas nonnunquam *παρεκδιατριβὰς*, contendentes, eſſe quædam in quæ fulmen non habeat poteſtatem, ut; in plantis laurum ac ficum, in piſcibus vitulum marinum, quem phocam appellant; in avibus aquilam; in quadrupedibus hienam, in hominibus, dormientes omnes. *Sed*, (ut, quod ad phocam excipit *Brodeus*, de reliquis etiam reponamus) *ſi quis de gobio aut ſcaro eadem comminiſci auderet, ecquando mendacii eum argueremus? ecquando, per Deum immortalem; alterum horum piſcium viſuri ſumus fulmine exanimatum?* Nobis Divino armatis & animatis oraculo, intrepidè pronunciare licet, eſſe quosdam, quibus hæc fulminis tela non ſint extimeſcenda. Et qui illi? Texit eorum catalogum Hieropſaltes, *Pſalmo nonageſimo primo: Confidenti*, inquit, *in latibulo excelſi, in umbra Omnipotentis continenter pernoctanti. Dico, in Iehova eſt receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus eſt, cui confido; quandoquidem ipſe erepturus eſt te à laqueo aucupantis, à peſte ærumnoſiſſima, ala ſua protecturus Te, cùm ſub alas ipſius te receperis, clypeus & parma eſt fides ipſius: ne timeto à pavore nocturno, à ſagitta volitante interdiu:*

à peſte in caligine pervadente, à lue vaſtante in meridie. Videtis,ô Tigurini,cujus beneficio ſalvi evaſeritis & incolumes? Dei donum eſt, qui ſuo quaſi quemque exire juſſit loco,ne in eo, deprehenſus inopinato lapidum jactu periret. Cui largo fulmina miſcere placuit imbre,ne per plateas & vicos diſcurſitantes, tegulis,feneſtris, trabibus ſuccumberetis. Cui lubuit ea tantùm turris parte in vos animadvertere, quæ debilior erat,& ad nocendum infirmior,reliquam verò lapidum ſtruem in aggerem & vallum,verſo quaſi tergo,arietare juſſit. Qui terminos ipſis poſuit lapidibus, ut ſalutatis potiùs, quàm pulſatis aut concuſſis liminibus,ſubſiderent,quieſcerent,nocere ceſſarent; qui laçum noſtrum,compluribus in illo flammis,& fumantibus lapidibus conjectis, ardere & flagrare maluit, quàm corpora noſtra. Cogitemus tandem, non horrendam modò illam diem fulminatricem, ſed & reliqua ſeculi noſtri prodigia,futurorum malorum eſſe præſagia. Verè natura Eccleſiæ, Reipublicæ, Scholis συνωδίνει. Qui ſuperiorum ſeculorum annales retexuerit, reperiet, anomalum ſemper & novercantis naturæ curſum,mutationum & motuum certiſſima præbuiſſe τεκμήρια. Quæ alibi evenerint non repetam. Patriæ Hiſtoriis inſiſtens,nunquam tot ei apparuiſſe oſtenta impunè, tribus expediam verbis. Quid, quæſo, *Tigurum* noſtrum ſeculo poſt Chriſtum natum decimo quarto, præſertim ab anno milleſimo trecenteſimo trigeſimo ſeptimo, ad quinquageſimum ejusdem ſeculi calamitatum non ſenſit? Cometæ,locuſtæ, aquarum inundationes, annonæ caritas, fames, peſtis urbem noſtram exercebant: Prodromi certè erant acerbi illius cum Auſtris belli,ut rectè *Bullingerus* conjicit. Quibus omnibus Majoribus noſtris bellum Suevicum fuerit prænunciatum, exteri etiam viderunt. Inter ea, ſic ſcribit in Fatidicis Neuhuſius, *non obſcuri fuit prodigii terrorisq; minimi grando,quæ gallinaceorum ovorum excedens magnitudinem,triſtem Bernatium agro calamitatem intulit. Qualis ſeptimo poſt die Tigurinos perculit,multis in agro ruſticis,& pecude*

tude avibusq; oppreſſis, quo tempore cum Helvetiis Maximilianus prælium atrox commiſit, quod hominum plus, quàm viginti millia utrinq; hauſit. Quos Burgundicum, Italicum, cæteraque Helvetiæ bella præcones habuerint, & monitores cœleſtes, monumenta quoque noſtra loquuntur.

Cùm ergò domeſticis edocti exemplis, videamus, eſſe hæc ἀρχὰς, (principia, & præludia.) τῶν ὠδίνων, Deum, coronidis loco, ſupplici voce & mente rogemus, ut pœnas cervicibus noſtris imminentes, beneque meritas, clementiſſimè amoliatur, aut, quod Eccleſiæ fatum eſt, caſtigationibus tantùm paternis, in nos animadvertat. Gratiam nobis idem faciat, ut noſtris magis, magisque diffiſi viribus, in ipſo ſolo ſpem collocemus, illo uno aſylo & anchora certiſſima beatos & tectos prædicemus, malo noſtro experti, quàm nihil ſine patrocinio Divino, noſtræ ſint curæ, noſtræ turres, noſtra munimenta, quæ, ſi ſic mereamur, in nos converſa non ædificia modò, ſed & viſcera noſtra petant. Ipſe ſit locus editus nobis, propugnaculum noſtrum, arx noſtra, portus & cuſtos noſter. Ipſe Patriam noſtram deinceps etiam eſſe jubeat bonitatis ſuæ ſpeculum, Eccleſiæ ornamentum, juſtitiæ tribunal, pauperum aſylum, bonarum literarum domicilium, veræ, ſeriæ & minimè fucatæ pœnitentiæ exemplum, ſanctum denique ſancti ſui Spiritus templum. Fac nos votorum compotes, ô æterne Pater, per & propter Filium Tuum Unigenitum. Cui Tecum, & cum Spiritu ſancto ſit laus, honor & gloria in omnes ſeculorum myriadas,

AMEN!

FINIS.

VITTORIO BIBLIOTECA

INDEX
RERUM ET VERBORUM ordine Alphabetico diſpoſitus.

Abbati Sangallenſi Abbatiſcellani bellum indicunt 545

Abbatiſcellani quando in fœdus Helveticum recepti 438

belli eorum prioris deſcriptio 356

belli eorum poſterioris deſcriptio 365

Abdia Babylonii ſcripta ſuppoſititia ſunt 72

Abrahamo ſcripta quædam tribuuntur 67

Acidulæ in Rhætia 240

Actor.cap.XVII.v.18.explicatur 152

Adamas Caroli Burgundi, 316

quorſum tandem devenerit 432

Adamo ſcripta quædam tribuuntur 67

Ægidius Tſchudius de rebus Helveticis ſcripſit 222

Ænotherus Durgæus. De eo fabula 253

Albertus fœderi Helvetico anſam dat 160

Albertus Auſtrius Tigurum obſidet 249

Alemanni quaſi allerley männer 182

Alpes unde ſic dicantur 239

Helveticæ conſideratu dignæ 235

Altoſaxi fortitudo in bellis Italicis 255

Ambroſii ſcripta quæ dubia, vel ſuppoſititia 80

Anabaptiſtæ Philoſophiam rejiciunt 106

Ancillans Philoſophia quid 325

Vide, Philoſophia ancillans.

Andreæ Apoſtolo falsò adſcribitur liber paſſionis 69

Angelos mulieribus in principio ſeſe miſcuiſſe, quidam Patres docuerunt 24

hanc ſententiam à Iudæis habent ibid.

Anglia

Angliæ Rex Helvetiorum amicitiam ambit 509
Angli ab Helvetiis caſi 295
Animas in communi cuſtodia detineri Patres docuerunt 5
id habent à Philoſophis Græcis 13
omnes ſimul creatas eſſe quidam docuerunt Patres 23
errorem hunc à Iudæis hauſerunt 24
eas tantùm Paradiſum ingreſſuras, ſtatuunt Iudæi 32
qualis animæ felicitas, poſt mortem corporis, juxta Rabbinos 21.22
Anſelmo quæ ſcripta falsò tribuantur 92
Antiquitas urbis Tigurinæ 561
Antonii Eremitæ ſcripta ſuppoſititia 78
Apollinem Helvetii coluerunt 530
Apoſtoli ſæpe Philoſophorum dogmata oppugnârunt 156
eorum Canones, liturgiæ item, ſeu Miſſæ ſuppoſititiæ ſunt 68.69
Aquæ luſtralis uſus à Gentilibus eſt 17
Aquarum in Helvetia conſideratio utilis eſt 240
eſt in Helvetia aqua, cujus potus gutturoſos, vel alio modo vitioſos reddit ibid.
medicatæ aquæ, præter thermas, in Helvetia ſunt 242
Aquarum eluvies 285
Aquenſis Præfectura 441
Arabes Philoſophiam negligunt 103
quis primus ejus inter eos cultor fuerit 103.104
Arabicæ Grammaticæ in Theologia uſus 138
Aræ in Helvetia repertæ, in quibus Manibus defunctorum thus adolebant Helvetii 533
Arma veterum Helvetiorum 247
Arnobii ſcripta ſuppoſititia quæ 76
Aſtrologi Tigurini ante Reformationem 579
Athanaſii ſcripta ſuppoſititia quæ, & quæ dubia 77.78
Avenionem Helvetii, Regi Galliarum ſerrituri, petunt 423
Aventia Dea in Villarienſi inſcriptione mentio fit 531
quæ fuerit Dea illa ibid.

Aventici ſub Gentiliſmo fuerunt Philoſophiæ Profeſſores 536.537
Averrois encomium 102
Auguſtorum Numina Helvetii coluerunt 530
Auguſtino quæ ſcripta falsò tribuantur 85.86.87
Aurelio Prudentio quæ falsò adſcribantur 82
Auſtriaca Helvetiorum bella priora, pro fœderis initiis, ſunt, prælium Morengartenſe, 297. *pugna Tetvvilana,* 301. *pugna ad Navalia,* 303. *Sempachiana,* 304. *poſteriora, quæ contra Sigiſmundum, Auſtriæ Archiducem, ejusq; aſſeclas, pro fœderis incremento geſſerunt* 345
Auſtriaca domus Helvetiorum amicitiam ambit 485
Autumnus. Ingens in eo frigus 286

B.

Baldegg à Lucernenſibus deſtruitur 294
Bardi apud Gallos qui 534
Baſileenſes quando in fœdus Helveticum recepti 438
qui ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 222
eorum res geſtas Theod. Zvingerus deſcripſit 558
Baſilii Magni quæ ſcripta ſuppoſititia ſint 80
Bavariæ Dux Helvetiorum amicitiam ambit 513
Bebelii cohortatio atque congratulatio ad Helvetios, cùm Maximilianus fœdus hæreditarium cum iis reſtauráſſet 476
Bellitz. Helvetii Mediolanenſes ibi cædunt 295
Bellum. Helvetiorum bella qui deſcripſerint 226
non facilè Helvetii bellum incipiunt 273
Helvetiorum bella, ὡς ἐν τύπῳ, propoſita 294
bellorum Helvetiorum prolixior narratio aliquot Canones habet 297
bellum inter Comitem Kiburgenſem & cives Bernenſes 244
bella Helvetii gerunt,
a. *alia pro fœderis initiis, cujusmodi ſunt Auſtriaca priora* 297
b. *alia pro felici ejus continuatione, ut ſunt Burgundica*

dica, Auſtriaca poſteriora, & Suevica 308
c. *alia pro amicis & Confœderatis* 356
bella Helvetiorum Auſtriaca. Vide, Auſtriaca Helvetiorum bella.
bella ab Helvetiis contra Helvetios geſta 360
bellorum & præliorum Helvetiorum, Confœderatorum maximè, Catalogus 293
bella ab Helvetiis pro Helvetiis contra exteros geſta 356
in bello ſacro vel continuando, vel impediendo multum Helvetiis tribuitur 476
bellum Sangallenſe poſterius 365
Abbatiscellanum poſterius ibid.
Tigurinum deſcribitur 360
Bembus nonniſi Ciceroniana, etiam in rebus Theologicis, admittenda exiſtimat 118
Benedictus Tſchachtlanus de rebus Helveticis ſcripſit 220
Bernenſes quando in fœdus Helveticum recepti 438
qui ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 220
Comitem Kiburgenſem, & alios fundunt 259
quosdam plectunt Monachos 545
militiam mercenariam prohibent 609
Bibere. Lex Helvetiorum, ne quis invitatione ad bibendum urgeatur 458
Bibliotheca publica, ante Reformationem, à Tigurinis collecta 578
Biennenſes quando Bernenſibus fœdere juncti 440
Bilitionenſis Præfectura ibid.
Bilitionenſis belli deſcriptio 359
Bipennes Helvetiorum celebres ſunt 247
Boloniam Galliæ Rex obſidere cogitat 423
Boxhornius de rebus Helveticis ſcripſit 225
Brandenburgenſis Marchio in bello contra Norimbergenſes CC. Helvetios habet 479
Bremogartum capitur 474
Bruder-holtz. *Helvetii hoſtes ibi cadunt* 296. 348
Brunii fortitudo in laniena Tigurina 254. 567

Bullionai caſtra Helvetii ſequuntur 294
Burgundicorum praliorum characteres 283
à quibus pralia illa deſcripta ſint 227
eorum deſcriptio ex Philippo Cominao,308. ex Bzovio,331. ex Simlero,340.

C.

Cæſario Arelatenſi qua falsò tribuantur ſcripta 90
Calamitates Helvetia varias ſuſtinet 622
Caletum auxilio Helvetiorum recuperatur 424
Canum Burgundicorum & Helvetiorum velitationes 287
canes Gallorum crura Helvetiorum lambunt 371
canes Gallorum Helvetiis blandientes quid notârint 287
Canones Apoſtolorum ſuppoſititii ſunt 68
Cantonum Helvetiorum catalogus 436
Capellana cladès à Bzovio falſiſſimè deſcripta 230.231
Capillorum raſura à Gentilibus eſt 17
Carolus, Burgundia Dux, caſus 177.295.
amittit animum, opes, militem, vitam 283
ab Helvetiis caſus 295.312
ad Grancejum ab Helvetiis caditur 469
fugit in Burgundiam 320
interficitur 329
ejus ingenium & mores 330.338
Carolo VIII. Gallia Regi Helvetii anno 1489. militem mittunt 415
contra Romanorum Regem fruſtra ab Helvetiis militem petit 479
anno 1497. Helvetios cum ſuis Genuam & Savonum mittit 417
Carolini Collegii apud Tigurinos Prapoſitura antiquiſſima eſt & celeberrima 582
Caſparus Frey de rebus Helveticis ſcripſit 213
Caſſium, Conſulem Romanum, Tigurini cadunt 565
Caſtalio nonniſi Ciceroniana, etiam in rebus Theologicis, admittenda exiſtimat 118
Cellarii in Bello Burgundico fortitudo 254

Ceremonias Helvetii ante Reformationem non habuerunt eaſdem, quas reliqui fidei ſocii 546
Ceriſola. In memorabili ad Ceriſolam, apud Subalpinos, pugna Helvetii Galliarum Regi auxiliantur 423
Chiliaſmi defenſores Patres 5
ejus origo 17
Chriſmatis uſus à Iudæis eſt 28
Chriſti ad Agbarum epiſtola ſuppoſititia eſt 68
de eo Sibyllarum vaticinia 65
Chriſtianam Religionem quando Helvetii amplexi ſint variæ ſunt ſententiæ 539
Chriſtianorum Philoſophiæ hiſtorica conſideratio 98
ea habet Platonicam, Pythagoricam & Peripateticam 98
Chriſtiani quidam ſalutem in Philoſophia quæſiverunt, vel oſtenderunt 111
Chriſtianus VVurſtiſius de rebus Helveticis ſcripſit 222
Chronologici lapſus exterorum autorum, ex domeſticis annalibus, in Helveticis hiſtoriis, corrigendi 426
Chryſoſtomo quæ ſcripta falsò tribuantur 84.85
Claudius Caſſus, Helvetiorum legatus, vir fuit eruditus 535
Clementi Conſtitutiones Apoſtolicæ falsò tribuuntur 70
ejus Recognitiones & Epiſtolæ ſuppoſititiæ ſunt 70.71
Clerus Helvetiæ ad tabulas fœderales adſtrictus, jure extraneo uti non fuit auſus 544
in eum delinquentem Helvetii olim ſupplicia ſtatuerunt 545
ejus ignorantiam, oſcitantiam & Epicureiſmum Helvetii olim perſtrinxerunt 542
ejus exemtionem ab oneribus civilibus Helvetii ferè ſemper oppugnârunt 544
exorbitantem iidem in officium redigendum ſtatuunt 457
Cœlibatum multi ex Tigurinis, jam ante Reformationem, rejecerunt 546
Cœnobia apud Tigurinos quomodo reformata 600
Cometa

Cometa apparet 285
Concilium Piſanum expeditionem Palaſtinam Helvetiis ſignificat 477
Conciliis quænam ſcripta falsò tribuantur 92
Concilia veteres Helvetii ſemper Pontifici prætulerunt 543
Concionum ſacrarum fundamentum ineptè quidam in Philoſophia quærunt 113
Conradus de Muri, Cantor Tigurinus, conſcripſit dictionarium 579
Conſequentiis ex ſcriptura deductis nihil probari poſſe, docent Pontificii & Photiniani 133
Conſtantini Magni donatio ficta eſt 77
Conſtitutiones Apoſtolicæ ſuppoſititiæ ſunt 70
Convitia, quibus Helvetii ante Reformationem laceſſiti fuerunt 190
Corpus Chriſti non eſt ubique 134
Craffii Tigurini in bello Novareno exhortatio 370
Curtiſanos Helvetii limitibus ſuis proſcribunt 556
Cypriani quæ ſcripta ſuppoſititia ſint 74.75
Cyrillo Alexandrino quæ ſcripta falsò tribuantur 87
Cyrilli Hieroſolymitani ſcripta ſuppoſititia quæ 78

D.

Damaſceni ſcripta ſuppoſititia quæ 92
Damaſi ſcripta ſuppoſititia 77
Daniel Eremita de rebus Helveticis ſcripſit 225
Danielis ſcripta ſuppoſititia quæ 68
Decretum Collegii Carolini pro ſuffragiis & ſolennitatibus pro iis, qui in præliis pro defenſione Patriæ occubuerunt 430
Delphinus ab Helvetiis cæſus 245
Deos Manes coluerunt Helvetii 533
Diepoldus Schillingerus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Dieticonam occupant Tigurini 474
Dionyſii Areopagitæ ſcripta ſuppoſititia 71
Diviconis, obſides dare à Cæſare juſſi, reſponſum 203

Dorna-

Dornacum. Ad Dornacum pugnantium Helvetiorum conſtantia 284
Derneccana pugna 348
Dorotheo Presbytero quænam ſcripta falsò tribuantur 79
Druidæ apud Gallos qui dicti 534
דור החכמה *dicitur Philoſophus* 93

E.

Eberhardus Myllerus de rebus Helveticis ſcripſit 213
hiſtoricus Tigurinus 579
Eccleſia Tigurina multa à Deo beneficia habet 581. *&c.*
Eliam adhuc in Paradiſo ſuperſtitem eſſe, à Iudæis petitum eſt 29.30
Eliſabetha, Angliæ Regina, Helvetios per literas monet, ne Genevæ patrocinium deſerant 179
Ellerſpach ab Helvetiis victus 295
Eloquentiæ ſtudium ſub Gentiliſſmo in Gallia & Helvetia floruit 536
Engelharti Tigurini in bellis fortitudo 255.567
Ennii Philonardi, Legati Pontificii, oratio ad Tigurinos pro obtinendo Rouſtio, Conſule, Capitaneo ſatellitii Pontificii 610
Enthuſiaſtæ Philoſophiam damnant 106
Ephremi Syri ſcripta ſuppoſititia 79
Epicuræos oppugnat Paulus 156
eorum dogmata quædam Sadducæi ſunt amplexi 155
Epicuræa Philoſophia ab Epicuro ſic dicta 151
Epicurus quis fuerit, & quæ ejus dogmata ibid.
Epiphanio quæ falsò tribuantur ſcripta 82
Epiſcopis, fulmen anathematis minaturis, Helvetii ſilentium imperant 556
Epiſcopo Conſtantienſi Helvetii caſtella comburunt 545
Sedunenſi bellum indicunt ibid.
Epiſtolæ decretales ſuppoſititiæ ſunt 71
Epona fit mentio in Inſcriptionibus in Helvetia repertis 531
qualis Dea fuerit ibid.

Eraſmo

Eraſmo ſcripta quædam falsò tribuuntur 92
Eremus B. Virginis à Suitenſibus capitur 474
Ergovia deditione capta 474
Eſſæi Pythagoricis proximè acceſſerunt 155
Ethicæ in Theologia uſus 141
eum qui oſtenderint 145
ejus in Theologia abuſus 122
Ethnici ſalutem in Philoſophia quæſiverunt 111
Etterlinus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Evangelium Nicodemi ſuppoſititium eſt 69
Euchario quæ ſcripta falsò tribuantur 88
Evodii, Epiſcopi Uzalenſis, ψευδεπίγραφα 91
Euſebii Alexandrini ſermones ſuppoſititii ſunt 75
Euſebii Emiſſeni ſcripta ſuppoſititia quæ 77
Excommunicationes Pontificias veteres Helvetii parum curârunt 543
Excommunicationis fulmen minaturis Epiſcopis Helvetii ſilentium imperant 556
Exulans Philoſophia quid 120

F.

Fames 286
Faſtus adverſariorum Helvetiis ſæpe victoriæ τεκμήριον erat 276
Fatum. De eo Phariſæi non idem ſenſerunt quod Stoici 153
Fauſto Monacho quæ ſcripta falsò tribuantur 89
Feerii fortitudo in bello Suevico 254
Felix Malleolus editis libris clarus 579
de rebus Helveticis ſcripſit 213
Felix, Regula & Exuperantius primi Evangelii apud Tigurinos præcones 582
Felix Schmid de rebus Helveticis ſcripſit 213
Fertilitas Helvetiæ 203
Fidelitas Helvetiorum 461
Tigurinorum 568. 569
Flamines & Flaminicas habuerunt Helvetii 532
Fluvii plures in Helvetia originem habent 242

Fœde-

Fœderis Helvetici origo miraculoſa eſt 462.&c.
ejus cauſſa quæ 160.161.164
ejus origines Sebaſtianus Münſterus deſcribit 222
ejus primi autores Vrii, Suitii & Vndervvaldii 437
triplici reſpectu diſtinctum eſt:
1. octo veteres Pagi ſibi peculiariter erant devincti 442
2. privatum Civitatum fœdus, anno 1481. ſolutum, & Stantiano decreto decem Pagis certa fœderis formula præſcripta 446
3. quæ ratio poſteriorum V. Pagorum ſit, & inter ſe multas experitur inſidias 448
Vide etiam, Helveticum fœdus. 466
Fœdera cum exteris Zvinglius diſſuadet 602
alii ante ipſum 606.&c.
Fœdus cur Helvetii cum Galliæ Rege, & tum aliis fecerint 606
Fœderis tum Rege Galliæ articuli 495
quantopere illud Pontifici diſplicuerit 497
illud Friburgenſes detrectant 609
Fortitudo Tigurinorum 565.&c.
ob fortitudinem Helvetii celebres ſunt 203
Fortunam Helvetii coluerunt 529
Franciæ Regis exercitus numeroſus à paucis Helvetiis caſus 262
Franciſcus, Galliæ Rex, Imperii axioma tùm ambiret, per Helvetios Electoribus commendari petit 474
anno 1524. bellum in Inſubria reſtaurat 422
captivus in Hiſpaniam ducitur ibid.
Franciſcus Guillimannus de rebus Helveticis ſcripſit 223
Fruſtenziana pugna 348
Friburgenſes quando in fœdus Helveticum recepti 438
fœdus Gallicum detrectant 609
qui de rebus Helveticis ſcripſerint 223
Friccius de rebus Helveticis ſcripſit 220
Fridericus Imperator contra Matthiam, Hungariæ Regem

gem, ſubſidium Helveticum fruſtrà petit 479
Frigus immane 286
Fuga turpis notam Helvetii ſibi non facilè inuſſerunt 264
Fulgentio quæ ſcripta falsò tribuantur 89

G.

Galeacius, Mediolani Dux, cæde Caroli Burgundi delectatur 314
Galliæ Reges Helvetiorum amicitiam ambiunt 488
fœdus Helveticum maximi faciunt 526
quas Helvetii pro Galliæ Regibus expeditiones ſuſceperint 415
Gehenna duplex, aqua nimirum & ignis, Iudæorum commentum eſt 25
Gelaſio Papæ quæ ſcripta falsò tribuantur 89
גלי רזיא liber eſt ſuppoſititius 53. 54
Genevenſes cum quibus Cantonibus fœdus habeant 440
commendantur Helvetiis ab Eliſabetha, Angliæ Regina 179
Geniorum frequens mentio in Inſcriptionibus in Helvetia repertis 530
Genios locorum Helvetii coluerunt 529. 530
Gentiles ſubſidio Philoſophiæ partim convinci, partim ad fidem converti poſſunt 129
iis Patres quidam ſalutem extra Chriſtum addixerunt 14
eorum dogmata à quibusdam in Religionem Chriſtianam invecta 112
eorum Philoſophiæ hiſtorica conſideratio 98
Genua. In ea occupanda Gallo Helvetii auxilium ferunt 418
Geroldus Edlibachius bella Tigurina, Lombardica & Burgundica conſcripſit 213
Glanzenberg capitur & deſtruitur 251. 294
Glaronenſes quando in fœdus Helveticum recepti, & cur 437
qui ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 212

Glog-

Gloggenburg capitur & deſtruitur 294
Goldii fortitudo in bello Suevico. 254
Græca Grammatica in Theologia uſus 138
Grammatica olim neglecta 109
ejus in Theologia uſus 138
Hebraa, Arabica, Græca & Latina in Theologia uſus 139
ejus in Theologia uſum qui oſtenderint 145
quomodo in Theologia officii ſui limites tranſiliat 117
Grancejum Carolus Burgundiacus occupat 469
Grando in Tigurino & Bernenſi agro 284
Granſonium à Carolo Burgundiaco expugnatur, & præſidiarii, contra datam fidem, occiduntur 311
Gregorio Magno quæ ſcripta falsò tribuantur 91
Gregorio Nazianzeno tributa quæ ἀμφιβαλλόμενα 81
Gregorio Neo-Cæſarienſi quæ ſcripta falsò tribuantur 76
Gregorio Nyſſeno quæ ſcripta falsò tribuantur 81
Grinovia Tigurini, inſidiis circumventi, fortiter pugnant 565
Griſleri nefandum facinus 465
ejus tyrannidem Deus frangit 295
Gulerius de Rhætia ſcripſit 223

H.

Habſpurgenſis Comes interficitur 257
Hadriani de Bubenberg fortitudo in bello Burgundico 254
Hagenbachius crudelis tyrannus, & Helvetiorum infenſiſſimus hoſtis 469
Harda inter Helvetios & Suevos pugna committitur 347
victoriam Helvetii ibi reportant 295
Helvetia ſitus 234
eſt munita regio 203
in quot Pagos diſtributa ſit 204
diſtinguitur in Cantones, Socios & Præfecturas 436
ejus Cantones arctiſſimo, ad publicæ pacis conſerva-

tionem vinculo ſibi mutuò devincti ſunt 442
quod tamen triplici reſpectu diſtinctum eſt ibid.
Vide etiam, Fœdus.
ejus iidem ferè olim, qui nunc, erant fines 288
ejus hiſtoriam pauci ſcribunt 211.212
Helvetii unde ſic dicti ſatis incertum 201
etiam vocantur Burgundiones & Alemanni 202
libertatem amant ibid.
ab exteris vulgò Suizeri vocantur 204
eorum lingua 234
eorum Cantones qui 436
qui ſocii, & quæ Præfecturæ ibid.
quidam Cantones à Papiſmo ſeceſſionem faciunt 556
eorum nomen decantatum apud veteros Græcos, Latinos, Hebræos & Arabes 198.199.201
eorum encomia 173.174.175
eorum Religio in Gentiliſmo qualis fuerit 527.528
Vide etiam, Religio.
eorum Religio ſub Chriſtianiſmo quæ fuerit 538
quando Religionem Chriſtianam amplexi ſint variæ ſententiæ 539
puræ Religionis Chriſtianæ ad tempus tenaciſſimi fuerunt 540
ſemper Reformationis cupidos viros ſunt amplexi 543
etiam ante Reformationem in ritibus à reliquis fidei ſociis variârunt 546
eorum, quæ in Gentiliſmo literarum ſtudia fuerint 534
Helveticorum annalium methodus duplex, generalis & ſpecialis 234
generalis rationem habet Naturæ, militiæ, politiæ & Eccleſiæ, ibid.
natura oſtendit Helvetiæ ſitum ibid.
linguam ibid. magna naturæ munera 235
militia Helvetios claros reddidit 243
bella & prælia Helvetiorum 293. &c.
politia Helvetica diſtribuitur in Cantones, Socios & Præfecturas 436
de Religione 527

ſpecialis *methodus ad unam quamque civitatem, ſeu pagum accommodata eſt* 557
Helvetii ſoli ex fœderatis Eidgnoſſen *vocantur* 159
veterum arma 247
Helvetici fœderis cauſſa & origo 160.161.462.464
illud à multis ſæpe vi oppugnatum 466
eſt perpetuum & ſempiternum fœdus 158
eſt Sacro-Sanctum 159
eſt neceſſarium tum ratione originis, tum continuationis 259
eſt juſtum 164
eſt laudabile 165
eſt mirabile 175
eſt hæreditarium 179
eſt fortunatum, fœlix & fauſtum 181
eſt pretioſum 185
eſt natura & ingenio congruum 188
eſt conſideratum ibid.
eſt munitum 189
à graviſſimis ſcriptoribus laudatur 165.166.167
ab Imperatoribus, Regibus, Papis, Cardinalibus, Epiſcopis vel confirmatur, vel laudatur 169
Helvetiorum res qui ſigillatim pertractent 225
qui nam fusè & accuratè 227
ii maximè fidem merentur, qui rebus geſtis propiores fuerunt 228
tam particularis, quàm univerſalis hiſtoria à multis indignè tractata ibid.
qui de rebus Helveticis ex Tigurinis ſcripſerint 212
qui ex Bernenſibus 220
qui ex Baſileenſibus 222
qui ex Glaronenſibus ibid.
qui ex Abbatiscellanis 223
qui ex Lucernatibus 221
qui ex Friburgenſibus 223
qui ex Tuginis 222
de iis ſcripſit Ranuccius, Comes Scottus 224

Helvetiorum fœdus & amicitiam varii ambiunt 169. 484

eorum amicitiam obtentam magni faciunt, ſolicitéque colunt 484

eam ambit Rex Angliæ 509

rex Hiſpaniæ & Hungariæ ibid.

eam Pontifices ambiunt 514

fœderis continuationem Pontifex urget ibid.

eam ambit Dux VVittenbergicus 513

Dux Mediolanenſis, 509. *Sabaudiæ Duces*, 512. *Lotharingiæ & Bavariæ Duces, & Reſp. Veneta* 513

Helvetii à Pontifice vocantur defenſores Eccleſiæ & libertatis Eccleſiaſticæ 514

à Mediolanenſi Duce Patres vocantur 527

Helveticum fœdus Galliæ Reges maximi faciunt 526

illud Pontifici diſplicet 479

Helvetii cur fœdus cum Galliæ rege, & cum aliis fecerint 608

quas pro Galliarum rege expeditiones ſuſceperint 415

anno 1544. *ei* 20000. *mittunt contra Cæſarem Pariſios petentem* 423

Helvetii ab Eliſabetha, Angliæ regina, monentur, ne Genevam deſerant 179

non indignè tractârunt nobiles 214

varia patiuntur 186

dicti Kühmäuler 232

eorum aliquot res præclarè geſtæ 253

nunquam omnes deleti fuerunt 287

veteres, Gallis annumerati, fortes erant ibid.

inter Germanos relati eandem laudem retinent ibid.

parallelismus inter veteres & intermedios Helvetios diligenter obſervandus ibid.

fortes ſunt 203

peditatu maximè valent 244

bellis magis, quàm literarum ſtudiis dediti ſunt 211

Helvetiorum bella, ὡς ἐν τύπῳ, propoſita 294

Helvetiorum bellorum & præliorum, confœderatorum maximè, catalogus 293

eorum prælia à quibus deſcripta 226
Helvetii non facilè bellum incipiunt 273
precibus prælia incipiebant 255
quid iis in præliis animum addiderit 265
Helvetiorum contra Helvetios bella 360
Helvetiorum fortitudo in Novarena clade 288
Helvetii veteres & intermedii pro patria libertate dimicantes nunquam caſi 289
utrorumque eadem belligerandi ratio fuit ibid.
eorum virtutem commendat clades à Romanis illata ibid.
Helvetii ſtrategematibus felices 248
Helvetiorum victorum amicitiam ſæpe victores ambiverunt 263
victis parcunt 274
hoſtem aggreſſuri clamore initium faciunt 276
quæ iis in præliis detrimentoſa fuerint 280
ſæpe parva manu magnos aggreſſi ſunt exercitus 175
pauci multos vincunt hoſtes 261
eorum ſæpe pauciſſimi in cruentiſſimis præliis deſiderati 176
non facilè turpis fugæ notam ſibi inuſſerunt 264
fugientes ſeverè puniunt 271
intrepidi ſunt, & vel ad vincendum, vel ad glorioſè occumbendum parati 245
cæſi prælium redintegrant 256
contra Iudæos pugnant 293
variis bellis impliciti ſunt, cùm adhuc omnes parerent Pontifici 189
Helvetia nunquam fuit pacatior, quàm ab illo ipſo tempore, quo religionis divortium fuit introductum 189
Helvetii nunquam pluribus convitiis fuerunt laceſſiti, quàm quum eadem omnium eſſent ſacra 190
eorum in bellis fortitudo ab exteris Scriptoribus laudatur 433.434
juvant Regem Galliæ in occupanda Valletelina, & oppido Tyrano 417
in Ducatu Mediolanenſi cæſi ab Antonio de Leva 422

à Monbrunio caſi 424
infeliciter contra Proſperum Columnam in Ducatu Mediolanenſi pugnant 418
caſtra Bullionai ſequuntur 294
contra Eugenium pro Theodoſio pugnant 293
contra Romanos pugnant 293
contra Saracenos militant ibid.
pro Pontifice Romano aliquot expeditiones ſuſcipiunt 366
pro Imperatore & Duce Mediolanenſi quoque ibid.
authoritate Pontificis rejecta Imperatores ſæpe ſequuntur 555
in victoria contra Helvetios veteres & intermedios, Imperatores & Reges eandem gloriam quæſiverunt 292
periclitantes ſuppetiis ſuis juvant 283.284
eos adverſarii ſæpe ſpernunt, ſed ſuo malo 276.277
ob militiam mercenariam ab aliis variè traducuntur 619
Helvetica Reipublica initium qui fecerint 437
illa origine & progreſſu miraculoſa, nec vi hactenus, nec dolo ſupprimi potuit 461.462
ejus varius ſtatus 181
cur libera ſit 480
rectè una Reſpublica, vel Civitas vocatur 449.454
id tamen viri magni negant, a. ex Germanicis, 450. b. ex Helvetiis, 451. c. ex Gallis, 452.
eorum objectionibus reſpondetur 459
ei vel in peragendis, vel in peractis rebus arduis multum tributum 472
cum illuſtriſſimis pari loco habita fuit 460.461
juſtitia maximè & fidei nomine commendata fuit 460
Helvetiorum & veterum & intermediorum conatus excelſum oſtendunt animum 288
brevi tempore totum Mediolanenſem Ducatum armis cogunt ibid.
eorum Legati ſplendidè tractantur 484
ad Carolum Burgundum Legatos de pace mittunt 310

iis

ius Pontifex largè offert Indulgentias 514
alia item dona 526
de Helvetico Monachatu variæ ante Reformationem querelæ moventur 547
Henricus III. Galliæ Rex à Monacho peremtus 425
Henricus Borbonius, Navarræ Rex, Galliæ Rex eligitur 425
copias Confœderatorum conducit ibid.
à Franciſco Ravilliaco occiditur ibid
Henricus Brenvvaldius de rebus Helveticis ſcripſit 213
Henricus Bullingerus diligentiſſimus rerum Helveticarum ſcriptor 214
de ejus ad Helvetios Proſopopœia ibid.
Henricus Glareanus de rebus Helveticis ſcripſit 222
Henricus Lupulus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Henrici Pantaleonis Proſopographia 222
Hermes integras Scripturæ περιοχὰς habet 66
ejus ſcripta ſuppoſititia ſunt 54.55.61
Heroës Tigurini 567
Herologium Iohannis Graſſeri 223
Hieronymo quænam falsò adſcribantur 82.83
Hilarii ſcripta ſuppoſititia quæ 79
Hippolyti ſcripta ſuppoſititia ſunt 73
Hiſpaniæ Rex Helvetiorum amicitiam ambit 509
Hiſtoria Philoſophica, temporis reſpectu conſiderata, vel veteris Teſtamenti eſt, vel novi 146
Hiſtorici Tigurini ante Reformationem 579
Homines à Gentibus Diis immolati ſunt 533.534
Horti juxta Keſſaum octo à Deo creati 34
Huldricum, Reginoburgii Dominum, Tigurini vincunt 566
Huldricus VVagnerus, Suitenſis, bellum Tigurinum deſcripſit 221
Hungariæ Rex Helvetiorum amicitiam ambit 509

I.

Iacobi Mülleri Tigurini fortitudo 567
Iacobi Protevangelium ſuppoſititium eſt 69

Ignatii quænam Epiſtolæ ſuppoſititiæ ſint 72
Imaginum cultus apud veteres Helvetios non uſque adeò frequens fuit 542
tolluntur Tiguri 598
Imperator. Pro eo Helvetii aliquot expeditiones ſuſcipiunt 366
Impetus præceps & immaturus Helvetiis ſæpe detrimentoſus fuit 280
Incendia 286
Indulgentias Pontifex largè offert Helvetiis 514
multas Tigurinis largitur 583
à Samſonio venditarum exemplar 550
earum mercator Samſonius à multis Helvetiis rejectus fuit 548
earum mercatus Helvetiis ut plurimùm diſplicuit 544
Infernales pœnas finem habituras eſſe Origenes à Iudæis hauſit 25
eandem fabulam Muhammedani arripuerunt 26
Iob Phyſicus & Mathematicus fuit 97
Iedocus Sillinius, Epiſcopus Sedunenſis, cur Valleſiâ pulſus 545
Iohannis cap. XII. v. 34 explicatur 17
Iohannes Henricus Svicerus de rebus Helveticis ſcripſit 220
Iohanni Hieroſolymitano quæ falsò tribuantur 82
Iohannes Kriegius de rebus Helveticis ſcripſit 213
Iohannes Stumpfius de rebus Helveticis ſcripſit 216
Iohannes Vitoduranus de rebus Helveticis ſcripſit 212
Iordani Subſilvani fortitudo in bellis Italicis 255
Ioſephi, ben Gorionis, ſcriptum ſuppoſititium 54
Ioſias Simlerus de rebus Helveticis ſcripſit 218
Iovis epitheta 623
eum Helvetii coluerunt 529
Iovis dies unde Germanis Donnerſtag *dicatur* 623
Iſidem Helvetii coluerunt 529
ejus Templum in pago Tigurino fuit ibid.
Iſidori Hiſpalenſis ψευδεπίγραφα 92
Itinerarium Helveticum Graſſeri 223

Iudæorum fabulæ ad Chriſtianos tranſlatæ 13
contra Iudæos Helvetii pugnant 293
Iudaica Philoſophiæ ætates 96
Iunilio quæ falsò adſcribantur 90
Iuramentum, etiam legitimum, Patres quidam damnant 5
Iuſtificationis articulus apud veteres Helvetios non uſque adeò corruptus fuit 543
Iuſtino Martyri quænam ſcripta falsò tribuantur 73
Iuſtitia Helvetiorum celebris eſt 460
ejus Tigurini amantes ſunt 570

K.

Kiburgi Comes ſuperatur 294
Kiburgi Comes hoſtem ſuum, Dominum de Regenſperg fundit 278

L.

Labinarum deſcriptio 236
Lactantii ſcripta ſuppoſititia quæ 76
Lacus in altiſſimis Helvetiæ montibus 240
Lacus Pilati hominum ſuperſtitione celebris eſt 241
Landenberg capitur 295
Landreſii oppidum obſidetur 423
Laniena Tigurina 294.472
Laodicenſes. Epiſtola ad eos Pauli nomine ſcripta ſuppoſititia eſt 69
Lapſus hiſtoricorum circa res Helveticas ex domeſticis annalibus corrigendi ſunt 432
Latina Grammatica in Theologia uſus 139
Laupen. Helvetii hoſtes ibi ſuperant 295
Legationes Helvetiorum fœdus commendant 170
certiſſimi ſunt Reipublicæ liberæ characteres 480
ſi ab abſolutis ad abſolutos mittantur 482
Legati Helvetiorum ſplendidè tractantur 484
Legati qui propriè dicantur 482
qui non dicantur Legati 483
Leges Reipubl. Helveticæ communes vel Eccleſiaſticæ ſunt, vel Politicæ 455
quænam

quænam Eccleſiaſtica ſint 456
quænam Politica ſint 457
Leges militares Stantianæ 45
Leonis I. ſcripta quæ dubia ſint 88
Leopoldus Auſtriacus contra Helvetios exercitum ducit 467
ſed ab iis vincitur 468
Leopoldus IV. ſuperbus, bellum Paganis indicit 468
Lepontini belli deſcriptio 360
Libanus commodè à לבן *derivatur* 240
Libera Provincia à Sigiſmundo Imperatore Tigurinis in perpetuum feudum conceditur 474
Libera Provincia Præfectura 441
Libero arbitrio nimium tribuerunt Patres 15
Doctrina de eo aliquandiu incerta fuit 5
Libertatem Helvetii amant 202
Libertas Tigurinorum 564
Liel, arx, à Lucernenſibus occupatur 294
Liga. A Liga Suevica in Helvetia excitati motus à quibus deſcribantur 227
Limagus Tiguri immane quantum excreſcit 285
Lingua Helvetiorum 234
Lini libri de paſſione Petri & Pauli ſuppoſititii ſunt 70
Liturgiæ Apoſtolorum ſuppoſititia ſunt 69
Locarnenſis Præfectura 441
Locuſtarum turmæ 285.286
Logica indignè tractata 100.101
ejus in Theologia uſus 140
qui eum oſtenderint 145
quomodo in rebus Theologicis officii limites tranſiliat 120
cur ſæpe à veteribus reprehenſa ibid.
ejus abuſus eſt, cùm ætas in terminorum explicatione teritur, uſus non monſtratur 121
eam quidam rejiciunt 108
Lombardicas expeditiones qui deſcripſerint 227
Lotharingus Helvetiorum amicitiam ambit 5[illegible]

Lau-

Lüwinen *quid in alpibus* 236
Lucernarum accenſio de die à Gentilibus orta eſt 17
Lucernenſes quo ordine in fœdus Helveticum venerint 437
qui ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 221
arces Liel, Vrnach & Baldegg capiunt 294
Lucii clivus à Rhætis expugnatur 347
Ludovico, Galliarum Regi, anno 1480. *Helvetii militem mittunt* 415
Ludovicus, Aureliæ Dux, in Italia Helvetios in ſuo exercitu habet 417
Ludovicus, Inſubrum Dux, Helveticum militem, contra Magiſtratuum edicta, conſcribit 479
Luganenſis Præfectura 441

M.

Machiavelliſtæ reprehenduntur 122
Malſa. In Malſa campis Auſtriaci ab Helvetiis caduntur 348
Maneſſ:i fortitudo in pugna Tervvilana 254
Marcion venenum haurit à Platone 112
Mariæ falsò ſcripta quædam tribuuntur 68
Marignana cladis deſcriptio 261.383
Marganum. Prælii ad Marganum deſcriptio 290
Martialis, unius ex LXX. diſcipulis, ſcripta ſuppoſititia ſunt 71
Mathematica in Theologia uſus 142
quomodo officii ſui limites tranſiliat 123
Matthias, Hungariæ Rex, facti ſui rationem Helvetiis reddit 171.472
ejus ad Helvetios epiſtola 171
Maximilianus Imperator ab Helvetiis militem petit 479
contra Rhætos exercitum ducit 470
ab Helvetiis cæditur ibid.
Maximo Taurinenſi quæ falsò tribuantur 89
Mediana Præfectura 441
Medicæus infeliciter in Ducatu Mediolanenſi pugnat 422

Medicos Tigurum ante Reformationem habet 579
Mediolanenſem Ducatum Helvetii brevi tempore co-gunt 288
Mediolanenſis Dux Helvetiorum amicitiam ambit 509
idem Helvetios Patres vocat 527
pro eo Helvetii aliquot expeditiones ſuſcipiunt 366
Mediolanenſe prælium 266
Mediolanenſia prælia à quibus deſcripta 227
Melitonis Sardenſis ſcripta ſuppoſititia ſunt 73
Melingam Tigurini occupant 474
Mendriſii Præfectura 441
Mercurii Triſmegiſti ſcripta ſuppoſititia ſunt 54
Meſſiam non moriturum putabant Iudæi 18
ejus regnum quale futurum ſit tres Iudæorum ſen-tentiæ 19.20
Metaphyſica in Theologia uſus 141
eum qui oſtenderint 146
ea maximè officii ſui limites tranſlit in rebus Theolo-gicis 123
Μετεμψύχωσις ex Pythagora ſchola deſumta eſt 155
Methodi; qui libri ſuppoſititii ſint 76
Methodus tractandi hiſtorias Helveticas ſpecialis 557
Michaël Stettlerus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Militaris diſciplina inter Helvetios 191
Militares leges Stantianæ 458
Militia Helvetios claros reddidit 243
privata ab Helvetiis interdicta 457
mercenariam Magiſtratus Helveticus reprimit 609
mercenariæ militiæ ſe Zvinglius oppoſuit 602. *alii ante eum* 606.607
eam contra Magiſtratus decreta ſequentes graviter puniuntur 613
cur graviter puniti fuerint, aliquot cauſſæ 613.&c.
ob militiam mercenariam tumultus in Helvetia ori-tur 620
Mirabilia Helvetiorum 242
Miſſæ Apoſtolicæ ſuppoſititiæ ſunt 69
Miſſa Tiguri abrogatur 598.599

Mona-

Monachatus. De Monachatu Helvetico varia ante Reformationem querela 547
Monachi Bernenſes plectuntur 545
Monachorum diſſolutam vitam veteres Helvetii perſtrinxerunt 542
Monbrunius Helvetios cadit 424
Mons Vtliatus ſtrategemate occupatur 248
Monetam cudere magnum privilegium eſt 563
Moratum Carolus Burgundus obſidet 317
Morbus Gallicus unde in Germaniam & Helvetiam illatus 416
Morengartenſis prælii deſcriptio ex Vrſpergenſi, Ioh. Vitodurano, & Gerardo de Roo 292. &c.
eo prælio feliciter commiſſo, trium Helvetiæ civitatum fœdus initium ſumit 160
qui in eo prælio præcipuè caſi fuerint 428
in eo Helvetiorum victoria 295
Moriones Dominorum ſuorum contra Helvetios conſilia ſæpe improbârunt 277. 278
Moſes optimus Philoſophus 97
Motelini occaſione itinera redduntur infeſta 458
Motini fortitudo in bellis Italicis 255
Mülhuſium quando in fœdus Helveticum receptum 440
Mulieres armis indutæ Tigurum obſidione liberant 249
Mülleri Tigurini fortitudo 567
Müllneri Tigurini fortitudo in bello cum Regenſpurgenſi 254

N.

Nazianzeno quænam ſcripta falsò tribuantur 81
Navalia. Pugna ibi commiſſa deſcribitur 303
Neapolis à Gallis & Helvetiis infeliciter obſidetur 423
Neapolitanæ pugnæ character 282
Nehenfels. Helvetii ibi victores ſunt 295
Neocomenſes cum quibus Cantonibus fœdus habeant 440
Nobiles Helvetii ab ipſa Nobilitate maximam cladem paſſi ſunt 216

eos non indignè tractârunt Helvetii, ſed ab ipſis injuſtè tractati, ſe ulti ſunt 215
multi in Helvetia ad Reipubl. gubernacula ſedent ibid.
Nomina perſonarum & urbium Helveticarum vitiosè ab exteris Scriptoribus ſæpe ponuntur 431
Nomina perſonarum, in hiſtoriis Helveticis ſi deſint, Lector addet: ſi vitiosè ſcripta ſint, corriget: ſi præter fidem ponantur, alia ex domeſticis annalibus reponet 428
Nominales 369.370
Novarenæ cladis deſcriptio 288
ejus character 282
Nuptias ſecundas quidam damnârunt 5
Nyſſeno quæ ſcripta falsò tribuantur 81

O.

Oecumenio quæ ſcripta falsò tribuantur 92
Ὁμοούσιον. *Cur doctrinam de* ὁμοουσίῳ *Ariani rejecerint* 133
Optati Milevitani ſcripta ſuppoſititia quæ 79
Origenis quæ ſcripta ſint ſuppoſititia 79
multa erronea ab Ethnicis hauſit 112
Oſvvaldus Molitor de rebus Helveticis ſcripſit 221

P.

Pacis Helvetii in bello inter ſe ſtudioſi ſunt 273
Pagi Helvetiæ quot 204
Palæſtinam expeditionem Pontifices & Concilia Helvetiis ſignificant 477
Papæ πολυπραγμοσύνην, *ſimoniam, fraudes, tyrannidem, veteres Helvetii perſtringunt* 542
Vide etiam, Pontifex.
Paradiſus notat 1. *quodlibet pomarium.* 2. *ſedem beatorum.* 3. *hortum, de quo Moſes Geneſ. cap.* 2. *verſ.* 8. 30. &c.
Paralleliſmus inter veteres & intermedios Helvetios diligenter obſervandus 287
Paſſionis liber ſuppoſititius eſt 69

Paſtor

Paſtor ſuppoſititius eſt liber 70
Patrum abuſus 1. &c.
eorum ſcripta ad unguem eſſe obſervanda, quidam Pontificii docuerunt 2
alii omnes ſimul ſumtos pari cum Scriptura authoritatis gradu ambulare docent 2.3
hæ ſententiæ refutantur, quia repugnant 1. Verbo Dei, 3. 2. *Patribus ipſis*, p. 3. 3. *ſanæ rationi, ſive unanimem eorum conſenſum ſpectes*, p. 4. *ſive ſingulorum autoritatem, quia* a. *ipſi Patres in nullius verba jurare voluerunt*, 4. b. *in ſingulis Patribus obſervantur errores*, 4.5. *iiq; vel communes, vel proprii*, 5.6. 4 *Ipſis Pontificiis diſplicet* 6
poſt converſionem ſuam multa ex Gentiliſmo retinuerunt 13
ſæpe Gentilium teſtimoniis utuntur ad probanda dogmata Chriſtiana 116
illis multa falsò tribuuntur ſcripta 69.70
à Pontificiis ſæpius rejiciuntur 42
à Pontificiis ſæpe contemnuntur 8
ab iis Pontificii ad Scripturam provocant 10
illos Pontificii ſubjiciunt Pontifici 11
autographa Pontificii accuſant ibid.
vel apographa, ibid. *vel exemplarium varietatem*, ibid. & 12.
eorum ſuppoſititiis ſcriptis Pontificii abutuntur 36
Pauli epiſtola ad Laodicenſes ſuppoſititia eſt 69
ejuſdem epiſtolæ ad Senecam ſuppoſititiæ ſunt ibid.
Peditatu Helvetii maximè valent 244
Penſiones privatæ à Pontifice, & ab aliis dantur Helvetiis 613
prohibitæ ſunt ibid.
Peripatetica Philoſophiæ hiſtoria 99
ejus autor Ariſtoteles 152
qui eam ſub initium Chriſtianiſmi excoluerint 155
Perſonarum nomina, quæ prælis interfuerunt, ex annalibus domeſticis ſæpe addenda, corrigenda, vel aliæ ſubſtituendæ 428

Peſtis 286
Petri acta & Apocalypſis libri ſuppoſititii ſunt 69
Pfaffenbrief 456
Phariſai in multis Stoicam Philoſophiam ſecuti ſunt 153
Philippi Presbyteri ψαλτηριγραφα 91
Philonis Carpathii ſuppoſititia 79
Philoſophia hiſtorica ſpecimen 93
vox Philoſophia Graca eſt ibid.
Rabbini & Arabes hanc vocem retinent ibid.
in ejus etymologia Rabbini inepti ſunt ibid.
hiſtorica Philoſophia quid 95
Philoſophia hiſtorica conſideratur vel ratione cultorum, vel cultura, vel temporis 96
cultorum reſpectu, alia eſt Iudaorum, alia Gentilium, alia Chriſtianorum, alia Saracenorum 96
Philoſophia Iudaica atates, 1. ab Adamo ad Moſen, 96. 2. à Moſe ad captivitatem Babylonicam, 97. 3. à captivitate Babylonica ad migrationem Romanam, ibid. *4. à devaſtatione Templi ſecundi, ad duodecimum poſt Chriſtum natum ſeculum,* ibid. *5. à duodecimo ſeculo ad noſtra tempora,* 97. 98
Philoſophia Gentilium varia eſt ratio. Studiorum reſpectu ſunt Academici, Peripatetici, Stoici & Cynici,
Ratione temporis, alii veteres ſunt, alii novi 98
Philoſophorum reſpectu ſunt Platonici, Pythagorici, Epicurai & Stoici 98
Philoſophia Chriſtianorum maximè ex Platonica, Pythagorica & Peripatetica deſumta eſt ibid.
Philoſophiam Platonicam multi Patres ſequuti ſunt 98
etiam quidam Majorum noſtrorum atate 99
Philoſophia Pythagorica ſtatim evanuit 99
Philoſophia Peripatetica inculta jacet ibid.
ejus varii articuli 99. 100
Philoſophia Saracenorum hiſtoria 101
Philoſophia cultura reſpectu dividitur in Exulantem, Superbientem, & Ancillantem 102
Exulans *quid?* ibid. *ita dicitur, quia rejecta à Gentilibus*

libus, Iudæis, Muhammedanis, Chriſtianis, 103. 104. *&c.* Superbiens *eſt, quæ Theologiæ inſultat,* 111. *id quod in genere factum*

1. ab Ethnicis & à Chriſtianis, qui ſalutem in Philoſophia quæſiverunt, ibid.

2. ab iis, qui ex Gentiliſmo egreſſi, ſua in Chriſtianiſmum deliria intulerunt 111

3. ab iis, qui Concionum, diſputationum, & orationum fundamentum in Philoſophia quæſiverunt, 112

4. quando dogmata falſa per ſe, ex Philoſophia, ſeu Gentiliſmo inferuntur, & tanquam vera & certa in Theologia defenduntur 114

5. Cùm axiomata per ſe vera in Philoſophia, philoſophicè, blaſphemè rebus divinis applicantur 115

6. Cùm ea vindicantur Philoſophis, quæ aut eorum non ſunt, aut alio ſaltem ab iis ſenſu dicta ibid.

7. Cùm ex veris principiis inferuntur falſæ concluſiones 116

8. Cùm axiomata & principia Philoſophica periculosè rebus divinis applicantur ibid.

9. Si Philoſophia cum Theologia confunditur ibid.

Philoſophiæ ancillantis *abuſus in ſpecie eſt, cùm limites tranſilit Grammatica.* 117. *Logica,* 120. *Ethica,* 122 *Politica,* ibid. *Phyſica,* 123. *Mathematica,* ibid. *Metaphyſica* ibid.

Philoſophia ancillans *quid* 125

Philoſophia in genere Theologiæ multifariam ancillatur: eſt enim,

1. *προπαιδεία ad altiora* 125

2. *eſt cos, acuens ingenium hominis* 128

3. *præbet teſtimonium conſenſus in iis, quæ lumine quidem naturæ nota ſunt, ſed certius ex Scriptura habentur* ibid.

4. *Theologiæ inſervit in elencho contra Hæreticos* 129

5. *Eſt medium Gentilium partim convincendorum, partim convertendorum* ibid.

ubi quædam obſervanda, 129. 130. 131

6. *inſervit Theologiæ in tractatione quæſtionum mix-*

rarum

Philoſophia ancillans in ſpecie Theologiæ utilis eſt, reſpectu Grammaticæ, 138. Logicæ, 140. Rhetoricæ, 141. Ethicæ, ibid. Phyſicæ, ibid. Metaphyſicæ, ibid. Mathematicæ, 142

Philoſophiæ ambitu quid comprehendatur 94
- neglecta & proſcripta fuit à Gentilibus & Iudæis, 103
- à Muhammedanis, 103.104
- à Chriſtianis 106.107
- eam quidam rejiciunt, quòd ſit Ethnicorum inventum 107.108
- in ea ſalutem quæſiverunt Ethnici & Chriſtiani 111
- quis inter Arabes eam primus excitaverit 103
- ejus ſobrium uſum agnoverunt Patres 128
- eam ex Ethnicorum libris petere licet 135
- an inter Philoſophiam & Theologiam ſit pugna 137
- ejus verum uſum multi reſtitutum petunt 142
- cum Theologia confunditur 116
- eam eſſe organum, quo diſcernatur verum à falſo, conſequens ab inconſequente, negant Pontificii, & alii 132.133
- ei ea ſæpe vindicantur, quæ ejus non ſunt, vel alio ſenſu dicta 115
- ejus Profeſſores ſub Gentiliſmo Aventici fuerunt 536.537

Philoſophus primus dici voluit Pythagoras 94

Philoſophorum veterum vitas, dogmata & mores Arabes enarrant 95

Philoſophis gentilibus multa tribuuntur, quæ eorum non ſunt 115
- ſæpe non fuerunt tuti 110
- cur in eos multi Patres invecti 112

Phocylides multa ex Scriptura ſacra habet 66
- ejus ſcripta ſuppoſititia ſunt 57.58.61.115

Photiniani conſequentias ex S.Scriptura deductas non admittunt 133

Phyſica in Theologia uſus 141
- qui eam oſtenderint 146

quo-

quomodo officii ſui limites tranſiliat 123
Piccardia. Rex Galliæ cum Confœderatorum exercitu Cæſaris irruptiones in Piccardia avertit 424
Pilati lacus 241
Piſanum Concilium ad Helvetios ſcribit de expeditione Palæſtina 477
Platonica Philoſophia unde ſic vocata, & qualis fuerit 150
magni facta à Chriſtianis 98
non Gentibus tantùm, ſed etiam Iudæis Helleniſtis curæ fuit 153
Plovilla. Helvetii Gallum in pugna ad Plovillam feliciter juvant 424
Poëta Tiguri ante Reformationem 579
Politica abuſus in Theologia 122
Polycarpi epiſtola an γνήσιος ſit 72
Pontifices Helvetiorum amicitiam ambiunt 514
fœderis cum Helvetiis continuationem urgent ibid.
pro Pontifice Romano Helvetii aliquot expeditiones ſuſcipiunt 366
Pontifex Helvetios vocat defenſores Eccleſiæ & libertatis Eccleſiaſticæ 514
Helvetii ſæpe ejus autoritate rejecta Imperatorum partes ſequuntur 555
ei Helvetiorum fœdus cum Rege Galliæ diſplicet 497
largè ſuas Helvetiis offert Indulgentias 514. *alia dona*, 526: *eum Helvetii ante Reformationem non ſemel officii monuerunt* 548
Pontificii ſæpe Patres rejiciunt 42
Præda, ante planè partam victoriam inhiare, Helvetiis detrimentoſum fuit 280
eandem, ante planè partam victoriam ſpernère, iis maximo commodo fuit 279
Præfectura Helvetiorum quæ 436
eæ vel transalpinæ ſunt, vel intra limites Helvetiæ 440
Italica Præfectura ibid.
Præliorum & bellorum Helvetiorum, Confœderatorum maxi-

maximè,catalogus 293
in præliis maxima ad Helvetios commoda unde redierint 279
unde incommoda 280
omnia Helvetiorum prælia peculiari quodam inſigniuntur charactere 282
Prælii ad Marganum deſcriptio 290
Vide etiam, Bellum.
פרדס *notat 1.quodlibet pomarium,30. 2.ſedem beatorum,30.31. 3. hortum, cujus Moſes meminit,Geneſ. cap.II.v.8.* 35
Precibus Helvetii prælia incipiebant 255
Primaſio quæ ſcripta falsò tribuantur 90
Principium Religionis Chriſtianæ an ſit ratio humana 132
Principiis rationis in argumentis Theologicis uti licet 133.134
Privilegia Helvetiorum 170
urbis Tigurinæ 563
Prochoro falsò tribuitur hiſtoria de vita Iohannis 70
Prodigia varia in Helvetia 622
Prodigia magnorum conatuum & præliorum omnina Helvetii habent 284
Prometheus quis fuerit 96
Proſpero quæ ſcripta falsò tribuantur 87
Protevangelium Iohannis ſuppoſititium eſt 69
Prudentio quæ ſcripta falsò tribuantur 82
Ψυχοπαννυχίαν Anabaptiſtæ ab Arabibus habent 115
Purgatorium ex Gentilium libris extructum eſt 16.115
Pythagoras primus Philoſophus appellari voluit 94
Pythagorica Philoſophia à quo ſic denominata,& qualis fuerit 147.evaneſcit,99.
Pythagoricis proximè acceſſerunt Eſſæi 155

Q.

Quæſtiones mixtæ quæ 131

R.

Ranuccius,Comes Scottus,de rebus Helvet. ſcripſit 224
Ra-

Raperſuilam Tigurini obſident 259
Rapertus Poëta, Monachus Sangallenſis 579
Ratio humana an ſit principium Religionis Chriſtianæ 132
Reales 100
Recognitiones Clementis ſuppoſititiæ ſunt 70
Reformationis cupidos Helvetii ſemper amplexi ſunt 543
Reformatio Tigurina eſt facinus heroicum 590
quomodo tentata & finita 592
Regenberg, arx, capitur & deſtruitur 295
Regenſperg capitur & deſtruitur 294
ejus Dominum vincunt Helvetii ibid
Reguſci Præfectura 441
Religio Helvetiorum in Gentiliſmo qualis fuerit 528
Helvetii ad Gallorum ſuperſtitionem maximè acceſſerunt 528. 529
ſub Chriſtianiſmo quæ fuerit 538
quando primùm Religionem Chriſtianam amplexi ſint; variæ ſunt ſententiæ 539
Remigio quæ ſcripta falsò tribuantur 90
Reſpublica Helvetica libera eſt 480
diſtinguitur in Cantones, Socios, & Præfecturas 436
ei vel in peragendis, vel peractis rebus arduis multum tributum 472
Vide etiam, Helvetica reſpublica.
Retributionis tempora tria eſſe tradunt Rabbini 20
Reuſtii fortitudo in bello Burgundico 255
primus ſatellitii Pontificii Capitaneus, domum vocatur 609
Rhæti Helvetiorum Confœderati quando facti ſint 439
Gauſſierium in Inſubriam ſequuntur 422
Rhaticas res Gulerus & Sprecherus deſcripſerunt 223. 224
Rhenus. De ejus catarrhactis 242
Rhetorica in Theologia uſus 141
eum qui oſtenderint 145
Richardi Hochburgi hiſtoria 461

Ritus Gentilium in Religionem Chriſtianam introducti 16
Rivulus, ſanguine fluens, Leopoldi prælium prædicit 284
Rodolphus Simlerus de rebus Helveticis ſcripſit 219
Romani Helvetios cædunt 289
contra eos Helvetii pugnant 293
Roſaci Cœnobium ædificatum fuiſſe, ægrè ferunt Sangallenſes 365
Roſpach, prope Meilam, ſtrategemate capitur 250
Rotevilla acceſſit ad fœdus Helveticum, & ab eo rurſus diſceſſit 440
Rotzbergum, Silvaniæ arx, aſtu capitur 251
Rotzii fortitudo in bello Suevico 254
רואקין *qui* 152
Ruffino quæ ſcripta falsò tribuantur 84
Rupertus Palatinus, Bavarum oppugnaturus, militem Helvetium petit 479
Ryſig, Suitenſis, fortitudo in prælio Bilitionenſi 254

S.

Sabaudiæ duces Helvetiorum amicitiam ambiunt 512
Sacerdotum hiſtrionicas declamationes veteres Helvetii perſtrinxerunt 542
Sadducæi multa ex Epicuræorum lacunis hauſerunt 155
Salutem Ethnici in Philoſophia quæſiverunt 111
Sanſonius, Indulgentiarum præco, paucos apud Helvetios mercatores invenit 548
Sangallenſis Abbas quos Cantones defenſores, & quomodo conſtituerit 439
Sangallenſis urbs quos ex Cantonibus defenſores conſtituerit ibid.
Sangallenſe bellum poſterius 365
Sangallenſium rerum deſcriptionem Vadianus promiſit 557
Sapientes Gallorum Bardi, Vates & Druidæ dicti 534
Saracenorum Philoſophia hiſtorica 101
contra eos Helvetii militant 293
Sarna, arx Silvaniæ, aſtu capitur 251. 295

Sarunegaunenſis Præfectura 441
Sattel. *Victoria in illo loco reportata* 295
Schafhuſia quando in fœdus Helveticum recepta 438
Schafhuſiani à Sigismundo, Auſtriæ Archiduce, bello tentantur, & cur 345.474
Schola Tigurina multos dedit viros doctiſſimos 580
Scholarcham ſcholæ Tigurinæ à multis jam ſeculis habet 576
Scholaſticæ leges ſcholæ Tigurinæ ante Reformationem 577
Scholaſtica Philoſophia naſcitur 100
Scholaſticæ Theologiæ quis locus concedendus 124
Scholaſtici Philoſophiam cum Theologia confundunt 116
Schönenberg *capitur & deſtruitur* 295
Schuleri, Glaronenſis, fortitudo in bello Suevico 254
Schwaderloch. Helvetii ibi vincuntur & vincunt 296.348
Schwanau capitur 295
Scripturæ ſimplicitate multi offenduntur 119.120
Sebaſtianus Munſterus Helvetici fœderis origines deſcribit 222
Sebaſtianus Veronius de rebus Helveticis ſcripſit 223
Sempachianæ pugnæ deſcriptio 304
in illa pugna cæſorum aliquot nomina 429
victoria Sempachiana 295
ejus belli omina 286
Senatum eligendi jus quando Tigurum acceperit 563
Seneca Chriſtianus fuit 155
ejus ad Paulum epiſtolæ ſuppoſititiæ ſunt 69
Sibyllarum nomen unde 58
numero decem ſunt 58
de iis varia judicia 59.60
quæ iis vaticinia adſcribantur 63.64
eorum ſcripta ſuppoſititia ſunt 115
Siccitas magna 286
Sigiſmundus, Auſtriæ Dux, ab Helvetiis militem petit 479

quæ Helvetii contra Sigiſmundum, Auſtriæ Archiducem, bella geſſerint 345
Sigiſmundus Imperator in Concilio Conſtantienſi Helvetiorem opem implorat 473
Simulacrorum ſtructura à Gentilibus eſt 16
Situs Helvetiæ 234
Socii Helvetiorum qui 436
Solodurenſes quando in fœdus Helveticum recepti 438
ex Solodurenſibus Diepold Schilling de rebus Helveticis ſcripſit 223
Solomon magnus Philoſophus fuit 97
Spracherus de Rhætia ſcripſit 224
Stantianæ leges militares 458
Stantianum decretum 446
Stapferi fortitudo in bello Suevico 254
Steineri, Tugini, fortitudo in bello eodem ibid.
Stettlerus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Stoica Philoſophia unde ſic vocata, & qualis fuerit 148
eam Phariſæi in multis ſequebantur 153
Stoicos oppugnat Paulus 156
Strategematibus Helvetii felices 248
Stuckii fortitudo in pugna Tetvvilana 254
Studia literarum apud Helvetios in Gentiliſmo quæ fuerint 534
Sueci origine Suizeri ſunt 204
Suevicum bellum. In eo Helvetii Maximiliani exercitum aliquoties vincunt 470.471
Suevici belli deſcriptio 346.348.
ejus pugna ordine deſcribuntur 470
decretum pro ſuffragiis & ſolennitatibus pro iis, qui ex Tigurinis in eo bello occubuerunt 430
Suizeri unde ſic dicantur variæ ſententiæ 205,206.207
ab exteris vulgò à Suitia vocantut 204
origine Sueci ſunt 204
Suppoſititia ſcripta vel profana ſunt, vel ſacra 53
profana vel Iudæorum ſunt, vel Gentilium ibid.
Gentilium ſunt vel Chaldæorum, vel Ægyptiorum, vel Græcorum, vel Latinorum 54

ſacra Patriarchis attributa,67. *Prophetis*,68. *Chriſto*,ibid. *Mariæ*,ib. *Apoſtolis*,68. 69. *Patribus*, 69. 70.
eorum Catalogus 37
Surſea capitur 474
Synodi Tiguri duæ celebrantur 596

T.

Tarrenſis pugna, cui Helvetii interfuerunt 416
Terramotus 286
Tertulliani quæ ſcripta ſuppoſititia ſint 73.74
Tetvvilana pugna deſcriptio 302
in ea Helvetiorum victoria 295
in ea Tigurini parva manu magnas copias fundunt 565
in ea aliquot caſorum nomina 429
Theodoreti quænam dubia ſint fidei opera 88
Theodorus Bibliander de rebus Helveticis ſcripſit 216
Theodoſii caſtra contra Eugenium Helvetii ſequuntur 293
Theoduli hiſtoria ipſis Pontificiis ſuſpecta eſt 541
Theologiæ ſcholaſticæ quis locus concedendus 124
Thermæ in Helvetia 240
Thomæ Aquinati quædam falsò tribuuntur ſcripta 92
Tigurum. Beneficia Dei in hanc urbem,561. *ejus antiquitas* ibid.
placuit Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebuspublicis 562
ejus privilegia 562.563
quando, & à quibus Evangelium primùm acceperit 581
quando jus eligendi Senatum acceperit 563
à Duce Alberto ter obſeſſum, toties quoque à Deo liberatur 295
ibi Synodi convocantur 596
imagines tolluntur, & Miſſa abrogatur 598.599
Tigurini ſuos ante Reformationem habuerunt Hiſtoricos, Medicos & Aſtrologos 597
quinam ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 212

eos non indignè tractârunt Helvetii, ſed ab ipſis injuſtè tractati, ſe ulti ſunt 215
multi in Helvetia ad Reipubl. gubernacula ſedent ibid.
Nomina perſonarum & urbium Helveticarum vitioſè ab exteris Scriptoribus ſæpe ponuntur 431
Nomina perſonarum, in hiſtoriis Helveticis ſi deſint, Lector addet: ſi vitioſè ſcripta ſint, corriget: ſi præter fidem ponantur, alia ex domeſticis annalibus reponet 428
Nominales 369.370
Novarenæ cladis deſcriptio 288
ejus character 282
Nuptias ſecundas quidam damnârunt 5
Nyſſeno quæ ſcripta falsò tribuantur 81

O.

Oecumenio quæ ſcripta falsò tribuantur 92
Ὁμοόσιον. Cur doctrinam de ὁμοϑσίῳ Ariani rejecerint 133
Optati Milevitani ſcripta ſuppoſititia quæ 79
Origenis quæ ſcripta ſint ſuppoſititia 79
multa erronea ab Ethnicis hauſit 112
Oſvvaldus Molitor de rebus Helveticis ſcripſit 221

P.

Pacis Helvetii in bello inter ſe ſtudioſi ſunt 273
Pagi Helvetiæ quot 204
Palæſtinam expeditionem Pontifices & Concilia Helvetiis ſignificant 477
Papæ πολυπραγμοσύνην, ſimoniam, fraudes, tyrannidem, veteres Helvetii perſtringunt 542
Vide etiam, Pontifex.
Paradiſus notat 1. quodlibet pomarium. 2. ſedem beatorum. 3. hortum, de quo Moſes Geneſ. cap. 2. verſ. 8. 30. &c.
Paralleliſmus inter veteres & intermedios Helvetios diligenter obſervandus 287
Paſſionis liber ſuppoſititius eſt 69

Paſtor

Paſtor ſuppoſititius eſt liber 70
Patrum abuſus 1. &c.
eorum ſcripta ad unguem eſſe obſervanda, quidam Pontificii docuerunt 2
alii omnes ſimul ſumtos pari cum Scriptura authoritatis gradu ambulare docent 2. 3
hæ ſententiæ refutantur, quia repugnant 1. Verbo Dei, 3. *2. Patribus ipſis, p.* 3. *3. ſanæ rationi, ſive unanimem eorum conſenſum ſpectes, p.* 4. *ſive ſingulorum autoritatem, quia a. ipſi Patres in nullius verba jurare voluerunt,* 4. *b. in ſingulis Patribus obſervantur errores,* 4. 5. *iiq; vel communes, vel proprii,* 5. 6. *4. Ipſis Pontificiis diſplicet* 6
poſt converſionem ſuam multa ex Gentiliſmo retinuerunt 13
ſæpe Gentilium teſtimoniis utuntur ad probanda dogmata Chriſtiana 116
illis multa falſò tribuuntur ſcripta 69. 70
à Pontificiis ſæpius rejiciuntur 42
à Pontificiis ſæpe contemnuntur 8
ab iis Pontificii ad Scripturam provocant 10
illos Pontificii ſubjiciunt Pontifici 11
autographa Pontificii accuſant ibid.
vel apographa, ibid. *vel exemplarium varietatem,* ibid. & 12.
eorum ſuppoſititiis ſcriptis Pontificii abutuntur 36
Pauli epiſtola ad Laodicenſes ſuppoſititia eſt 69
ejuſdem epiſtolæ ad Senecam ſuppoſititiæ ſunt ibid.
Peditatu Helvetii maximè valent 244
Penſiones privatæ à Pontifice, & ab aliis dantur Helvetiis 613
prohibitæ ſunt ibid.
Peripateticæ Philoſophiæ hiſtoria 99
ejus autor Ariſtoteles 152
qui eam ſub initium Chriſtianiſmi excoluerint 155
Perſonarum nomina, quæ præliis interfuerunt, ex annalibus domeſticis ſæpe addenda, corrigenda, vel alia ſubſtituenda 428

Peſtis 286
Petri acta & Apocalypſis libri ſuppoſititii ſunt 69
Pfaffenbrief 456
Phariſai in multis Stoicam Philoſophiam ſecuti ſunt 153
Philippi Presbyteri ψευδεπίγραφα 91
Philonis Carpathii ſuppoſititia 79
Philoſophia hiſtorica ſpecimen 93
vox Philoſophia Græca eſt ibid.
Rabbini & Arabes hanc vocem retinent ibid.
in ejus etymologia Rabbini inepti ſunt ibid.
hiſtorica Philoſophia quid 95
Philoſophia hiſtorica conſideratur vel ratione cultorum, vel cultura, vel temporis 96
cultorum reſpectu, alia eſt Iudæorum, alia Gentilium, alia Chriſtianorum, alia Saracenorum 96
Philoſophia Iudaica ætates, 1. *ab Adamo ad Moſen,* 96. 2. *à Moſe ad captivitatem Babylonicam,* 97. 3. *à captivitate Babylonica ad migrationem Romanam,* ibid. 4. *à. devaſtatione Templi ſecundi, ad duodecimum poſt Chriſtum natum ſeculum,* ibid. 5. *à duodecimo ſeculo ad noſtra tempora,* 97. 98
Philoſophia Gentilium varia eſt ratio. Studiorum reſpectu ſunt Academici, Peripatetici, Stoici & Cynici,
Ratione temporis, alii veteres ſunt, alii novi 98
Philoſophorum reſpectu ſunt Platonici, Pythagorici, Epicuræi & Stoici 98
Philoſophia Chriſtianorum maximè ex Platonica, Pythagorica & Peripatetica deſumta eſt ibid.
Philoſophiam Platonicam multi Patres ſequuti ſunt 98
etiam quidam Majorum noſtrorum ætate 99
Philoſophia Pythagorica ſtatim evanuit 99
Philoſophia Peripatetica inculta jacet ibid.
ejus varii articuli 99. 100
Philoſophia Saracenorum hiſtoria 101
Philoſophia cultura reſpectu dividitur in Exulantem, Superbientem, & Ancillantem 102
Exulans *quid?* ibid. *ita dicitur, quia rejecta à Gentilibus*

tibus, Iudæis, Muhammedanis, Chriſtianis, 103. 104. &c. Superbiens *eſt, quæ Theologiæ inſultat,* 111. *id quod in genere factum*

1. *ab Ethnicis & à Chriſtianis, qui ſalutem in Philoſophia quæſiverunt,* ibid.

2. *ab iis, qui ex Gentiliſmo egreſſi, ſua in Chriſtianiſmum deliria intulerunt* 111

3. *ab iis, qui Concionum, diſputationum, & orationum fundamentum in Philoſophia quæſiverunt,* 112

4. *quando dogmata falſa per ſe, ex Philoſophia, ſeu Gentiliſmo inferuntur, & tanquam vera & certa in Theologia defenduntur* 114

5. *Cùm axiomata per ſe vera in Philoſophia, philoſophicè, blaſphemè rebus divinis applicantur* 115

6. *Cùm ea vindicantur Philoſophis, quæ aut eorum non ſunt, aut alio ſaltem ab iis ſenſu dicta* ibid.

7. *Cùm ex veris principiis inferuntur falſa concluſiones* 116

8. *Cùm axiomata & principia Philoſophica periculosè rebus divinis applicantur* ibid.

9. *Si Philoſophia cum Theologia confunditur* ibid.

Philoſophia ancillantis *abuſus in ſpecie eſt, cùm limites tranſilit Grammatica,* 117. *Logica,* 120. *Ethica,* 122 *Politica,* ibid. *Phyſica,* 123. *Mathematica,* ibid. *Metaphyſica* ibid.

Philoſophia ancillans *quid* 125

Philoſophia in genere Theologiæ multifariam ancillatur: eſt enim,

1. *προπαιδεία ad altiora* 125

2. *eſt cos, acuens ingenium hominis* 128

3. *præbet teſtimonium conſenſus in iis, quæ lumine quidem naturæ nota ſunt, ſed certius ex Scriptura habentur* ibid.

4. *Theologiæ inſervit in elencho contra Hæreticos* 129

5. *Eſt medium Gentilium partim convincendorum, partim convertendorum* ibid.

ubi quædam obſervanda, 129. 130. 131

6. *inſervit Theologiæ in tractatione quæſtionum mix-*

 tarum

rarum 131
Philoſophia antillans in ſpecie Theologia utilis eſt, reſpectu Grammaticæ, 138. Logicæ, 140. Rhetoricæ, 141. Ethicæ, ibid. Phyſicæ, ibid. Metaphyſicæ, ibid. Mathematicæ, 142
Philoſophiæ ambitu quid comprehendatur 94
neglecta & proſcripta fuit à Gentilibus & Iudæis, 103
à Muhammedanis, 103.104
à Chriſtianis 106.107
eam quidam rejiciunt, quòd ſit Ethnicorum inventum 107.108
in ea ſalutem quæſiverunt Ethnici & Chriſtiani 111
quis inter Arabes eam primus excitaverit 103
ejus ſobrium uſum agnoverunt Patres 128
eam ex Ethnicorum libris petere licet 135
an inter Philoſophiam & Theologiam ſit pugna 137
ejus verum uſum multi reſtitutum petunt 142
cum Theologia confunditur 116
eam eſſe organum, quo diſcernatur verum à falſo, conſequens ab inconſequente, negant Pontificii, & alii 132.133
ei ea ſæpe vindicantur, quæ ejus non ſunt, vel alio ſenſu dicta 115
ejus Profeſſores ſub Gentiliſmo Aventici fuerunt 536.537

Philoſophus primus dici voluit Pythagoras 94
Philoſophorum veterum vitas, dogmata & mores Arabes enarrant 95
Philoſophis gentilibus multa tribuuntur, quæ eorum non ſunt 115
ſæpe non fuerunt tuti 110
cur in eos multi Patres invecti 112
Phocylides multa ex Scriptura ſacra habet 66
ejus ſcripta ſuppoſititia ſunt 57.58.61.115
Photiniani conſequentias ex S. Scriptura deductas non admittunt 133
Phyſicæ in Theologia uſus 141
qui eam oſtenderint 146

quo-

quomodo officii ſui limites tranſiliat 123

Piccardia. Rex Galliæ cum Confœderatorum exercitu Cæſaris irruptiones in Piccardia avertit 424

Pilati lacus 241

Piſanum Concilium ad Helvetios ſcribit de expeditione Palaſtina 477

Platonica Philoſophia unde ſic vocata, & qualis fuerit 150

magni facta à Chriſtianis 98

non Gentibus tantùm, ſed etiam Iudæis Helleniſtis curæ fuit 153

Plovilla. Helvetii Gallum in pugna ad Plovillam feliciter juvant 424

Poëta Tiguri ante Reformationem 579

Politica abuſus in Theologia 122

Polycarpi epiſtola an γνήσιος ſit 72

Pontifices Helvetiorum amicitiam ambiunt 514

fœderis cum Helvetiis continuationem urgent ibid.

pro Pontifice Romano Helvetii aliquot expeditiones ſuſcipiunt 366

Pontifex Helvetios vocat defenſores Eccleſiæ & libertatis Eccleſiaſticæ 514

Helvetii ſæpe ejus autoritate rejecta Imperatorum partes ſequuntur 555

ei Helvetiorum fœdus cum Rege Galliæ diſplicet 497

largè ſuas Helvetiis offert Indulgentias 514. *alia dona*, 526: *eum Helvetii ante Reformationem non ſemel officii monuerunt* 548

Pontificii ſæpe Patres rejiciunt 42

Præda, ante planè partam victoriam inhiare, Helvetiis detrimentoſum fuit 280

eandem, ante planè partam victoriam ſpernere, iis maximo commodo fuit 279

Præfectura Helvetiorum quæ 436

eæ vel transalpinæ ſunt, vel intra limites Helvetiæ 440

Italica Præfectura ibid.

Præliorum & bellorum Helvetiorum, Confœderatorum

maximè,catalogus 293
in præliis maximæ ad Helvetios commoda unde redierint 279
unde incommoda 280
omnia Helvetiorum prælia peculiari quodam inſigniuntur charactere 282
Prælii ad Marganum deſcriptio 290
Vide etiam, Bellum.
פרדס *notat 1.quodlibet pomarium,30. 2.ſedem beatorum,30.31. 3. hortum, cujus Moſes meminit,Geneſ. cap.II.v.8.* 35
Precibus Helvetii prælia incipiebant 255
Primaſio quæ ſcripta falsò tribuantur 90
Principium Religionis Chriſtianæ an ſit ratio humana 132
Principiis rationis in argumentis Theologicis uti licet 133.134
Privilegia Helvetiorum 170
urbis Tigurinæ 563
Prochoro falsò tribuitur hiſtoria de vita Iohannis 70
Prodigia varia in Helvetia 622
Prodigia magnorum conatuum & præliorum omnina Helvetii habent 284
Prometheus quis fuerit 96
Proſpero quæ ſcripta falsò tribuantur 87
Protevangelium Iohannis ſuppoſititium eſt 69
Prudentio quæ ſcripta falsò tribuantur 82
ψυχοπαννυχίαν *Anabaptiſtæ ab Arabibus habent* 115
Purgatorium ex Gentilium libris extructum eſt 16.115
Pythagoras primus Philoſophus appellari voluit 94
Pythagorica Philoſophia à quo ſit denominata,& qualis fuerit 147.evaneſcit,99.
Pythagoricis proximè acceſſerunt Eſſæi 155

Q.

Quæſtiones mixtæ quæ 131

R.

Ranuccius,Comes Scottus,de rebus Helvet.ſcripſit 224

Ra-

Raperſuilam Tigurini obſident 259
Rapertus Poëta, Monachus Sangallenſis 579
Ratio humana an ſit principium Religionis Chriſtianæ 132
Reales 100
Recognitiones Clementis ſuppoſititiæ ſunt 70
Reformationis cupidos Helvetii ſemper amplexi ſunt 543
Reformatio Tigurina eſt facinus heroicum 590
quomodo tentata & finita 592
Regenberg, arx, capitur & deſtruitur 295
Regenſperg capitur & deſtruitur 294
ejus Dominum vincunt Helvetii ibid
Reguſci Præfectura 441
Religio Helvetiorum in Gentiliſmo qualis fuerit 528
Helvetii ad Gallorum ſuperſtitionem maximè acceſſerunt 528. 529
ſub Chriſtianiſmo quæ fuerit 538
quando primùm Religionem Chriſtianam amplexi ſint; variæ ſunt ſententiæ 539
Remigia quæ ſcripta falsò tribuantur 90
Reſpublica Helvetica libera eſt 480
diſtinguitur in Cantones, Socios, & Præfecturas 436
ei vel in peragendis, vel peractis rebus arduis multum tributum 472
Vide etiam, Helvetica reſpublica.
Retributionis tempora tria eſſe tradunt Rabbini 20
Reuſtii fortitudo in bello Burgundico 255
primus ſatellitii Pontificii Capitaneus, domum vocatur 609
Rhæti Helvetiorum Confœderati quando facti ſint 439
Gauſſierium in Inſubriam ſequuntur 422
Rhaticas res Gulerus & Spracherus deſcripſerunt 223. 224
Rhenus. De ejus catarrhactis 242
Rhetorica in Theologia uſus 141
eum qui oſtenderint 145
Richardi Hochburgi hiſtoria 461

Ritus Gentilium in Religionem Chriſtianam introducti 16
Rivulus, ſanguine fluens, Leopoldi prælium prædicit 284
Rodolphus Simlerus de rebus Helveticis ſcripſit 219
Romani Helvetios cædunt 289
contra eos Helvetii pugnant 293
Roſaci Cœnobium ædificatum fuiſſe, ægrè ferunt Sangallenſes 365
Roſpach, prope Meilam, ſtrategemate capitur 250
Rotevilla acceſſit ad fœdus Helveticum, & ab eo rurſus diſceſſit 440
Rotzbergum, Silvaniæ arx, aſtu capitur 251
Rotzii fortitudo in bello Suevico 254
רואקין *qui* 152
Ruffinâ quæ ſcripta falsò tribuantur 84
Rupertus Palatinus, Bavarum oppugnaturus, militem Helvetium petit 479
Ryſig, Suitenſis, fortitudo in prælio Bilitzonenſi 254

S.

Sabaudiæ duces Helvetiorum amicitiam ambiunt 512
Sacerdotum hiſtrionicas declamationes veteres Helvetii perſtrinxerunt 542
Sadducæi multa ex Epicuræorum lacunis hauſerunt 155
Salutem Ethnici in Philoſophia quæſiverunt 111
Sanſonius, Indulgentiarum præco, paucos apud Helvetios mercatores invenit 548
Sangallenſis Abbas quos Cantones defenſores, & quomodo conſtituerit 439
Sangallenſis urbs quos ex Cantonibus defenſores conſtituerit ibid.
Sangallenſe bellum poſterius 365
Sangallenſium rerum deſcriptionem Vadianus promiſit 557
Sapientes Gallorum Bardi, Vates & Druidæ dicti 534
Saracenorum Philoſophia hiſtorica 101
contra eos Helvetii militant 293
Sarna, arx Silvaniæ, aſtu capitur 251.295

Sarunegaunenſis Præfectura 441
Sattel. *Victoria in illo loco reportata* 295
Schafhuſia quando in fœdus Helveticum recepta 438
Schafhuſiani à Sigismundo, Auſtriæ Archiduce, bello tentantur, & cur 345.474
Schola Tigurina multos dedit viros doctiſſimos 580
Scholarcham ſcholæ Tigurina à multis jam ſeculis habet 576
Scholaſticæ leges ſcholæ Tigurinæ ante Reformationem 577
Scholaſtica Philoſophia naſcitur 100
Scholaſtica Theologiæ quis locus concedendus 124
Scholaſtici Philoſophiam cum Theologia confundunt 116
Schönenberg *capitur & deſtruitur* 295
Schuleri, Glaronenſis, fortitudo in bello Suevico 254
Schvvaderloch. Helvetii ibi vincuntur & vincunt 296.348
Schvvanau capitur 295
Scripturæ ſimplicitate multi offenduntur 119.120
Sebaſtianus Munſterus Helvetici fœderis origines deſcribit 222
Sebaſtianus Veronius de rebus Helveticis ſcripſit 223
Sempachianæ pugnæ deſcriptio 304
in illa pugna caſorum aliquot nomina 429
victoria Sempachiana 295
ejus belli omina 286
Senatum eligendi jus quando Tigurum acceperit 563
Seneca Chriſtianus fuit 155
ejus ad Paulum epiſtolæ ſuppoſititiæ ſunt 69
Sibyllarum nomen unde 58
numero decem ſunt 58
de iis varia judicia 59.60
quæ iis vaticinia adſcribantur 63.64
eorum ſcripta ſuppoſititia ſunt 115
Siccitas magna 286
Sigiſmundus, Auſtriæ Dux, ab Helvetiis militem petit 479

quæ Helvetii contra Sigiſmundum, Auſtriæ Archiducem, bella geſſerint 345
Sigiſmundus Imperator in Concilio Conſtantienſi Helvetiorem opem implorat 473
Simulacrorum ſtructura à Gentilibus eſt 16
Situs Helvetiæ 234
Socii Helvetiorum qui 436
Solodurenſes quando in fœdus Helvetieum recepti 438
ex Solodurenſibus Diepold Schilling de rebus Helveticis ſcripſit 223
Solomon magnus Philoſophus fuit 97
Spracherus de Rhætia ſcripſit 224
Stantianæ leges militares 458
Stantianum decretum 446
Stapferi fortitudo in bello Suevico 254
Steineri, Tugini, fortitudo in bello eodem ibid.
Stettlerus de rebus Helveticis ſcripſit 221
Stoica Philoſophia unde ſic vocata, & qualis fuerit 148
eam Phariſæi in multis ſequebantur 153
Stoicos oppugnat Paulus 156
Strategematibus Helvetii felices 248
Stuckii fortitudo in pugna Tetvvilana 254
Studia literarum apud Helvetios in Gentiliſmo quæ fuerint 534
Sueci origine Suizeri ſunt 204
Suevicum bellum. In eo Helvetii Maximiliani exercitum aliquoties vincunt 470.471
Suevici belli deſcriptio 346.348.
ejus pugnæ ordine deſcribuntur 470
decretum pro ſuffragiis & ſolennitatibus pro iis, qui ex Tigurinis in eo bello occubuerunt 430
Suizeri unde ſic dicantur variæ ſententiæ 205,206.207
ab exteris vulgò à Suitia vocantut 204
origine Sueci ſunt 204
Suppoſititia ſcripta vel profana ſunt, vel ſacra 53
profana vel Iudæorum ſunt, vel Gentilium ibid.
Gentilium ſunt vel Chaldæorum, vel Ægyptiorum, vel Græcorum, vel Lat inorum 54

ſacra Patriarchis attributa,67. Prophetis,68. Chriſto,ibid. Mariæ,ib. Apoſtolis,68. 69. Patribus,69. 70.
eorum Catalogus 37
Surſea capitur 474
Synodi Tiguri duæ celebrantur 596

T.

Tarrenſis pugna, cui Helvetii interfuerunt 416
Terræmotus 286
Tertulliani quæ ſcripta ſuppoſititia ſint 73. 74
Tetvvilana pugna deſcriptio 302
in ea Helvetiorum victoria 295
in ea Tigurini parva manu magnas copias fundunt 565
in ea aliquot cæſorum nomina 429
Theodoreti quænam dubiæ ſint fidei opera 88
Theodorus Bibliander de rebus Helveticis ſcripſit 216
Theodoſii caſtra contra Eugenium Helvetii ſequuntur 293
Theoduli hiſtoria ipſis Pontificiis ſuſpecta eſt 541
Theologiæ ſcholaſticæ quis locus concedendus 124
Thermæ in Helvetia 240
Thomæ Aquinati quædam falsò tribuuntur ſcripta 92
Tigurum. Beneficia Dei in hanc urbem,561. ejus antiquitas ibid.
placuit Imperatoribus, Regibus, Principibus, Rebuspublicis 562
ejus privilegia 562. 563
quando, & à quibus Evangelium primùm acceperit 581
quando jus eligendi Senatum acceperit 563
à Duce Alberto ter obſeſſum, toties quoque à Deo liberatur 295
ibi Synodi convocantur 596
imagines tolluntur, & Miſſa abrogatur 598. 599
Tigurini ſuos ante Reformationem habuerunt Hiſtoricos, Medicos & Aſtrologos 597
quinam ex iis de rebus Helveticis ſcripſerint 212

de iis

de iis multi falſa ſcribunt 232
quando, & cur in fœdus Helveticum ſint recepti 437
ſe fœderi adjungere coguntur 160
Clerum reprimunt, Monachorum ſuperſtitionem odorantur 583
ſtipendia Regum & Principum ejurant 612
eorum varia victoria 565
eorum laniena 294. 471
Vſſnau oppugnant 257
Raperſuilam obſident 259
juſtitia amantes ſunt 570
eorum fortitudo 565
eorum fidelitas 568
Heroës Tigurini 567
belli Tigurini deſcriptio 360
eorum vexillum purpureo diademate à Rodolpho Imperatore ornatur 563
iis Pontifex multas largitur Indulgentias 583
Tigurina Reformatio quomodo tentata & finita 592
fuit facinus planè heroicum 590
in Eccleſiam Tigurinam Dei beneficia 581
Tigurinæ mulieres, armis induta, urbem obſidione liberant 249
Tigurina Schola à multis ſeculis ſuum habet Scholarcham 576
Tigurinæ ſcholæ leges ante Reformationem 577
in ea ante Reformationem magna fuit barbaries, non tamen tanta, quanta alibi 576
eam Zwinglius reformat, & reſtaurat 580
multos doctos viros dedit 580
Tigurinæ urbis deſcriptio ex deſcriptione ſtatûs Imperii Romano-Germanici 571
ejus libertas 564
ejus variæ calamitates & bella 621
ejus calamitas anno 1652. à fulmine illata 624
Tito, Boſtrorum Epiſcopo, quænam ſcripta falsò tribuantur 78
Toggii Comes capitur 257

Treiſa.

Treiſa. Ibi Hervetii Suevos cadunt 347
Trinitatis doctrina, ſummo cum Chriſtianiſmi detrimento, à quibusdam Patribus ex Philoſophia Gentilium probata 130
Tugini quando, & cur in fœdus Helveticum recepti 437
Tumultus ob militiam mercenariam in Helvetia 620
Turgovium Sigismundus Imperator in fidem Imperii recipit 474
Turgovienſis Præfectura 441
Tyranum Galliæ Rex auxiliis Helveticis occupat 417

V.

Vadianus de rebus Helveticis ſcripſit 223
Valentinus Platonicus Gentilium dogmata in religionem Chriſtianam invexit 111.112
Valeſiani fœdere συμμαχίας quibus Helvetiæ Cantonibus devincti ſint 439
Vallem telinam Rex Galliæ Helvetiorum auxilio occupat 417
Vates apud Gallos qui 534
Veneti à Sigismundo, Helvetiorum auxilio, cæſi 479
Helvetii in pugna contra eos ad Rivoltam in Glera Abduana, Gallum juvant 418
Helvetiorum amicitiam ambiunt 513
Veſpaſiano, in urbis Hieroſolymitanæ expugnatione, Helvetii adſunt 293
Vexillum Tigurinorum purpureo diademate à Rodolpho Imperatore ornatur 563
Vffnau Tigurini oppugnant 256
Victorini ſcripta ſuppoſititia quæ 76
Vigilio quæ ſcripta falsò tribuantur 90
Vitoduranus. Vide, Iohannes Vitoduranus.
Vitodurum Sigismundus Imperator in fidem Imperii recipit 474
Vlpianum in Pedemontio Rex Galliæ, Confœderatorum auxilio, expugnat 424
Vrnach, arx, à Lucernenſibus capitor 294
Vtliacus mons ſtrategemate occupatur 248

Vtzen-

Vitzenburg capitur & deſtruitur 294
VValdenſes in Helvetia paulatim locum quaſiverunt 556
VValdeshutam obſident Helvetii 469
VValdmanni fortitudo in bello Burgundico 254
VVernherus Steinerus de rebus Helveticis ſcripſit 222
VVinckelriedii fortitudo in prælio Sempachiano 254
ejus ſtrategemate circumventi Auſtriaci 468
VVittenbergenſis Dux Helvetiorum amicitiam ambit 513
VVollebii in bello Suevico foritudo 254

Z.

Zenoni Veronenſi quæ ſcripta falſò tribuantur 78
Zvinglius Tigurum vocatus, quomodo Reformationem aggreſſus ſit 594
opponit ſe Samſonio, Indulgentiarum præconi ibid.
Evangelium Matthæi enarrat ibid.
monetur ab Hugone, Epiſcopo Conſtantienſi, ut Indulgentiis ſe fortiter opponat 595
Acta Apoſtolorum, 1. ad Thimoth. epiſt. ad Galatas, utramque Petri, epiſt. ad Hebræos explicat 595. 596
idem 67. articulos Synodo Tigurinæ examinandos proponit 596
ejus eruditio & encomium 579. 580
ejus in Schola Tigurina reformanda ſtudium 580
ſe militiæ mercenariæ opponit 602

FINIS.

Errata inter relegendum obſervata ſic emendentur.

Pag.3.lin.30.illos authores.l.31.potuerunt.P.26.l.6. Hic Benedictum VIII. redemtum vult ex Purgatorio. Etſi enim Calvis. anno Ch. 1024. Papam cruciatibus intolerabilibus in inferno affectum Baronij authoritate aſſerat,ipſe tamen Cardinalis de Purgatorio tantùm ea intelligit. P.32.l.13.ישׁובה P.65.l.ult. Blondelli. P.197.l.23.ſtatui,quo. P.200.l.27.Galliæ. P.201.l.12. Geog.Nub. P.210.l.18. ſuam quisque prius patriam. P.223.l.1.Herologium. P.229. l. 36.aſini Cumani, & decumani. l.38. Vervecum in patria. P.250.l.28. Repub. P.254. l. 25. reboantium. l.26. Iohannes Waldmannus; *Id.* p.154. cujus (ut & Henrici in Campidonenſi velitatione p.110) etiam in Palatina p.114.expeditione meminit. P.276.l.14. nares diductas. P.279. l.2.præliis. P.281.l.13.ab octingentis ex inproviſo. Pag.285.lin.26. Ab anno, inquit Chriſti 1337.ad 1350. P.288.l.33. Recentiores Helvetii ſecundùm in Ducatum Mediolanenſem egreſſi,magnam laudem & victoriam reportârunt. Primò quidem an.Ch.1411.quo expugnatis arcibus quibusdam & regione depopulata,domum redeunt. Schwiz. Poſtea verò, vertente ſeculo, 1512.iidem, Papæ auſpiciis militantes,Mediolanum & univerſum Ducatum brevi temporis ſpatio recuperant, Ducem in integrum reſtituunt. Ideò Dux Uriis,Suitiis & Subſilvanis Bilitionum reddit, & communem civitatem Helvetiam quatuor provinciis Italicis ad eundem Ducatum pertinentibus remunerat.*Id.* P.304.l.1. Cellani ad lacum. P.366.l.25.Marignanino. P.368. l.14.An.1515. P.416.l.35. Qui per Hiſpanos. P.433. l.34.Stettler.210.æſtuavit. P.437.l.11.petierant ab Auſtriis adjuti,pacem tandem cum tribus Pagis fecerunt. P.442.l.8.arctiſſimo. P.480.l.18. H. Eſſe Rempublicam. Sic p.484. aphoriſmo præpone lit. I. P.483.l.29. impares. P.488.l.24.A.Ch.1521.& 1522. P.509.l.20. dehinc anno Ch.1597.

Digitized by Google

Digitized by Google